

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650
CHRISTO ET ECCLESIÆ
The Gift
of
Mr. Joshua Bates,
of
London.
Rec.d 17 Aug.
1835
N. Hurd Sc
BOSTON

M. MANILII

ASTRONOMICON

EX EDITIONE BENTLEIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITUM.

VOLUMEN SECUNDUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1828.

MARCI MANILII

ASTRONOMICON

LIBER IV.

ARGUMENTUM.

Præmisso procemio de variis hominum curis in opibus comparandis, quasi victuros agerent semper, I. Variis argumentis probat et asserit fatum, fatique rationem immutabilem, e qua pendeant et opes, et artes, et mores, et vita morsque hominis. II. Quæ studia, quos mores, quasve artes sub se natis quæque signa tribuant, eleganti carminum serie recenset, docetque sub ariete nasci lanifices, vestiarios, et mercatores eos, qui quasi lucrum inter et damnum perpetuo sint; similiter et timidos, et inconstantes, et laudibus venales homines. Sub tauro creari vult agricolas, laudis amatores, taciturnos, robustos, et Cupidinem ipsum sub fronte gerentes. Sub geminis vero musicos, cantores, hilares, et astronomos. Sub cancro fœneratores, et lucri cupidos. Sub leone venatores, ferarum confectores, minime dolosos, ad iram pronos, sed placari faciles. Sub virgine doctos, oratores, scribas, notarios, moderatos in utroque genere virtutis et vitii. Sub libra mensores, ponderatores, calculones, jurisperitos, legislatores, legum interpretes, prætores et judices. Sub scorpione bellicosos, venatores etiam, gladiatores, et quos belli simulachra ludique delectant. Sub sagittario rhedarios, equorum domitores, mansuetarios, acuta mente viros, atque corpore robustos et veloces. Sub capricorno fusores, conflatores, artifices, fabros ferrarios, metallarios, pistores, vestium institores, inconstantes etiam animos, et per juventutem Veneri deditos. Sub aquario creari putat eos, qui ductibus aquarum, expressionibus, elicibus, et naumachiæ studeant; et dociles, ac prodigos. Sub piscibus denique nautas, naucleros, remiges, prole fœcundos, et animo leves. III. Decanorum rationem omnem per duodecim quæque zodiaci signa rite explicat. IV. Recenset quæ cujusque signi partes noxiæ sint, quæve salubres. V. Docet sub primis signorum ortibus varios oriri partus ab iis, qui sub totis signis oriuntur: cujus rei censum agit integrum. VI. Totius orbis terrarum et aquarum descriptionem exactam instituit, notatque quas terræ regiones sibi quæque signa in tutelam vin-

dicant. VII. Docet quæ signa dicantur ecliptica, et qua ratione suos patiantur labores ac defectus. VIII. Proponit objectionem, quæ contra hanc siderum notitiam fieri solet, quasi vis animi sit impar his rebus cœlestibus, atque minor, quam ut et cœlorum faciem, et interiora jura possit percipere. Hanc autem validis argumentis ac præclaris comparationibus solvit.

QUID tam solicitis vitam consumimus annis?
Torquemurque metu, cæcaque cupidine rerum?
Æternisque senes curis, dum quærimus ævum,
Perdimus; et nullo votorum fine beati
Victuros agimus semper, nec vivimus unquam?
Pauperiorque bonis quisque est, quo plura pararit?
Nec quod habet, numerat: tantum quod non habet, optat?
Cumque sibi parvos usus natura reposcat,

Cur conterimus vitam in annis adeo anxiis? et cur vexamur timore et amore insano rerum? et cur confecti senio amittimus tempus in perpetuis solicitudinibus, dum quærimus illud? et cur nulla expletione desideriorum nostrorum felices, agimus habituros vitam in perpetuum, nec vita fruimur unquam? et cur unusquisque nostrum eo magis est egens opibus, quo cupit plures opes; neque computat id quod possidet, sed solum desiderat id quod non possidet? et cur cum natura exigat bre-

3 '*Senes* dicit, quasi minutos, macros, incurvatos ad instar eorum, qui senio sunt confecti. *Senium* Latini Poëtæ ponunt pro dolore, tædio, ægritudine. Vide Non. Marcell. ipso libri principio. Adde Gronov. Lect. Plaut. p. 103. et Casaub. ad Pers. VI. 16. Reglomontanus dedit, *Æternisque senum curis* (?) Quænam vero sint illæ senum curæ, cum nemo non intelligit, tum quæ sequuntur verba, uberius declarant.' *Stoeb.*—6 Scal. Delph. et vulg. *requirit.* 'Repone *quo plura pararit.* Probant hoc sequentia: 'Nec quod habet, numerat.'' *Bent.* 'Regiom. et impressi ceteri, adstipulantibus Codd. Lips. et Paris. *qui plura requirit.* Seneca 'Pauper est,' ait, 'non qui parum habet, sed qui plura cupit.'' *Stoeb.*—8 Scal. Delph. et vulg. *sui.* 'Scribe *sibi.*'

NOTÆ

1 *Quid tam solicitis, &c.*] His 11. vss. conqueritur Poëta vanas hominum in vita curas ac solicitudines, qui, quasi victuri semper, divitiis comparandis toti incumbunt, nec quod habent, eo contenti fruuntur; exindeque est ut inter ipsas occupationes, spemque metumque, perdant ævum, dum quærunt illud.

5 *Victuros agimus*] Metaphora. Verbum enim *agere* tribuitur cunctis humanis actibus, poniturque pro fingere, repræsentare, fungi, &c. Sic dicimus, agere bonum civem, agere dominum, agere histrionem, &c.

8 *Sibi parvos usus, &c.*] I. e. cum brevis sit usus vitæ, nec natura sinat aut reposcat, ut diu vivamus. Scilicet ut ait Horat. Carm. I. 4. 15. 'Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.' Unde fit, ut quo plura bona comparamus, eo majorem ruinæ materiam struamus, cum bonis tandem nostris cadere necesse sit.

Materiam struimus magnæ per vota ruinæ?
Luxuriamque lucris emimus, luxuque rapinas?
Et summum census pretium est effundere censum?
Solvite, mortales, animos, curasque levate,
Totque supervacuis vitam deplete querelis.
Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Singula per proprios signantur tempora casus.

ves sui usus, construimus tamen per nostra desideria materiam ingentis cladis; et emimus quæstibus luxum opum, et luxuria latrocinia? et cur extremum præmium opum est profundere opes? Igitur, o homines, liberate mentes vestras, et allevate solicitudines vestras, et eximite vitam vestram ex tot questibus superfluis. Scitote quod fata gubernant mundum, et quod cuncta vadant certo tramite, et quod diurna vitæ tempora notentur per certas fatales leges. Dum nascimur, certæ morti

Bent. 'Restitue ex scriptis editisque libris, sui. Scilicet brevis est vitæ usus; nec natura sinit aut poscit ut diu vivamus. Horat. Carm. I. 4. 'Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.' Unde fit, ut quo plura bona comparamus, eo majorem ruinæ materiam struamus (vs. 9.), cum bonis tandem cadere necesse sit.' *Stoeb.*—12 'Barth. ad Achil. I. 8. legi vult *curisque*, quod equidem, invitis præsertim libris, alteri præferre nolim. Infra quidem Noster v. 809. 'Et pariter juvenem somnoque ac morte levavit.' Sed alterum quoque loquendi genus obtinet, non apud Nostrum modo, sed et alios primi ordinis poëtas. Ennius apud Ciceronem in Catone, ab init. 'O Tite, si quid ego adjuero, curamve levasso,' &c. Confer, si placet, notam infra vs. 683.' *Idem.*—13 Rom. et vulg. *deflete*. 'Lege *deplete querelis*, hoc est, exhaurite. 'Pierios latices digno deplevimus haustu.' Papinius. Tralatitie a vasis: et τὸ *supervacuis* quum dicit, in eadem tralatione persistit. Nam vasa supervacua sunt, quæ Græci ὑπερχειλῆ.' *Scal.* Et sic Delph. '*Vitam deplete*] id est, evacuate, exhaurite. Optime. Statius Achil. I. 8. 'Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu, Da fontes mihi, Phœbe, novos,' &c. Sic medicis *deplere* est, vena sanguinem mittere. Libri nostri, præter nexum et sensum, *deflere*.' Stoeb.—15 Rom. et vulg. *Longaque per certos s. t. cursus*. 'Repone *casus* ex Gemblac. Sic in Sphæra Mundi: 'Singula nam proprio signarunt tempora casu.'' *Scal.* Et sic Delph. 'Alii *cursus*: nec improba lectio.' 'Gemb. et Voss. *casus*, non *cursus*. Putide autem *certos*, statim post *certa*. Nec *longa* quicquam huc facit, cum vitæ humanæ breve sit curriculum. Repone *Singula p. proprios s. t. casus*. Ut Noster I. 58. 'Singula nam proprio signarunt tempora casu.'' *Bent.* 'Editi veteres, quos secutus

NOTÆ

11 *Census*] Divitiarum, ut monui I. 12.

12 *Solvite, mortales, &c.*] His II. vss. interim monet mortales, ut vanas istas curas animis deponant, atque fatorum leges sequantur, quibus totus orbis regitur, et quas solicitæ curæ mutare nusquam valent. Sic Senec. 'Fatis agimur: cedite fatis. Non solicitæ possunt curæ Mutare rati stamina fusi, &c. . . . Dura rejecta manu Omnia certo tramite vadunt,' &c.

14 *Fata regunt orbem, &c.*] Ethnici namque fatum vocabant inevitabilem rerum omnium necessitatem, cui et Deos, et homines, et res cunctas subjici credebant, ut fusius monui I. 1.

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.
Hinc et opes et regna fluunt, et sæpius orta
Paupertas; artesque datæ, moresque creatis,
Et vitia, et clades, damna, et compendia rerum.
Nemo carere dato poterit, nec habere negatum;

obnoxii simus, et terminus vitæ nostræ dependet ab hora nativitatis nostræ: et ab ea quoque hora nativitatis veniunt et divitiæ, et imperia, et egestas sæpe oritur, et artes traduntur, et mores habentur, et vitia, et strages, et jacturæ, et lucra bonorum nascuntur. Nullus est qui non faciat damnum, si semel datum sit; nec ullus est qui possit in vita habere, quod ipsi negatum fuerit in nativitate; aut tene-

est quoque Rhodig. Lect. Ant. x. 20. versum ita repræsentant, *Longaque per certos s. t. cursus.* Cod. quidem Paris. habet *casus:* rectius autem *cursus.* Certos enim *cursus* fatorum, legem orbis et omnium rerum jungit ex re ipsa Manilius. *Longos* vocat, quos æternos debebat. Poëtis enim ista duo æqui ponderis non raro habentur.' *Stoeb.*—17 Scal. Delph. et vulg. *Tunc;* et sic Paris. et Regiom. 'Immo *hinc;* a fatis, a lege, ab origine. Vidit et Huetius.' *Bent.*—18 Scal. Delph. et vulg. *creati.* Recte Vossianus *creatis,* i. e. natis, ut infra 534. 'geminamque creatis Mortem fata dabunt:' et v. 199. 'Venatus non ille quidem, verum arma creatis Venandi tribuet.' *Bent.* '*Moresque creatis*] scil. dati sunt. Sed *creatis* pro hominibus vix alibi apud Nostrum legas. Malim ergo retinere *creati* mores, quasi innati cuicunque affectus. Conf. Casaub. ad Pers. vi. 18.' *Stoeb.*—19 Vulg. *compendia vitæ.* Scal. ex Gemb. *rerum.* Et sic Delph. 'Gemb. bene, i. e. bonorum. Alii *vitæ,* minus bene ad mentem Manilii.' 'Hoc Scaliger dedit ex Gembl. cui consentit Lips. *compendia vitæ* habent Cod. Paris. Regiom. et ceteri recentiores. *Compendia rerum* vel *vitæ* sunt, hoc quidem loci, lucra, commoda. Tibull. i. 3. 39. 'Nec vagus ignotis repetens compendia terris, Presserat externa navita merce ratem.' Vide sis quæ diximus ad iii. 277.' *Stoeb.*—20 Scal. Delph. et vulg. *N. c. damno.* 'Inepte Bonincontrius, *N. c. dando.* stolide interpolatum sequentia satis aperiunt.' *Scal.* 'Falsum hoc; cum ex Auctoris doctrina, quidam nascantur felices. Deinde nullum hic antitheton est, quod disjunctivum *nec* postulat. Repone, *Nemo carere dato.* Quod fato cuique datum est, nemo carere potest, nec, quod negatum est, habere.' *Bent.* 'Libri Ms. et

NOTÆ

16 *Nascentes morimur, &c.*] Sic Senec. lib. de Provid. v. 'Fata nos ducunt, et quantum cuique restet, prima nascentium hora disposuit.' Igitur finis vitæ nostræ pendet ab hora nativitatis.

17 *Hinc*] I. e. ab hora nativitatis. Itaque præclara inductione docet non solum vitæ nostræ cursum ab ipsa nativitatis nostræ hora pendere: sed et opes, regna, paupertatem, artes, mores, vitia, clades, damna, et lucra oriri. Scilicet talis est rerum eventus in vita hominum, qualem fata promittunt ex sideribus, dum quisque nascitur; 'e quibus,' ut ait Manilius lib. i. 161. 'ratio fatorum ducitur omnis.'

19 *Compendia rerum*] Lucra. Est enim *compendium* id quod parsimonia servatur: unde pro ipso lucro aut utilitate usurpatur. Tibull. i. El. 3. 39. 'Nec vagus ignotis repetens compendia terris, Presserat externa navita merce ratem.'

Fortunamve suis invitam prendere votis,
Aut fugere instantem. Sors est sua cuique ferenda.
An, nisi fata darent leges vitæque necisque,
Fugissent ignes Æneam? Troja sub uno
Non eversa viro fatis vicisset in ipsis?

re fortunam suis desideriis, si semel ipsa fortuna repugnet, vel contra effugere illam, si sibi aliquando ea urgeat. Fortuna scilicet sua cuique est ferenda. Peto ego v. g. utrum flammæ pepercissent Æneæ, si fata non præscriberent regulas et vitæ et mortis? vel an ipsa Troja sub uno homine sospite non diruta, victrix tandem

Editi Veteres, *N. c. damno.* Puto latere mendum in hoc *caret*, pro quo si legeris *cavet*, vel unius literulæ mutatione locus integritati suæ erit restitutus: *Nemo cavet damno*, pro a damno. Sic Plautus Menæchm. II. 1. 24. 'Dictum facessas doctum, et discaveas malo.' Pariter Terentius Eunuch. IV. 7. 12. 'Illuc est sapere! ut hosce instruxit; ipsus sibi cavet loco.' Sensus hinc nostræ lectioni constat aptissimus. Nemo, inquit, a damno sibi cavet vel præcavet, nisi monente fato, nec poterit habere id quod fatum ipsi negaverit. Eleganter in hanc sententiam Horat. II. Carm. 13. 13. 'Quid quisque vitet, nunquam homini satis Cautum est in horas.'' *Stoeb.*—21 Regiom. *Fortunamque.* Ibid. vulg. *pendere votis.* Correxit Scal. ex Gemb.—22 Rom. et vulg. *sua culpa ferenda.* 'Et cæco patet legendum *sors est sua cuique f.* Approbatur a Gemb.' *Scal.* 'Recte sic Scaliger, approbante Gemblac. cui addimus Paris. et Lips. Perperam Regiom. Ald. et Rom. *sors est* (:) *sua culpa ferenda.* Sic interpungit Regiom.' *Stoeb.*—23 Scal. Delph. et vulg. *At.* 'Gemb. *Aut*, Voss. *Ad*, Venet. *Id.* Repone *An*, *n. f. d.* An ignes fugissent Æneam?' *Bent.* 'Libri omnes, præter editum Faii, absque interrogatione legunt, *At nisi, &c.* Ubi, omissa distinctionis nota, hoc *At* continuandæ servit orationi. Quod quidem pluribus, e Cicerone præsertim, exemplis firmat Tursell. p. m. 176.' *Stoeb.*—24 'Non probo lectionem Gembl. *Fulsissent ignes.* Hic *ignes* de Palladio, quod ferebat Æneas, intelligendum.'

NOTÆ

22 *Sors est sua cuique ferenda*] 'Fata quippe,' ut ait Seneca Nat. Q. II. 5. 'jus suum peragunt, nec ulla commoventur prece; non misericordia flectuntur; non gratia: servant cursum irrevocabilem: ex destinato fluunt: quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens præcipitat; sic ordinem rerum fati series rotat, cujus hæc prima lex est STARE DECRETO. Non igitur aut effugere fortunam instantem poterit, aut invitam votis prendere.' Impia sane et hæretica sententia.

23 *An, nisi fata darent, &c.*] His 70. vss. seqq. varia profert exempla, quibus et fati rationem et ordinem certum asserat. Itaque prioribus hisce 3. vss. probat ab exemplo Æneæ, qui ex Trojano incendio salvus extiterit, ex fati decretis ac legibus omnia fieri.

24 *Sub uno Non eversa viro*] Nempe sub Ænea, quo salvo et incolumi a flammis dici potest ipsa Troja tandem non eversa fuisse, sed in eo victrix extitisse etiam in ipsis fatis; dum scilicet ipse Æneas in Italiam profugus Romæ sedem posuerit, quæ urbs totius orbis imperium postea tenuit, vs. 29. Adulatur sane Romanis Poëta.

25 *Fatis in ipsis*] In ipsa sui ruina, fatalique casu.

An lupa projectos nutrisset Martia fratres?
Roma casis enata foret? pecudumque magistri
In Capitolinos duxissent fulmina montes?

fuisset in ipsa sui fatali ruina? Vel an Lupa Mavortia aluisset geminos fratres, qui expositi fuerant aquis? Et Roma esset exorta sicut orta est? armentorumque custodes amplificavissent cacumina domorum supra colles Capitolinos? et Jupiter po-

Scal.—26 Scal. Delph. et vulg. *Aut:* et sic Paris. et Regiom. 'Iterum repone, *An*.' Bent.—27 Rom. et vulg. *Romaque sic enata foret*. Et sic Delph. 'Alii, *Roma casis et nata foret;* nec male; ab exiguis enim Remi et Romuli casis Roma surrexit in summas ædes, ac in urbem potentissimam.' Et sic Scal. 'Optime. Sed alter Ms. habebat *casis enata*.' Scal. 'Recte Lips. et alii, *enata*.' Bent.—28 Rom. et vulg. *auxissent fulmina*. 'Legendum, *culmina montes:* construxissent aream Capitolinam in Tarpeio monte? Hoc enim auget montem. Ineptum est in Gembl. *flumina*. Sequentia probant: 'Includive sua potuisset Jupiter arce?' Nam de fulmine Jovis, quod somniat Bonincontrius, non persuadebit nisi similibus sui. Est autem enallage, *auxissent culmina in Capitolinos montes*, pro, auxissent Capitolinos montes in culmina, hoc est, arcem, et ædem Jovis Capitolini. Nisi forte quis putarit legendum, *In C. sanxissent culmina m*.' Scal. 'Libri scripti et editi *fulmina*. Lege *vexissent fulmina;* vel juxta conjecturam Francisci Junii *duxissent*. *Fulmina* pro Jove.' *Huet*. 'Pro *culmina*, quod Scal. est, recentiores libri *fulmina;* veteres tres *flumina*. Repone, quod et Huet. vidit, *duxissent fulmina*. De Numa accipe et de Jove Elicio. Historiam habes in Ovidii Fast. III. a versu 285. *Duxissent*, ut Ovid. versu 321. 'Juppiter huc veniet valida deductus ab arte.'' *Bent*. 'Pro *duxissent*, Libri omnes *auxissent*, recte. *fulmina* quibusdam legitur *flumina*, quod diserte Cod. Lips. Lege audacter, cum Scaligero, *culmina*. Non, ait Noster, nisi fati vi altioris, pastorum culmina in Capitolinas arces aucta essent ab armentariis et opilionibus. *Cul-*

NOTÆ

26 *An lupa, &c.*] His 11. vss. iterum ab exemplis probat et asserit fati certum et inevitabilem ordinem. Tribuit enim fatis et Remi ac Romuli educationem, qui lupa nutriti ambo Romam tandem condiderint. Tribuit et Capitolium Jovi sacratum; et imperium totius orbis terrarum, quod penes Romanos fuit, qui tamen in Trojanis victi fuerant a Græcis. Tribuit et Mutii Scævolæ audax facinus; et Horatii Coclitis miram virtutem; et Clœliæ virginis ausum; et trigeminorum Horatiorum victoriam, quorum ab uno pendebat tota Roma, scilicet ut aut jugum subiret, aut imperium summum teneret.

Lupa ... Martia] Laurentia, Faustuli pastoris uxor, quæ Remum et Romulum nutrivit. Quia vero Laurentia meretrix fuit, Lupa dicta est; quæ vox et pro meretrice accipitur, Cicer. pro Milon. Plaut. &c. Martia autem dicta est, tum quia in Martis luco admissum fuit stuprum Iliæ, ex qua Mars Remum et Romulum suscepisse creditur; tum quia vetus gens ethnica lupos tutelæ Martis asseruit. Hinc fabulæ locus datus, ut a lupa Remus et Romulus nutriti crederentur.

27 *Pecudumque magistri*] Remus enim et Romulus pastores fuerunt, donec de sua gente edocti, collecta pastorum manu, novam urbem in Palatino monte condiderunt, quam de nomine suo Romam dixit Romulus.

28 *Capitolinos montes*] Capitolinus

Includive sua potuisset Jupiter arce?
Captus et a captis orbis foret igne sepulto?

tuisset includi in suis ædibus Capitolii? Et an terrarum orbis captus fuisset ab iis

---

mina casis esse pastorum æquivoca, notum ex illo Maronis Ecl. I. 69. 'Pauperis et tuguri congestum cespite culmen.'' *Stoeb.*—30 Rom. et vulg. *Captus, vel caput his o. f.* 'Semper suspectus mihi fuit locus hic. Gemblacensis, *C. et captis o. f.* Deest literula, *C. et a c. o. f.* Egregia sententia: orbis victores Romani prius victi sunt a Græcis. Sunt enim a Trojanis oriundi, qui a Græcis olim capti, ipsi rursus et Græcos, et orbem ipsum ceperunt. Virgilius, 'Num capti potuere capi?'' *Scal.* 'Male hæc distinguuntur; quid enim est *igne vulneribus sepulto?* Quin et male accipiuntur illa, *C. et a c. o. f.* Romanos scilicet, qui orbem ceperint, prius ipsos a Græcis captos esse. Atqui nondum locus erat de orbe victo dicendi: parva adhuc civitatis initia ordine persequitur. Distinguo, *C. et a c. o. f.* i. s.? *Orbis*, mundus, nostro est Juppiter: et ille captus est a captis Fauno et Pico: quos Numa, ex Egeriæ nymphæ consilio, vino soporatos vinclis constrinxerat. Ovidius Fast. III. 291. 'Sed poterunt ritum Picus Faunusque piandi Prodere, Romani numen uterque soli. Nec sine vi tradent: adhibeto vincula captis.' et mox, versu 305. 'Vina quies sequitur: gelido Numa prodit ab antro, Vinclaque sopitas addit in arta manus.' et iterum 317. de Jove: 'Hunc tu non poteris per te deducere cælo: At poteris nostra forsitan usus ope.' et denique 323. 'Emissi quid agant laqueis, quæ carmina dicant, Quaque trahant superis sedibus arte Jovem, Scire nefas homini.' Vide ibi plura. *Igne* autem *sepulto*, est fulmine in Capitolinum montem jacto et condito. *Captus orbis*, ut I. 27. 'Cepisset furto mundum.'' *Bent.* 'Varie legunt ac distinguunt hæc prisci Editores. Cod. Paris. et Regiom. *Captus vel caput hic orbis foret.* Quos equidem sequi non hæsitaverim, præsertim cum de Jove accipi commode verba possint, qui captus quasi in arce Capitolina contineretur. Magis vero placet vulgata, eaque omnibus recepta, *Captus et a captis orbis foret.* Egregia, Scaligeri judicio, sententia: 'Orbis victores Romani prius victi sunt a Græcis. Sunt enim illi a Trojanis oriundi, qui a Græcis olim capti, ipsi rursus et Græcos et orbem ipsum ceperunt. Virgil. Æneid. VII. 295. 'Num capti potuere capi?'' Pari quoque sermonis ele-

NOTÆ

mons tribus fuit insignitus nominibus, Capitolinus, Tarpeius, et Saturnius. Saturnius a Saturno, qui hunc montem coluisse dicitur priscis temporibus. Tarpeius a Tarpeia Vestali virgine, quæ a Sabinis necata fuit et sepulta. Capitolinus a capite hominis aut equi, ut quidam volunt, quod in eo monte fuit repertum, cum fundamenta ædis Jovis jacerentur. In hoc autem monte prima Romæ fundamenta jecerant Remus et Romulus.

Fulmina [*Culmina*] Suppl. domorum, quas in eo monte primum exstruxerunt Remus et Romulus. Nisi id quoque fuerit interpretatus de Jovis arce.

29 *Arce*] I. e. in Capitolio, quod templum Jovis erat.

30 *Captus et a captis, &c.*] Romani enim olim in Trojanis victi et capti a Græcis tandem rerum potiti sunt, ac totius orbis terrarum imperium tenuerunt. Sic Virg. Æn. VII. 293. 'Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris Fata Phrygum! num Sigæis occumbere campis? Num capti potuere capi? num incensa cremavit Troja viros?' &c.

Vulneribus victor repetisset Mucius urbem?
Solus et oppositis clausisset Horatius armis
Pontem urbemque simul? rupisset fœdera virgo?
Tresque sub unius fratres virtute jacerent?
Nulla acies tantum vicit: pendebat ab uno
Roma viro, regnumque orbis sortita jacebat.

qui fuerant capti? An Mutius Scævola reversus esset in urbem victor extincto igne per suas plagas? Et an Horatius solus objectis suis armis interclusisset una et pontem et urbem? An virgo Clælia violasset sancita pacta? Et an trigemini fratres prostrati essent sub viribus unius? nullum unquam agmen superavit tantum. Roma dependebat ab hoc uno homine, et manebat potita imperii to-

gantia Rutil. I. 398. de Christianis ac Judæis: ' Victoresque suos natio victa premit.'' *Stoeb.*—31 ' *Vulneribus* manifeste mendosum. Gevartius conjecerat, *Vulnere bis victor:* semel, opinor, cum Porsenæ scribam obtruncavit, iterum cum dextram suam in foco torreret. Potuisset Auctor sic dicere, *Clade sua victor*, vel *Clade manus victor.* Verum a libris hæc nimium aberrant.' *Bent.* ' Cod. Lips. *orbem.* Sensu fastui Romano conveniente. Eandem confusionem sæpe alias in Mss. offendimus, ubi nullo excusari pacto possit. Sententia sic concipienda: *igne sepulto Vulneribus victor r. M. u.* Notissima C. Mucii Scævolæ sive historia sive fabula, quam luculentius exposuit Livius II. 12. et lepido epigrammate complexus est Martial. I. epigr. 22. Quibus adde, quos Savaro Auctores excitavit ad Sidon. Apoll. Carm. 23. p. m. 183. Hoc loci Gevartius et Barthius tentaverunt *Vulneribus bis victor.* Sed nihil isthac mutatione opus. Potuit Auctor dicere *Vulneribus*, vel per enallagen numeri, vel, quia tum scribæ regis Porsenæ tum sibimetipsi vulnera gravissima, et illi quidem lethiferum, inflixit. Quibus quidem tantum effecit, non constantia magis quam minis potentior, ut Urbem obsidione liberaret. Hinc illum Noster ' trunco nobiliorem ' dixit supra I. 777. quod majorem consecutus est laudem, cum dextra amissa hostem vicit, quam si armata eum occidisset.' *Stoeb.*—32 Rom. et vulg. *appositis.* 'Scribendum *oppositis.* Objecto umbone.' *Scal.*—35 Rom. et vulg. *N. a. tunc evicit.* ' Multum discrepat a vero. Gemblacensis optime, *N. a. tantum vicit.* Nulla acies tantum vicit, quantum tres illi fratres, imo quantum, tertius duobus superstes. Sequentia confirmant.' *Scal.*—36 ' Frustra est Barthius, qui mavult legere *tacebat.* Omni enim suspicione caret vulgatum *jacebat*, quod non eadem, in altero versu, notione venit. Hoc loci poëtice dictum pro *erat* vel *extabat.* Sic Virgilius de Rhodope, Thraciæ monte, Georg. III.

NOTÆ

31 *Mucius*] Cognomine Scævola, qui Porsennæ castra eo animo ingressus est, ut eum occideret: sed occiso, pro rege, uno ex illius purpuratis, comprehensus est, atque coram Porsenna dextram, quæ in cæde aberasset, igne subjecto exussit, I. 777.

32 *Horatius*] Cognomine Cocles, de quo I. 779.

33 *Virgo*] Clœlia, de qua I. 778.

34 *Tresque . . . fratres*] Trigemini Horatii, de quibus I. 777. et Liv. I.

35 *Ab uno. . . viro*] Suppl. Horatio superstite et victore. Cujus a victoria Roma pendebat ex icto fœdere Romanos inter et Albanos, ut cujus partis victores extiterint Horatii aut Curiatii, ea victrix foret, Liv. I.

Quid referam Cannas, admotaque mœnibus arma?
Varronemque fuga magnum (quod vivere possit

tius orbis terræ. Quorsum autem memorem Cannas, et bella illata usque ad muros Romæ? Quid memorem magnum Varronem fuisse, tamen ignavum, quod vivere adhuc

---

354. 'Sed jacet aggeribus niveis informis,' &c.' *Stoeb.*—38 Vulg. *Varronemque pigrum magnum q. v. posset.* et sic Delph. Vid. not. inf. 'Pigrumne, qui celeritate fugæ se cladi Cannensi eripuit? Deformatissimus est hic versiculus: neque vero integrior in Gemblacensi: *Varronemque pugum m. quam v. posset.* Proculdubio *pugum* ex *pfugum* conflatum, id est *profugum*. Itaque lego: *Varronem profugum, m. quam v. posse, Postque tuos, Th., lacus.* Varronem fuga vitæ consulentem, quem mirum post tantam cladem vivere potuisse, idque post cladem ad Thrasymenum. *Magnum quam:* alii dicerent *magnum quantum:* utrumque dicitur, magnum quam, magnum quantum: immane quam, immane quantum. Græcum θαυμαστὸν ὅσον.' *Scal.* et mox 39. Scal. Delph. et Vulg. pro *morando, morantem.* '*Profugum* a Scaligero est; vetusti omnes, *Varronemque pugum;* Gemblacensis *vincere possit;* ceteri *vivere possit.* Repone, *Varronemque fuga m.* (*quod v. possit Postque tuos, Th., lacus*) *Fabiumque morando.* Varronem fuga magnum, Fabium morando magnum. De Varrone Livius; 'Et gratiæ actæ quod de republica non desperasset.' De Fabio Ennius, 'Unus homo nobis cunctando restituit.' *Bent.* 'Cod. Gembl. et Lips. *pugum*, ex quo Scaliger fecit *profugum*. Ms. Paris. Regiom. et ceteri, *pigrum*. Ita autem dici Varronem pro futili, ignavo, et timido mori, non tam est absonum, quam quod Bentleius eum *fuga magnum* dici, et cum Fabio Cunctatore componit. Pigrum sane facinus, viroque strenuo fortique indignum ille commisit, qui suæ consulens saluti tantas ipsius vecordia clades peperit. Magnus tamen ex eo, quod post unam alteramque acceptam cladem, vivere etiamnum

NOTÆ

37 *Quid referam Cannas, &c.*] His 6. vss. tertio probat ab exemplis et asserit fati rationem, cui tribuit cladem Romanorum apud Cannas et Thrasymenum lacum; arma mœnibus Romæ ab Hannibale admota; Fabii prudentiam, qui cunctando rem Romanis restituit; Carthaginis obsidionem; Hannibalisque fugam ac mortem. Cannæ igitur vicus est in Apulia, Romanorum clade notissimus; apud hunc enim vicum Hannibal P. Æmilium et Tit. Varronem Coss. Romanos superavit, Liv. XXII.

Admotaque mœnibus arma] Quanquam non admota quidem, licet id Hannibali Maharbal ejus equitum præfectus suaserit, si Livio credimus XXII.

38 *Varronemque* [*pigrum*], *&c.*] Ita Vulg. et Rom. bene; namque Terentius Varro post cladem apud Cannas acceptam, iterum apud Thrasymenum victus est, Liv. XXII. Itaque Manilius vocat eum magnum, quippe qui post istas clades animum non abjecerit, nec de Rep. desperavit; unde redeunti obviam itum est, actæque gratiæ ab omnibus ordinibus, Liv. XXII. Pigrum autem vocat eum, qui post istas clades adhuc tamen vivere potuerit; quasi Poëta illi ignaviam exprobraret. Scaliger autem legendum putat: *Varronem profugum, magnum-quam vivere posse.* Quia, inquit, fuga vitæ consuluit in Cannensi clade: *magnum* igitur *quam*, i. e. magnum quantum vivere potuerit, idque post cladem apud Thrasymenum acceptam. Durior sane verborum interpretatio.

Postque tuos, Thrasimene, lacus) Fabiumque morando?
Accepisse jugum victas Carthaginis arces?
Speratum Hannibalem nostris cecidisse catenis
Exilium regi furtiva morte luisse?

posset etiam post tuos lacus, o Thrasymene? Quid referam Fabium Cunctatorem? Quid dicam urbem Carthaginis devictam fuisse, et tulisse jugum Romanorum? Quid dicam Hannibalem expectatum venisse in nostra vincula, et solvisse exilium

potuit, nec abjecto animo de Republica desperavit: unde redeunti obviam itum est, actæque gratiæ ab omnibus ordinibus: Auctor Livius XXII. 39. *morando*] Cod. Paris. et Regiom. *morantem*, quod admittas necessum est, si vs. præc. legeris *pigrum, magnum*.' Stoeb.—40 'Libri veteres, *victa*; ut infra 780. 'Inferius victæ sidus Carthaginis arces.' Sed hic spurius est. Populi enim jugum accipiunt, non arces.' *Bent.*—41 Rom. et vulg. *Spectatum Hannibalem*. Melius Gemblacens. et textus Bonincontrii, *Speratum H. nostris cecidisse catenis*. Frustra enim legatione Romana a rege Prusia petitus catenas veneno hausto prævenit. Bonincontrii textus habet *Speratum*, quum tamen interea ipse *Spectatum* legat. Haud dubie interpolatio est ab illo: *cecidisse catenis*, cecidisse in catenas, ut supra 'trahere morti,' trahere in mortem. 'Immatura trahent natales corpora morti.'' *Scal.* 'Alii *Spectatum*, quod sonat quandoque expectatum: et hoc quidem hujus loci est.' *Stoeb.*—42 Rom. et vulg. *Exilium rogi*. 'Quid est *exilium rogi?* Quam inepte hoc conceptum est. Legebamus olim: *Spectatum H. n. c. c. E. regi f. m. l.* nisi quod nunc legimus *Speratum*. Hannibal, quem Romani sperabant casurum in catenas suas, hausto veneno ignominiam antevertit. Gemblacensis habet: *Speratum H. n. c. c. Exiliumque rei f. m. l.* poterat tolerari. Nam tanquam exul reus, non profugus latuit apud Prusiam: quia a Romanis petebatur. Itaque luit exilium rei furtiva morte: tanquam reus exilio damnatus obiit. Sed hoc sententiæ tenor non patitur, quia priorem versum disjungit a posteriore, quum prior per se constare non possit.' *Scal.* [Vide inter notas Huetii huic editioni appensas.] 'Gemblacensis *Exiliumque rei*; Lipsiensis, *Exiliumque regi*; Vossianus, *Exiliumque rogi*. Spurii sunt, barbarique. *Speratum cecidisse*; hæc temporibus pugnant: *sperare* de futuro dicitur, *cecidisse* præteritum est. Quid porro est *cadere catenis?* cur *nostris?* quasi Auctor ab atavis Romanus esset. Jam vero *luisse exilium rei*, vel *regi*, vel *rogi*, quocumque legeris modo, nihil egeris. Quid dicere conaretur tenebrio, conjectare poteris; sed conantem sermo destituebat. Apud Silium XVII. 368. Juno ad Jovem de Hannibale, 'Neve sinas captum Ausonias perferre catenas.'' *Bent.* 'Cuinam vero *regi?*

NOTÆ

39 *Thrasimene*] Thrasymenus lacus est in agro Perusino, Hannibalis victoria, Flaminiique Consulis Romani, ac T. Varronis clade nobilitatus, Liv. XXII.

Fabium] Quintum Fabium Maximum, de quo I. 788.

40 *Accepisse jugum, &c.*] Victi enim tandem Carthaginienses apud Zamam, Africæ oppidum, durissimas pacis conditiones pro victoris Scipionis arbitrio coacti sunt accipere.

41 *Speratum Hannibalem, &c.*] Hannibal enim a Scipione victus ad Antiochum regem confugit, cujus opem imploravit: sed, debellato quoque Antiocho, Romani petierunt sibi tradi Hannibalem captivum: quod Hannibal timens ad Bithyniæ regem se contulit, sed iterum petitus a Romanis in vincula, hausto veneno, mortem sibi conscivit.

Adde et utrimque Italas acies, Romamque suismet
Pugnantem membris. Adice et civilia bella;
Et Cinnam in Mario, Mariumque in Cæsare victum:

sui criminis morte clam præventa? Adjunge quoque vires Italorum, et Romam decertantem cum propriis suis civibus? Adde etiam civiles Romanorum motus? Adde et Cimbrum debellatum in Mario, et Marium in custodia; adde quod hic fuit toties

Prusiæ fortassis, apud quem Hannibal quasi exul latuit. Nugæ. Hunc enim de hospite pœnas sumsisse, qua, quæso, credi ratione potest? Quapropter videndum, an non sententiæ magis conveniat hoc *rogi*, quod cum Cod. Vossiano Regiom. et ceteri nostri impressi agnoscunt. Quo quidem admisso, facile tibi persuadebis, Manilium, si modo hi sex versus e legitima ejus sunt familia, dedisse non *Exiliumque regi*, quæ lectionis veræ vestigia præbent Codd. Paris. et Lips. sed *Exitiumque rogi*. Quo pateat, quale *exitium* seu supplicium Hannibal furtiva morte luerit, seu potius præverterit. Et hoc erat in fatis.' *Stoeb.* Delph. *Exiliumque rei.* '*Rei*, i. e. criminis. Namque, ut ait Cic. pro Milone, 'Res est crimen in communi: crimen, actio criminosa suis circumstantiis adornata.' Itaque Hannibal tanquam reus exul latebat apud Prusiæ Bithyniæ regem: furtiva autem morte exilium luit suum.'—43 Rom. et vulg. *etiam Italicas vires.* Gemb. *etiam vires Italas.* Et sic Scal. et Delph. 'Venetus omittit *vires;* et Lipsiensis superne inter lineas habet. Sane *vires Italæ* parum hic conveniunt: quæ æque in externo, ac in domestico bello ostenduntur. Vossianus, *Adde etiam Italas acies, Romamque.* Repone, *Adde et utrimque Italas acies, Romamque suismet Pugnantem membris.* Intelligit bellum sociale; sive, ut Paterculus vocat, 'bellum Italicum:' mox dicturus de bellis civilibus.' *Bent.* 'Hoc *acies* e Cod. Vossiano commode dedit Bentleius. Malim retinuisset integram illius Cod. lectionem: *Adde etiam Italas acies, Romamque, &c.* Codd. Lips. Paris. et impressi nostri habent, *Adde etiam Italicas vires*, pro quo forte legendum *vices*, belli scil. Italici: sed neutrum magis est concinne dictum, quam *acies*.' Stoeb.—45 Scal. Delph. et vulg. *Cimbrum in M. M. q. in carcere v.* 'Sic scripti omnes editique; neque miror, si lectio fronte prima speciosa tamdiu fucum interpretibus fecit. Cimbri enim a Mario victi sunt, et Marius Minturnis in carcere jacuit. Sed dic modo verum, An bellum Cimbricum, duce Mario gestum, civile fuit, ut sententia hic postulat? an Marius victus est in carcere; qui inde dimissus, victis adversis partibus, consulatum septimum adeptus est? Restituo tibi verissimam lectionem, *adice et c. b.; Et Cinnam in M., M. que in Cæsare v.* Cinna, Marius, Cæsar, omnes in iisdem partibus. Ut Cinnæ potentiam excessit Marius, ita Marii Cæsar. Notum illud Syllæ dictum, 'Cæsari multos Marios

NOTÆ

43 *Adde et utrimque, &c.*] His 7. vss. quarto probat ab exemplis et asserit fatorum inevitabilem rationem, iisque tribuit civilia Romanorum bella; Cimbrorum cladem; Marii consulatum, exilium, carcerem, et victoriam adversus Carthaginienses.

45 *Cinnam* [*Cimbrum*] *in Mario, &c.*] Cimber gentile nomen est. Cimbri autem populi fuere septemtrionales, quos hodie Danos vocant. Illi autem Saxonici maris peninsulam incolentes, quæ ab ipsis dicta est Cimbrica Chersonesus, an. U. C. DCXL. una cum uxoribus et liberis Narbonensem provinciam ingressi a C. Mario Romano deleti sunt apud Aquas Sextias. Plutarch.

Quod consul totiens, exul; quod de exule consul;
Quod jacuit Libycis compar jactura ruinis,
Eque crepidinibus cepit Carthaginis orbem;

consul et exul factus, et iterum ex exule factus consul; et quod idem fuit clades conveniens cladibus Libycis, et quod e saxis, quibus ille jacebat, occupavit urbem Car-

inesse.' *Victum in Mario*, ut v. 572. 'victorque Medusæ Victus in Andromeda est.'' *Bent.* 'Vulgata nostris libris lectio habet, *Et Cimbrum in M., Mque in carcere v.* Quæ quidem cum veritate non pugnant, sed cum sententia Manilii; siquidem bellum Cimbricum ad civilia bella, de quibus hic sermo, non pertinet.' *Stoeb.*—46 Scal. Delph. et vulg. *exulque ex exule.* 'Lipsiensis cum Vossiano, *exul quod exule consul;* Venetus, *exul quod consul et exul;* Gemblacensis, *exul quodque exule consul.* Repone, *Quod c. totiens, exul; quod de ex. c.* Vidit et acutissimus Gronovius, Observ. IV. 20.' *Bent.* 'Cod. Paris. hunc versum ita legendum præbet: *Qui consul totiens exulque et in exule consul.* Rectior Regiom. lectio, cum hac interpunctione: *Quod consul totiens exul (:) quod ex exule consul.* Vulgatum, *de exule*, tuetur Gronovius Observ. IV. 20. *Totiens*] Hanc scribendi rationem, (quam omnibus in hoc carmine locis Bentleius servavit, præterquam I. 183.) probat et confirmat Castalio ad Rutil. I. 5. Secus autem Barth. ad eund. loc.' *Stoeb.*—47 Scal. Delph. et vulg. *Et jacuit.* 'Vetusti codices *adjacuit.* Neutrum placet: sequeretur enim, ut post exilium consul factus tum adjacuerit: quod falsum est. Repone, *Quod jacuit, &c.* Pendet oratio usque vs. 49. Nisi fata hoc darent, quod ex consule exul, &c. *At* et *quod* litera tantum in scriptis differunt, *ad*, *qd.*' Bent. 'Cod. Paris. et Regiom. cum impressis recentioribus, *Et jacuit.* Cod. Lips. et, recensente quidem Gronovio l. c. Gemblac. ac Venetus, *Adjacuit*, quod legendum fortassis, *At jacuit.* Notandum autem, *jacturam*, a jacendo quippe, non jaciendo, hoc loco æquipollens esse ruinæ. Est idem jacere quod apud Poëtam: 'jacere Uno non potuit tanta ruina loco.' Sic eadem voce *jactura* usus est Lucanus VIII. 'Una nota est Magno capitis jactura revulsi.' q. d. caput jacens modo, &c. Ceterum ab eodem Lucano ista Marii cum Carthagine collatio adumbrata II. 91. sqq. 'solatia fati Carthago Mariusque tulit, pariterque jacentes Ignovere Deis; Libycas ibi colligit iras Ut primum Fortuna redit,' &c.' *Stoeb.*—48 Vulg. *Atque cr.* Hic Scal. '*Eque cr.* Ibid. *cepit C. orbem*] Recte olim conjiciebamus τὸ *orbem* νοθεύειν. Gemblacensis veram lectionem aperuit, *C. arces:* lege ergo, *urbem.*' Et sic Delph. 'Vetusti quattuor *seque:* Gemb. Lips. Venet. *Carthaginis arces:* quod et Scal.

NOTÆ

Mariumque in Cæsare [*carcere*] *victum*] C. Marius, qui septies consul factus fuit, ac multoties exul, Cimbros in Gallia, Teutonesque in Italia vicit; Jugurtham captum ante currum egit; a Sylla victus, et in carcerem missus est. Plutarch.

47 *Libycis compar jactura ruinis*] Carthaginiensibus cladibus ipse Marius clades fuit et exitium. Sicut enim Scipio Hannibalem, ita Marius Jugurtham debellavit. Uterque igitur horror, clades, ac fatum Carthaginis fuit, I. 790.

48 *Eque crepidinibus, &c.*] Crepido saxum est in quo mendici considere solent. Marius autem, quia ignobili loco natus, e crepidinibus factus est consul, ac Carthaginienses expugnavit. Senec. 'Quis crederet jacentem super crepidinem Marium aut fuisse, aut futurum consulem?' Id sane fata quoque dedisse fatendum est.

Hoc nisi fata darent, nunquam fortuna tulisset.
Quis te Niliaco periturum littore, Magne,
Post victas Mithridatis opes, pelagusque receptum,
Et tres emenso meritos ex orbe triumphos,
Cum jam etiam posses alium componere Magnum,

thaginis? Sane nisi fata tribuerent istud, nunquam fortuna permisisset. Quis pariter crederet te, o Magne Pompei, post superatas a te vires Mithridatis, et post mare recuperatum a te, et post tres triumphos, quos dignus egisti propter orbem terrarum a te peragratum, quando etiam adhuc poteras agnoscere alium magnum orbem

probat, quamquam in textu *urbem* dederit. Neutrum tamen recte: quippe illa tum constructio foret, *urbem*, vel *arces Carthaginis;* non, quod sententia poscit, *crepidinibus Carthaginis.* Voss. et recentiores *orbem* habent. Recte. *Cepit orbem:* quicumque enim rebus tum Romanis præerat, orbis erat dominus.' *Bent.* 'Regiom. et ejus posteri, *Atque cr.* Cod. Lips. cui addit Gronov. l. m. c. Gembl. et Venet. *Seque.* Hoc Paris. in margine pro var. lect. in versu, *Atque.* Hic vero mox *urbem,* pro quo Regiom. ceterique rectius, *orbem.* Qui enim Romam caperet, eo ævo orbem capere dicebatur. Marius redux e Carthaginis crepidinibus et ruinis, Romam cepit, omnem Italiam cædibus implevit, proceres plerosque ferro ignique exstinxit. Vide Florum. Hoc eleganter Manilius orbem ex ruinis Carthaginis cepisse dicit, ut depressione contrariarum partium totum, quod molitur, admirabilius faceret.' *Stoeb.* —53 Scal. Delph. et vulg. *Cognoscere.* 'Quid sit *alium magnum cognoscere,* dissimulant interpretes. *Posses cognoscere,* de Cnæo filio dici non potest. Sin de alio quoquam, quam filio, dicitur, potentiæ aut socium aut æmulum indicat; neque auget miraculum talis postea exitii, sed minuit. Vetusti quattuor recte, *componere magnum.* Cum tantæ potentiæ esses, ut etiam alium, cuicumque favere velles, posses magnum efficere. Simile est illud Senecæ de Augusto. Brev. Vit. c. 5. 'Hoc votum erat ejus, qui voti compotes facere poterat.'' *Bent.* 'Gemblac. legente Scaligero, *Cum jam et jam;* quod dictum ut, magis magisque. Minus dure sonat lectio Regiom. et cet. impr. *Cumque etiam possis, &c.* non *posset,* nec *possent,* quod maluit Barthius; utrumque enim filum apostrophes *Quis te* (vs. 50.) abrumpit. *Componere,* sic Codd. Paris. Lips. et cusi vett. recte. Qui enim malunt *cognoscere,* illustres duumviri Scaliger et Barthius, sententiæ vim et acumen non augent, sed im-

NOTÆ

50 *Quis te Niliaco, &c.*] His 7. vss. quinto idem confirmat ab exemplo Pompeii Magni, qui post triumphos actos, post victum Mithridatem Ponti regem, post pelagus receptum et a piratis liberatum, post peragratum totum terrarum orbem, tandem cæsus fuerit apud littora Ægypti, et corpus ejus crematum. 'Hoc nisi fata darent nunquam fortuna tulisset.'

Niliaco] Ægyptiaco. Nilus enim Ægypti fluvius est notissimus.

Magne] Suppl. Pompei, qui cognominatus est Magnus propter rerum ab eo gestarum magnitudinem.

51 *Mithridatis*] Regis Ponti, quem Sylla fudit, Lucullus superavit, fregit Pompeius.

Pelagusque receptum] Prædonibus enim mare liberavit Pompeius, clausumque mercatoribus reclusit.

52 *Tres . . . triumphos*] 1. De Iarba. 2. de Mithridate. 3. de Antiocho Judæorum rege.

53 *Alium magnum*] Sup. orbem terrarum.

Crederet, ut corpus sepeliret naufragus ignis,
Ejectæque rogum facerent fragmenta carinæ?
Quis tantum mutare potest sine numine fati?
Ille etiam cœlo genitus, cœloque receptus,
Cum bene compositis victor civilibus armis
Jura togæ regeret, totiens prædicta cavere
Vulnera non potuit: toto spectante senatu,

terrarum, quis crederet, inquam, ut ignis accensus ex navi naufraga inhumaret corpus tuum, et segmenta navis ad littus allisæ componerent rogum tibi? Quis valet variare tantam rem sine potestate fati? Ille quoque oriundus in cœlo, et relatus in cœlum, postquam, bellis civilibus rite sedatis, victor diceret jus in foro, non potuit evitare vulnera sibi prænuntiata, in conspectu totius senatus, et pro-

minuunt. Quorum alter sui oblitus quasi, ad Rutilium notavit: 'Romani scriptores hoc verbo, *componere*, de iis utuntur, qui sua velut morte cum suis, inque suis penatibus diem ultimum clauserunt.' Atque sic omnino vox accipienda in illo quem V. D. declarat Rutilii exemplo, I. 161. 'patriis vitam componere terris.' Et, 'diem componere' quid aliud apud Virgil. Æneid. I. 378. quam finire? quemadmodum dies quoque dicuntur nasci et mori, v. g. 'jam moriente die' Stat. IV. Silv. 6. 3. Videtur autem illud *componere* sumi pro efferre, q. e. sepelire. Aliter enim intelligi nequit Horatius, a Barthio quoque excitatus, I. Serm. 9. 28. 'est tibi mater? Cognati, queis te salvo est opus? haud mihi quisquam: Omnes composui. Felices! nunc ego resto.' Hinc perspicua Manilii mens est: Cum etiamnum potuisses sepelire alium magnum, i. e. quemcunque tuæ potentiæ æmulum, tu ipse ad littora Ægypti in rogum tumulumque elatus es. 55. *Ejectæque*] Magis proprie Cod. Paris. et Regiom. *Et collecta rog. fac. fragmenta car.*' Stoeb.—56 Rom. et vulg. *Et collecta rogum.* 'Unius literulæ mutatione legimus ex Gemb. *Ejectæque rogum f. f. c.* Ejectam carinam dixit, quæ ex naufragio in litus a mari ejecta fuerat ex qua rogus constructus, quemadmodum rogum ipsum vocat naufragum ignem. Sed vulgaris lectio videtur interpolata ex Lucano: 'summas dimovit arenas, Et collecta procul laceræ fragmenta carinæ Exigua trepidus

NOTÆ

54 *Naufragus ignis*] Qui ex naufraga navi accensus Pompeii corpus combussit in ipso littore Ægyptiaco.

55 *Carinæ*] Navis; pars pro toto. Est enim carina trabs ingens, quæ in navibus locum tenet fundamenti.

57 *Ille etiam, &c.*] His 6. vss. sexto probat ab exemplo J. Cæsaris et asserit ipsum fati numen. Is enim non potuit vitare vulnera, quibus in ipsa curia confossus est, licet ipsi prædicta fuissent per literas, quas legere fata non dederunt, antequam in senatum veniret.

Cœlo genitus] Julius enim Cæsar ab Iulo, Æneæ ex Venere filio, originem duxisse dicitur. Virg. Æneid. I. 286. 'Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar, Imperium oceano, famam qui terminet astris; Julius, a magno dimissum nomen Iulo.'

Cœloque receptus] Inter Deos relatus, I. 9.

59 *Jura togæ regeret*] Jus diceret ac describeret. Fuit enim toga prætexta vestis magistratuum ac senatorum Romanorum, cujus color albus, sed ora inferior purpura prætexta.

Indicium dextra retinens nomenque, cruore
Delevit proprio; possent ut vincere fata.
Quid numerem eversas urbes, rerumque ruinas?
Inque rogo Crœsum; Priamumque in littore truncum,
Cui nec Troja rogus? quid Xerxem, majus et ipso

prio sanguine diluit nomen percussorum futurorum et chartam indicem, quam dextra tenebat, scilicet ut fata possent superare. Quorsum referam civitates dirutas, et clades regum? et Crœsum impositum rogo, et Priamum necatum in littore, cui neque ipsius Trojæ incendium rogus fuit? Quid memorem Xerxem, qui ipse fecit

---

posuit scrobe.'' *Scal.*—61 'Fortasse, *omenque cruore.* Legendum *monimen*: idem est cum indicio. Delevit cruore indicium et monimen, quod dextra retinebat.' *Scal.* [Vide inter notas Huetii huic editioni appensas.] 'Recte Cod. Paris. *indicium*, non *judicium*, quod habet Regiom. in hoc ab omnibus desertus. Innuit autem epistolam, quæ Cæsari tradita fuit in senatum eunti, de qua Sueton. Cæsare: 'Libellum insidiarum indicem ab obvio quodam porrectum libellis ceteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit.' Quocirca differt Suetonius a Nostro, qui *dextra* eum tenuisse libellum dicit. Notanter autem addit, eum cruore proprio delevisse nomen scil. percussorum, quod literis erat significatum. Confer Gronov. Lect. Plaut. p. 30.' *Stoeb.*—63 Scal. Delph. et vulg. *regumque.* 'Immo potius repone *rerumque;* ut I. 902. 'Nec mirere graves rerumque hominumque ruinas.' Virg. Æn. XI. 310. 'Cetera qua rerum jaceant perculsa ruina.'' *Bent.* 'Restituendum ex libris nostris, *regumque.* Neque enim Crœsus, Priamus, Xerxes, quorum exempla statim profert, rebus, sed *regibus* omnino sunt accensendi.' *Stoeb.*—65 'Profecto Manil. scripsit, *quid Xerxæ majus.* Nam dixit *regumque ruinas:* ergo et Xerxæ ruinam et naufragium dicit. Tantum naufragium, ut ne ipso quidem pelago capi posset.' *Scal.* Vid. Not. inf.

NOTÆ

Aliquando vel pro ipso senatu seu curia, vel pro magistratu usurpatur.

61 *Indicium*] Epistolam indicem, quæ Cæsari reddita fuit, cum in senatum iret, in qua nomen percussorum suorum scriptum, nexque sibi prædicebatur; sed quam legere sibi fata non dederunt, ut vincere possent.

63 *Quid numerem, &c.*] His 6. vss. septimo probat et asserit fatum ab exemplis præsertim Crœsi, Priami, Xerxis, Servii Tullii, et Metelli, quibus quæ contigerunt, non nisi ex fatis contigerunt.

64 *Inque rogo Crœsum*] Crœsus enim Lydorum rex ditissimus a Cyro victus, captus, atque vivus rogo impositus fuit; ex quo tamen liberavit eum Cyrus humanæ vicissitudinis memor. Plutarch. in vita Solonis, et Herod. I.

Priamumque in littore truncum] Priamus enim Trojanorum rex a Pyrrho Achillis filio cæsus fuit, ejusque caput amputatum a reliquo corpore jacuit in littore, adeo ut nec cum ceteris Trojanis in ipso Trojæ incendio crematum fuerit.

65 *Cui nec Troja rogus*] Qui nec in ipso Trojano incendio fuit crematus.

Quid Xerxem, &c.] Suppl. memorem. Scaliger, *quid Xerxis majus, &c.* Quasi de solo Xerxis naufragio loquatur Poëta. Utraque lectio probatur. Tantum autem naufragium fecit Xerxes, ut vix in ipso pelago capi posset; mille enim navibus et amplius mare

Naufragium pelago? quid Graio sanguine regem
Romanis positum? raptosque ex ignibus ignes,
Cedentemque viro flammam, quæ templa ferebat?

naufragium majus ipso mari? Quid referam regem olim datum Romanis ex stirpe captiva? Quid dicam quoque flammas ereptas flammis, et ignem parcentem homi-

—66 'Rom. et vulg. *quid captos agmine reges Romanis positos.* Hæc monstra non possunt confici sine Hercule, h. e. Gemb. libro. Is habet, *quid capto sanguine regem Romanis positum.* Pro *quid* tantum *quod* scriptum erat. Servium Tullum natum capto sanguine, nimirum captiva Ocrisia Ocriculana, aliis Corniculana, Romanis regem impositum fuisse nemo nescit. Captum sanguinem pro captivo eo modo dixit quo Catullus et Horat. 'maritam' pro maritali. De vulg. lect. et Bonincontrii interpretatione dicerem, si horas perdere vellem.' *Scal.* '*Capto sanguine* de Servio rege interpretantur. Sed locutio ista, *capto sanguine*, et sine exemplo et sine ratione est. Repone, *quid Graio, &c.* Tarquinium Priscum intelligit, prius Lucumonem dictum, filium Demarati Corinthii; Liv. I. 34. Atque hoc ut mirabile narrat, ut Romani Trojano sanguine haberent regem Graio sánguine. Sic Virg. 'Italo sanguine.' *Graio* autem in *capto* mutatum est, pari fere errore, ac III. 630. *graius* in *campus.*' Bent. 'Qui hæc ex ingenio suo dedit, Bentleius, Tarquinium Priscum intelligit, prius Lucumonem dictum, filium Demarati Corinthii. Liv. I. 34. Sed Cod. Paris. et Regiom. alium, eumque commodiorem huic loco sensum tribuunt hac luculenta lectione cum interpunctione Regiom. *quid captos agmine reges Romanis (?) positos raptosque, &c.* *Romanis* pro a Romanis, *positos* scil. ignes Vestæ templo, raptosque ignes Palladios sive Vestales, quos Metellus ex ipso templi incendio eripuit. Liv. III.' *Stoeb.*—68 Scal. Delph. et vulg. *qui t. f.* 'De Metello recte accipiunt; sed quomodo is ferebat templa? collo an manu? Repone *flammam quæ t. f.*' Bent. 'Illud *quæ* a Barthio olim tentatum, et a Cod. Paris. præstitum, Bentleius in textum recepit. Cui quidem ille facturus fidem, reconditiorem ait voci *ferre* usum esse, quem depromit ex illo Virgilii Æn. II. 374. 'Alii rapiunt incensa feruntque Pergama,' id est, vastant. Servius autem sensum ad receptam vocis notionem flectens, putat, illud *ferunt* ἐμφατικῶς dictum, 'quasi ipsam funditus urbem in victoriam suam transferunt.' Nulla autem, ut a vulgari vocis usu recedamus, nos urget necessitas. Proinde, nisi Poëta dederit, *quæ in templa furebat*, vetus Regiomontano posterisque ejus vulgata lectio bona retineri fide potest: *qui templa ferebat.* Cavesis autem *templa* pro ipsis sacris ædificiis accipias. Alia suppetit

NOTÆ

straverat, sed a Themistocle victus una parvula cymba mortem effugit. Justin. II.

66 *Quid Graio* [*capto*] *sanguine, &c.*] Notat Servium Tullium sextum Romanorum regem, qui ex captiva licet, seu serva, Ocrisia Ocriculana, vel, ut aliis placet, Corniculana oriundus, Romanorum tamen rex fuit, Liv. I.

67 *Raptosque ex ignibus ignes*] Vestales ignes raptos seu surreptos a Cæcilio Metello Pontifice Maximo ex flammis, dum Vestæ templum arderet. Liv. III. Sunt qui hæc interpretantur de Palladio, quod Æneas Trojanis flammis eripuit.

68 *Cedentem viro flammam*] Igne quidem non extinctus est Metellus, sed visu tantum orbatus.

Templa] Vel sacra, sacros ignes, Vestam ipsam, Vestales ignes; vel Palladium. Continens scilicet pro contento. Quanquam res sacræ 'templa' quoque vocantur.

Quot subitæ veniunt validorum in corpora mortes?
Seque ipsæ rursus fugiunt, errantque per omnes.
Ex ipsis quidam elati rediere sepulchris:
Atque his vita duplex, illis vix contigit una.
Ecce levis perimit morbus, graviorque remittit:
Succumbunt artes, rationis vincitur usus.
Cura nocet, cessare juvat: mora sæpe malorum
Dat causas; læduntque cibi, parcuntque venena.

ni, qui portabat sacra Deorum? Quot repentinæ mortes accidunt in corpore hominum firmorum? et iterum mortes ipsæ sese effugiunt, et vagantur per flammas? Sunt qui ex ipsis tumulis surrecti reversi sunt: et gemina vita data est aliis, aliis vero vix una concessa fuit: en minor morbus interimit, en major parcit: artes medicæ deficiunt, et ipsa ratio superatur; hic cura morbi obest, illis præstat desinere curare morbum: plerumque dilatio curæ causa est morborum: et sæpe

hujus vocis significatio. Sunt enim *templa* id quod tigna, quæ in sacro ædificio transversa ponuntur: Auctor Festus apud Gothofr. col. m. 464. pr. Hoc sensu Vitruvius semel iterumque vocem usurpavit. v. c. IV. 2. 'Columen et canterii prominentes ad extremam subgrundinationem. Supra canterios, templa: deinde insuper sub tegulas, asseres, &c.' Idem IV. 7. med. ubi vide notam. Jam vero quid magis factu opus ad flammam infringendam, quam extorquere ejus furori tigna eaque auferre? Hinc igitur miraculi ratio petenda, quod ea flamma quæ sacræ sedi nec propter religionem nec propter amplitudinem et materiam parcebat, viro tamen, Metello scilicet, non unum saltem sed plura tigna trabesque auferenti, pepercit, neque eum devoravit, sed visu tantum privavit.' *Stoeb.*—70 Scal. Delph. et vulg. *per ignes.* 'Illud *per ignes* sensu vacuum est; nec conatus est quisquam interpretari. Repono *errantque per omnes.* Sic infra 97. de fortuna, 'Sed vaga per cunctos nullo discrimine fertur.' et III. 529. de eadem, 'Amisitque fidem variando cuncta per omnes.'' *Bent.* 'Libri scripti pariter ac cusi omnes, *per ignes.* Vitiata autem interpunctio sensum turbat. Legendum videtur et distinguendum: *Seque i. r. f. e. que* (.) *per ignes Ex i. q. e. r. s.* Itaque disjunctim hæc cape: Quidam per ignes rediere, quidam elati ex ipsis sepulcris, scil. rediere. Non enim de una gente, sed de omnibus in universum sermo est Poëtæ, quorum in cadaveribus tractandis varii omnino mores, varia instituta.' *Stoeb.*—72 'Redde, quasi scriptum esset, *aliis vix cont.* Loquitur de illis, qui statim ut nati, moriuntur. Regiom. *Atque iis vita duplex: illis vix, &c.* Sic 'per illum,' 'ex illo' mox vs. 78. sq. pro, per alium, ex altero.' *Idem.*—74 'Opponit arti medendi usum rationis, qui subinde plus valet ad ægrum relevandum. Itaque præstat legere *usu*, in hunc sensum: Morbus, cui artes succumbunt, sæpe solo rationis

NOTÆ

69 *Quot subitæ, &c.*] His 8. vss. octavo probat et asserit fati vires ex vario mortis ac morborum genere. Quot enim subitæ mortes; quot mortis errores etiam in ipsis flammis; quot mortuorum resurrectiones; quot morbi leves, mortiferi tamen; quot graviores, non letiferi; quot curæ morborum inutiles, quotve utiles; quot alimentorum usus nocentes, aut venenorum haustus parcentes, tot, inquit, sunt argumenta fati potentis,

Degenerant nati patribus, vincuntque parentes,
Ingeniumque suum retinent. Transitque per illum,
Ex illo fortuna venit. Furit alter amore,
Et pontum tranare potest, et vertere Trojam:
Alterius sors est scribendis legibus apta.
Ecce patrem nati perimunt, natosque parentes:
Mutuaque armati coëunt in vulnera fratres.
Non hominum hoc scelus est: coguntur tanta moveri,

alimenta nocent et venena non nocent. Filii aliquando degeneres sunt parentibus, aliquando superant patres suos, et servant eorum indolem ac mores: et fortuna aliquando præterit per hunc, aliquando venit ab illo: alter insanit amore, et potest trajicere mare, et destruere Trojam: alter vero aptus est ad leges faciendas: en filii interficiunt patrem suum, et patres suos filios, et fratres arma gerentes concurrunt ad mutuas plagas. Hæc autem pugna non est nostra: homines impelluntur ad excitandas tales pugnas, et ad agendum in sua supplicia, et in dilanian-

---

usu vincitur.' *Idem.*—81 'Cod. Lips. cumque hoc Paris. et Regiom. rectius legunt *frons*, pro quo alter dixerit *ingenium*.' Idem.—84 Scal. Delph. et vulg. *nostrum hoc bellum*. 'Si *nostrum* recte se haberet; dixisset utique *cogimur*, non *coguntur*. Quid autem? An bellum est, si natus patrem, aut natum pater, aut frater fratrem occidat? Repone, *Non hominum hoc scelus est: c. t. moveri*. Astris hæc scelera ascribit, non hominum malitiæ. Quod et in sequentibus porro agit, ut versu 98. 'Scilicet est aliud quod nos cogatque regatque.' et 108. 'Nec tamen hæc ratio facinus defendere pergit.' et 117. 'Nec refert, scelus unde cadat, scelus esse fatendum.' *Hnum, nrum*; error ex compendiis natus.' *Bent.* 'Regiom. et ceteri impressi juxta cum scriptis Gembl. Paris. et Lips. *Non nostrum hoc bellum est*. Loquitur ex ore Epicteti: Non *nostrum*, τὸ οὐκ ἐφ' ἡμῖν, *in nostra potestate situm non est* vel inferre hoc bellum, vel defugere. *Bellum* autem quævis violenta contentio.' *Stoeb.* Ibid. Rom. et vulg. *C. t. movere*. 'In Gemblac. est Hellenismus: *c. t. moveri*. Neque dubium est scripturam veram esse. Sic Lucanus: 'Jupiter est, quodcunque vides, quodcunque moveris.' ut habent bonæ notæ codices.' *Scal.* 'Illud *coguntur* impersonaliter accipiendum. Pro *moveri* legendum *movere*, quod diserte

NOTÆ

77 *Degenerant nati, &c.*] His 9. vss. nono probat fati rationem immutabilem ex majori, aut ex degeneri filiorum virtute a parentibus; ex felici aut infelici cujusque sorte; ex vario hominum studio aut affectu; ex patricidiis aut fratricidiis.

78 *Transitque per illum, &c.*] I. e. ille infelix et infaustus est.

79 *Ex illo fortuna venit*] I. e. ille felix et faustus est.

80 *Et pontum tranare potest, &c.*] Paridem sane notat Trojanum, qui in Græciam vela fecit, insanoque amore Helenæ, Menelai uxoris, captus, eam rapuit, inque causa fuit, cur Græci Trojanis bellum intulerint, Trojamque incenderint. Scaliger autem interpretari mavult de Leandro, qui ex Abydo, Asiæ minoris urbe, in Sestum urbem, Hellus puellæ amore captus, natato Hellesponto mari tranavit. Unde hæc verba 'et vertere Trojam' interpretatur, mutare, deserere, relinquere Trojam. Quasi vero! Non Trojam sane, sed Abydum reliquit Lysander, ut in Sestum tranaret.

Inque suas ferri pœnas, lacerandaque membra.
Quod Decios non omne tulit, non omne Camillos
Tempus, et invicta devictum mente Catonem;
Materies in rem superat, res lege repugnat.
Et neque paupertas breviores excipit annos,
Nec sunt immensis opibus venalia fata.

dos suos proprios artus. Præterea, si omne sæculum non habuit Decios, aut Camillos, aut Catonem invincibilem, qui mortem vicit, materia quidem abundat in hanc rem, verum reluctatur ex decreto fati. Neque etiam pauperies habet breviores annos, nec mortes venduntur etiam ingentibus divitiis: sed sors fatalis ducit

prodit Cod. Paris. et libris nostris editum. Cod. Lips. *moventur*. male.' *Stoeb.* —85 'Ut Erysicthon apud Ovid. Met. VIII. 875. 'Vis tamen illa mali postquam consumpserat omnem Materiam, deerantque gravi nova pabula morbo; Ipse suos artus lacero divellere morsu Cœpit, et infelix minuendo corpus alebat.' *Deerant*, inquam, hic lege; non, ut scripti editique, *dederat*.' Bent. —86 Vulg. *Et Decios non omne tulit*. 'Totam hanc periochen longe melius concipit Gemblacensis: *Quod Decios non omne tulit, non omne Camillos Tempus, et invictum devicta morte Catonem, Materies in rem superat, sed lege repugnat*. Non deerat quidem materia nascendis Catonum similibus, sed lex fati repugnat.' *Scal.* '*Quod D.*] Sic ex Gembl. Scaliger. Consentit Lips. *Et D.* quod est etiam, Cod. Paris. Regiom. ceterique vulgati.' *Stoeb.*—87 Scal. Delph. et vulg. *invictum devicta morte*. 'Male Gemb. *et invicta devictum morte*.' Scal. 'Gemblacensis, Lipsiensis, et Vossianus *invicta devictum*. Repone, *et invicta devictum mente C.* Catonis partes devictæ erant, ipsius mens invicta. Horat. Carm. II. 1. 23. 'Et cuncta terrarum subacta Præter atrocem animum Catonis.'' *Bent.* 'Ita Bentleius, cui trium Codd. Ms. lectio favet in his, *invicta devictum*; illud vero *mente* nullus agnoscit, *morte* vero legunt omnes. Multo certe probabilior lectio, quam post Regiom. et ceteros Scaliger dedit, *et invictum devicta morte C.* Ille enim vere dicitur invictus, qui mortem quoque digna tanto heroë constantia devicit. Hæc vero quamquam satis pulcre junguntur *invictum devicta morte Caton.* potuit tamen Auctor, quæ Marklandi conjectura est, dare *et invita d. morte C.* Ubi *invita* est ante tempus, et cum fata adhuc annos deberent, uti est apud Lucanum VI. 529. de saga Thessala: 'Viventes animas et adhuc sua membra regentes Infodit busto: fatis debentibus annos Mors invita subit,' &c.' *Stoeb.*—88 Scal. Delph. et vulg. *sed lege r.* 'Repone *res lege repugnat*.' Bent. 'Nostri omnes, *sed lege repugn*. Sensus: Non deerat quidem materia nascendis Catonum similibus, sed fati lege

NOTÆ

86 *Quod Decios, &c.*] His 3. vss. decimo probat et asserit duram fati necessitatem ex eo, quod non omne tempus tulerit Decios, non omne Metellos, non omne Catones. Qui omnes viri præstantes et virtute præditi fuerunt. Tres autem fuere Decii apud Romanos, pater, filius, et nepos, I. 787. *Camillos*] I. 782. not.

89 *Et neque paupertas, &c.*] His 5. vss. undecimo probat et asserit fatum Poëta ex eo, quod pauper non breviores vivat annos, quam dives; morsque regias regum et pastorum casas æquo pede pulset ac intret, ut bene cecinit Horat. Carm. I. 4.

Sed rapit ex tecto funus fortuna superbo,
Indicitque rogum summis, statuitque sepulchrum.
Quantum est hoc regnum, quod regibus imperat ipsis?
Quin etiam infelix virtus, et noxia felix:
Et male consultis pretium est, prudentia fallit:
Nec fortuna probat causas, sequiturque merentes;
Sed vaga per cunctos nullo discrimine fertur.
Scilicet est aliud, quod nos cogatque regatque,

funebres pompas æque ex sceptro venerando, paratque rogum, ac decernit tumulum potentioribus. Quam potens est igitur illud imperium fati, quod imperat etiam imperatoribus! Similiter sæpe virtus manet infortunata, crimen vero fortunatum est: et sæpe sua merces est rebus male provisis; providentia vero decipit: nec semper fortuna comprobat causas, comitaturque dignos viros, sed incerta vagatur per omnes homines sine ulla differentia. Nimirum est aliquid potentius, quod et

id fieri non potest.' *Stoeb.*—91 Vulg. *Sed rapit exceptos f.f. superbos.* 'Interpretetur Œdipus. Neque distinctio, quam olim apposueramus, hilum juvat. vera lectio, *Sed r. ex sceptro f. f. superbo.* Opes et regna, inquit, non redimunt fata regum; sed e medio sceptro et regno fortuna rapit funus. Ut paupertas non accelerat mortem, ita nec opes vitam prorogant. *Funus*, cadaver, quod sepulcro infertur, dici et pueri sciunt. Sequentia suffragantur. Statius IV. Thebaidos: 'Æoliden humero jactantem funus onusto:' id est, Learchum a se interfectum. Itaque *funus* vocat, quod Ovidius 'corpus inane.'' *Scal.* Sic Delph. 'Gemb. bene: ita enim verborum antithesis, ac ratio postulat. Vulg. mendose. Quis enim verborum ordo sensusve?' 'Vetusti codices mendose, *Sed r. exceptos f. f. superbos.* Ex his Scaliger sua dedit ex conjectura: sed quomodo funus rapi possit ex sceptro, sive ligneo sive eburno, quod nihil intus habet, non video. Repono, *Sed r. ex tecto f. f. superbo. Tecto superbo*, ut Virgilius, Æn. VII. 12. 'tectisque superbis Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.' Jam vero *ex tecto* rapi aliquid potest, ex sceptro nihil; sed ipsum rapietur sceptrum. Seneca Consol. ad Polybium: 'Nihil sacrum intactumque fortunæ: quæ ex his penetralibus ausa est funus ducere; ex quibus erat Deos petitura.'' *Bent.* 'Codd. Paris. Lips. et Gemblac. *exceptos . . . superbos.* Sic vulgarunt quoque Regiom. et qui eum insecuti sunt, Editores. Optime ad sensum interpunctio Regiom. quam suo calculo approbavit Barthius: *Sed r. exceptos f.* (:) *f. superbos* (:) *Exceptos* vero, quanta est elegantia dictum, de iis qui se putant mortalitatis lege, propter divitias vel eminentiorem dignitatem, exemptos! Et hos *rapit*, vel, si mavis, *capit fu-*

NOTÆ

91 *Funus*] Funebres pompas, i. e. mortem.

93 *Hoc regnum*] Suppl. fati, i. e. fatum ipsum.

94 *Quin etiam infelix virtus, &c.*] His 4. vss. duodecimo asserit fati necessitatem ex eo, quod plerumque sua mercede virtus, suaque pœna crimen careat. Quod longa, sed præclara inductione prosequitur Firmic. II.

98 *Scilicet est aliud, &c.*] His 3. vss. cum dimidio concludit hæc omnia nobis in vita contingere ex fati decreto, quod nos cogat regatque per omnia. Sed quam impia et falsa sit hæc sententia nemo Christianus nescit: nisi per fatum intellexeris Deum ipsum, ut monui I. 1. not.

Majus; et in proprias ducat mortalia leges;
Attribuatque suos ex se nascentibus annos,
Fortunæque vices. Permiscet sæpe ferarum
Corpora cum membris hominum: non seminis ille
Partus erit; quid enim nobis commune, ferisque?
Quisve in portenti noxam peccarit adulter?
Astra novant formas, cœlumque interpolat ora.
Denique si non est, fati cur traditur ordo,
Cunctaque temporibus certis ventura canuntur?
Nec tamen hæc ratio facinus defendere pergit,

cogat, et gubernet nos, et quod trahat res creatas in sua propria jura, et quod ex seipso asserat suos certos vitæ annos, et vicissitudines fortunæ hominibus, dum nascuntur. Præterea illud aliud majus plerumque interserit corpora bestiarum, cum artubus hominum; fœtus ejusmodi non erit quidem ex semine, (quid enim nobis et bestiis commune? aut quis mœchus deliquerit, ut in pœnam sui peccati, suscipiat monstrum?) Sed talis partus venit ex eo quod sidera dent figuras corporum, et quod cœlum intermiscet vultum. Tandem, nisi lex aliqua fati sit, cur ergo datur? Et cur res omnes prædicuntur futuræ certis temporibus? Neque tamen istud ar-

---

nus, i. e. funebris hora, sepulcrale punctum.' *Stoeb.*—104 'Hunc versum, satis quippe adulterinum, Regiom. non legit. Servat eum Cod. Paris.' *Idem.*—105 Scal. Delph. et vulg. *interserit.* 'Ut in centauro,' inquit Scal. 'homo interseritur equo.' 'Immo non *interseritur*, sed connectitur. Repone, *interpolat.* Nonius: 'Interpolare, est novam formam e vetere fingere; ut Plautus Amphitryone, 'Ille homo me interpolabit, meumque os finget denuo.' Ecce hic habes *interpolare* et *os.* Vide nos, si curæ est, ad Terentii Heautont. II. 3. 48.' *Bent.* 'Libri omnes constanter, *interserit*, i. e. alia aliis interseminat. Alteri forte magis placet illud *interpolat*, quod ex felicissimo Bentleii ingenio

NOTÆ

100 *Ex se*] Si voces istæ referantur ad verbum *attribuat*, significant ex seipso, sup. fato, i. e. sine alterius numine. Si vero cadant in vocem *nascentibus*, significant per se, per fati ipsius legem ac decretum.

101 *Permiscet sæpe ferarum, &c.*] His 14. vss. cum dimidio probat et asserit tredecimo fati rationem, ex monstruosis partubus, qui partim cum ferinis, partim cum humanis membris nascuntur; quæ monstra fato uni tribuit Poëta, ac sideribus.

106 *Denique si non est, &c.*] His 2. vss. denique probat et asserit fatum ex eo, quod cuncta futura prædicuntur certis temporibus ex siderum motu ac concursu. Argumentum sane validissimum, si quæ ventura præcinuntur, ea certo evenirent: sed sæpe sæpius fallunt ac falluntur sidera, ex quibus prædici solent res futuræ.

108 *Nec tamen hæc ratio, &c.*] His 11. vss. solvit objectionem, quæ adversus fati necessitatem fieri solet. Si enim fata cogant regantque omnia mortalia, jam nec virtuti suum præmium, nec vitio sua pœna danda erunt, sed utrumque in fati necessitatem rejiciendum. Præclara autem comparatione rem solvit; sicut enim, inquit, non minus quisque oderit her-

Virtutemve suis fraudare in præmia donis.
Nam neque mortiferas quisquam magis ederit herbas,
Quod non arbitrio veniunt, sed semine certo:
Gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,
Quod natura dedit fruges, non nostra voluntas.
Sic hominum meritis tanto sit gratia major,
Quod cœlo gaudente venit: rursusque nocentes

gumentum ideo excusat crimen, aut privat virtutem suis muneribus, quæ sibi in mercedem redduntur. Etenim sicut aliquis non minus odio habebit letiferas herbas, quod non crescunt ex nostro nutu, sed ex certo semine; et sicut non dulcior suavitas dabitur cibis jucundis, quod natura tulit fructus, non autem ullum alicujus arbitrium; ita eo major honor redditur animæ hominum, quod oritur e cœlo lætan-

---

est.' *Stoeb.*—106 'Hi duo versus a mala manu sunt.' *Bent.*—110 Scal. Delph. et vulg. *minus oderit.* '*Odisse herbas*, quæ natura tales sunt, neque sua culpa peccant, cujus est hominis? Amet quis lactucam; non tamen odit brassicam, sed spernit. Vetusti omnes *magis oderit.* Repone, *magis ederit.*' Bent. 'Cod. Paris. cum Lips. ac vulgati omnes, sensu satis congruo, *magis oderit herb.* Ita mox, 'Gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,' &c. Et paulo infra 'nocentes oderimus magis.'' *Stoeb.*—113 Scal. Delph. et vulg. *ulla.* 'Immo lege, *nostra.* Error ex vetere scriptura, *ulla*, *nra*.' Bent. 'Significantius *ulla*, quod habent Paris. et Regiom.' *Stoeb.*—114 Scal. Delph. et vulg. *menti tanto fit gloria.* 'Libri veteres pro *menti* habent *meritis*; pro *fit*, *sit*. Repone, *S. h. meritis t. sit gratia major.* *Gratia* et *gloria*, sive, ut in membranis scribuntur, *gtia*, *glia* passim confunduntur.' *Bent.* 'Sic, subobscure tamen, Cod. Lips. At Paris. et Regiom. cum impressis ceteris, *menti sit gloria maj.* non *gratia*.' Stoeb.—115 'Gemb. *Quo cœlo.* Manilianum *Quo*, pro quo magis. Sed nihil muto: *τὸ gaudente* est suspectum.'

NOTÆ

bas mortiferas, quia certo semine crescunt, non arbitrio; et sicut non levior gratia dabitur cibis dulcibus, quia non arbitrium, sed natura ipsa dedit illos: ita tanto major menti hominum gloria fiet, quod e cœlo orta venit; nihilominus tamen oderimus semper vitium, undecumque cadat. Semper enim scelus est scelus, atque ideo illud odio est habendum: virtusque laudabitur, quia virtus semper est virtus, atque ideo laude digna. Eorum quippe opinionem secutus est Manilius, qui docuerint fatis volentem duci, nolentemque trahi. Quod præclarissime explicat Seneca II. Nat. Q. 35. Scilicet qui fati necessitatem induxerunt, iis mentium humanarum ingenia vel per naturam primitus, ut ait A. Gellius VI. 2. salubriter utiliterque sunt ficta, unde vim omnem, quæ de fato extrinsecus ingruit, inoffensius transmittunt: vel aspera sunt, inscita, rudia, nullisque artium bonarum adminiculis fulta: unde, licet nullo vel parvo fati conflictu urgeantur, sua tamen levitate et voluntario impetu in assidua delicta et in errores ruunt.

111 *Arbitrio*] Voluntate et nutu hominis, vs. 113.

115 *Quod cœlo gaudente venit*] Animam enim humanam e cœlis ortam crediderunt veteres.

Oderimus magis, in culpam pœnasque creatos.
Nec refert, scelus unde cadat : scelus esse fatendum.
Hoc quoque fatale est, sic ipsum expendere fatum.
Quod quoniam docui, superest nunc ordine certo
Cælestes fabricare gradus, qui ducere flexo
Tramite prudentem valeant ad sidera vatem.
Nunc tibi signorum mores, summumque colorem ;
Et studia et varias artes, ex ordine reddam.
Dives fœcundis aries in vellera lanis,
Exuviisque novus rursum, spem semper habebit:

te ; et contra magis odio habere debebimus sontes natos in crimen patrandum, et in supplicia ferenda. Neque interest, unde crimen veniat ; confitendum est esse crimen. Ita autem explicare fatum ipsum, id etiam a fato datur. Cum igitur hæc de fato docuerim, restat nunc mihi facere cælestes gradus ex certo ordine, qui queant conducere per obliquam viam vatem sapientem ad cognitionem astrorum. Itaque jam referam tibi per ordinem mores, extremamque perfectionem, et diversas disciplinas ac studia, quæ dantur a sideribus. Primo aries, qui locuples est lanis uberioribus in vellera, non solum sub se nascentibus dabit spem perpetuo iterum in res novas,

Scal.—119 'Atqui nihil novi hic docuit: nam fato omnia règi ubique docuit, etiam in libro primo. Quare hos tres pro spuriis habeo. Sane non discipulum, sed vatem, per gradus et scalas ad sidera usque ducere, facetum commentum est.' *Bent.*—123 Scal. Delph. et vulg. *studii varias*. Et sic Paris. et Regiom. '*Artes studii* quid sint, vel quis sic locutus sit, quæro? Repone, *Et studia et varias, &c.* Sic III. 148. 'et quæ sibi quisque suisque Proponit studia atque artes.' et IV. 137. 'Hæc studia et similes dicit nascentibus artes.' et 527. 'dabit studia et doctas producet ad artes.' Genitivos hos duplice *i*, *studii*, *imperii*, nusquam Auctor usurpat.' *Bent.*—125 Scal. Delph. et

NOTÆ

118 *Fatale est*] I. e. a fato datur.

119 *Quod quoniam docui, &c.*] His 3. vss. concludit Poëta satis superque disputasse de fato: nunc autem sibi gradus esse tradendos ait, quibus vatem ad sidera ducat.

122 *Nunc tibi signorum, &c.*] His 2. vss. præmonet se varios mores, studia, artesque explicaturum, quas nascentibus quæque signa zodiaci largiantur. Hos autem mores, studia, artesque ducit ex convenientia quadam naturæ animalium, quæ singulas signorum figuras adornant.

Summumque colorem] Proverbialiter; ducta loquendi ratio ab artificibus, sed præsertim pictoribus, qui, dum extremam operi manum afferunt, extremum colorem addere dicuntur.

124 *Dives fœcundis aries, &c.*] His 16. vss. explicat quos mores, quæ studia, quasque artes det aries sub se nascentibus. Igitur quia lanas fert aries, quibus spoliatus, semper in novas ferendas spem habet, ideo et lanifices creare dicitur, et vestiariam agentes, et mercatores qui rem faciant, reque iterum cadant; atque ita inter damna censusque perpetuo ferantur. Creat quoque solicitos et inconstantes animo viros, timidos, atque vanæ gloriæ cupidos.

125 *Exuviisque novus* [*Exutusque*

Naufragiumque inter subitum censusque beatos
Crescendo cadet, et votis in damna feretur:
In jugulumque dabit fructus, et mille per artes
Vellera diversos ex se parientia quæstus:
Nunc glomerare rudes, nunc rursus solvere lanas,
Nunc tenuare levi filo, nunc ducere tela:

sicut ipse spoliatus novis lanis sperat novas semper; sed etiam augendo inter recens damnum et felices opes, ita ipse decidet et erit in detrimenta nascentibus sub se; et largietur quidem ad necem quæstus, et lanas, quæ per mille artes reddant ex seipsis varia lucra: dabit enim modo conglomerare in glomum lanas nondum carptas, modo iterum explicare illas, modo minuere illas in tenue filum, modo ordiri in telas;

vulg. *Exutusque novis rursus.* ' Veteres universi *rursum*, sed hoc parvi interest. Quid illud *exutus novis lanis?* certe exutus veteribus: si enim exuuntur, non sunt novæ. Repone, *Exuviisque novus rursum, &c.* Quia exuviis novus fit, ideo spem semper habebit. Virg. Æn. II. 471. de colubro: ' Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus Nunc positis novus exuviis nitidusque juventa.'' *Bent.* ' Libri nostri omnes, *Exutusque novis rursus, &c.* Non *novas exuit*, quod æque nobis ac Bentleio videtur absurdum. Sed *habet spem novis lanis, exutus* scil. veteres. Hujus ad instar mercatores, qui sub hoc signo nascuntur, ut momento rem facient, sic et momento facultatibus labentur.' *Stoeb.*—127 Rom. et vulg. *et notis in d. f.* Quemadmodum antea dixit, *spem semper habebit.* Sed reclamat Gemblacensis, *et natis in d. f.* Quid est crescendo cadet? hoc est, natis opibus in damna feretur. Sic apud Catullum ' Natum æs.' τὸ γινόμενον.' *Scal.* ' Gemb. *natis*: Lips. *vatis*; Voss. *votis*, et sic quoque recentiores. Recte: crescendo cadet, et successibus suis in damna feretur. Ita supra IV. 9. ' Materiam struimus magnæ per vota ruinæ.'' *Bent.* ' Recte *votis*, non *natis*, quod habet Gemblac. nec *vatis* vel *cates*, quod est in Lips. *Votis* autem non pro successibus, uti visum Bentleio; sed pro immodica faciendæ rei cupiditate accipiendum. Cui quidem interpretamento inprimis favet, quod Noster dixit supra vs. 9. ' Materiam struimus magnæ per vota ruinæ.'' *Stoeb.*—128 Rom. et vulg. *In vulgumque d. fr.* ' Ineptum. Gemblacensis, *In jugulumque d. fr.* Fructus gregis sunt agni et lana. Quoties id dicunt Jurisconsulti! Agni ad jugulationem et macello dantur, lanæ lanificio. Itaque uno versu utrumque comprehendit, quod nomine fructus venit, agnos et lanam.' *Scal.* ' Ms. Paris. impressi veteres, *In vulgumque dab. fruct.* quod ineptum videtur Scaligero; non item nobis. Ipsa enim ovis, de cujus fructu sermo, lanificium non tractat.' *Stoeb.*—131 Scal. Delph. et vulg. *telas.* ' Repone *tela*. Lanas glomerare, solvere, tenuare, ducere. Commu-

NOTÆ

novis], *&c.*] Suppl. lanis. Alludit Poëta ad oves, quæ quotannis lanam exuunt, et iterum ferunt.

126 *Census*] Lucrum, quæstus, fructus, v. 11.

127 *Crescendo*] Sup. opibus, lucrum scilicet faciendo.

128 *In jugulum*] In ruinam, in jacturam summam, vel in necem; mercatores enim sæpe vitæ periculo rem faciunt.

130 *Glomerare rudes ... lanas*] Nondum pectas nec carptas lanas in glomos ac cumulos cogere. Rudis lana, Gallice, *la laine comme elle vient de la brebis, sans être escardée.*

Solvere lanas] Carpere, pectere; Gallice, *escarder la laine.*

Nunc emere, et varias in quæstum vendere vestes,
Queis sine non poterant ullæ subsistere gentes:
Vel sine luxuria tantum est opus. Ipsa suismet
Asseruit Pallas manibus, dignumque putavit,
Seque in Arachnea magnum portasse triumphum.
Hæc studia et similes dicet nascentibus artes;
Sed dubia in trepido præcordia pectore finget,
Seque sua semper cupientia vendere laude.

modo emere et vendere diversa vestimenta lanea ad lucrum faciendum, sine quibus ullæ nationes non possent vivere commode, aut saltem sine luxu, adeo istud opus est necessarium; quod et ipsa Minerva indicavit, et judicavit esse dignum suis manibus, et existimavit se magnum esse tropæum in Arachnea. Aries igitur reddet natis sub se ejusmodi studia et ejusmodi artes, et formabit animos timidos in pectore timido, et qui semper quærunt vendere se pro laudibus sibi tributis.

nis omnibus substantivus. Ovid. Metam. IV. 34. 'Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant.'' *Bent.* 'Scribendum omnino *telas.* Sic Paris. et Regiom.' *Stoeb.*—132 Vulg. *Nunc gemere.* 'Una litera minus scripsit Manil. *Nunc emere.* Interpolatores vestimentorum faciet: qui emunt vetera vestimenta et interpolata pro novis vendunt. Græci vocant ἐπιγναφεῖς.' *Scal.* —133 Paris. et Regiom. *poterunt.*—134 Vide inter notas Huetii huic editioni appensas.—136 Scal. Delph. et vulg. *putat esse;* et sic Paris. et Regiom. '' Pallas,' inquit Scal. ' dicitur triumphus, h. e. triumphatrix.' Merito hoc rejecit Huet. ipse autem ordine immutato 'feliciter,' ut putat, restituit: *magnumque putavit, Seque in Arachnea dignum putat esse triumphum.* Triumphum se dignum. Illud interim uterque dissimulat, *putavit* et statim *putat;* quod ab Auctore venisse prorsus incredibile est. Repono *dignumque p. . . . . . portasse triumphum.*' Bent.—137 Delph. *ducet.* 'Gemb. bene, i. e. reddet, dabit. Vulg. *dicet*, minus eleganter.'—138 Rom. et vulg. *Et dubia in trepido.* 'Dele τὸ *in: Et dubia tr. pr. pectore finget.* Positio fit in sequenti syllaba; ut supra: 'Ne magna brevibus careant compendia dictis.' Ibid. *pr. pectore finget*] Gemblac. fortasse non male, *pr. pectore signum; ἀπὸ κοινοῦ dicet.*' Scal. '*Finget* bene, i. e. formabit, dabit. Alii *figet.* Gemb. *signum*, supp. arietis, minus bene.' *Delph.* 'Pro *finget* Gemb. Lips. Venet. *signum:* Voss. *figum.* Bene habet *finget;* ut v. 61. 'Solertes animos, velocia corpora finget.' et 220. 'Effrenos animos violentaque pectora finget.' Scripti quoque omnes *in trepido.* Lege tamen *Sed* vel *At*, non *Et.* Est exceptio ad superiorem laudem.' *Bent.* 'Imo potius *figet*, id est, confirmabit dubium pectus, ut aliquid audere, et vel damno quærere lucrum possit. *Et figet* libri nostri, non *Sed fing.* pro quo Cod. Lips. cum Gemblac. *signum:* sed

NOTÆ

135 *Pallas*] Minerva, artium Dea.

136 *Seque in Arachnea, &c.*] Notat illud vulgare certamen Arachnes cum Minerva. Ausa enim fuit Arachne cum Minerva de lanificio contendere. Quod Minerva ægre ferens Arachnen vicit, victrixque radio percussit eam; quam injuriam non ferens Arachne laqueo se suffocavit. Cujus tamen miseram sortem miserata Pallas, eam in araneam mutavit. Ovid. Met. VI.

Taurus simplicibus dictabit rura colonis;
Pacatique labor veniet: nec præmia laudis,
Sed terræ tribuet partus. Summittit in astris
Colla, jugumque suis poscit cervicibus ipse.
Ille, suis Phœbi portat cum cornibus orbem,

Taurus vero dabit agros agricolis rudibus, et erit in laborem iis qui vivunt in pace: neque dabit mercedem laudis, sed tantum fructus et fœtus terræ: ipse enim taurus subjicit cervices aratro, et ipsemet postulat jugum collo suo. Is quando refert glo-

correxit in illo altera manus *figunt*.' Stoeb.—140 Rom. et vulg. *donavit*. Scal. et Delph. *donabit*. 'Sic Lips. Sed Voss. et Venet. *dotavit*, Gemb. *dotabit*. Repone, *dictabit*. ut supra, 137. 'dicet nascentibus artes.' et inf. 177. 'Quasque suo dictet signo nascentibus artes.' et 571. 'Militiam ponto dictat.'' *Bent.* '*Dictare jura, artes, &c.* recte dicitur, sed *rura dictabit*, minus bene. Malim ergo legere *dotavit* cum Cod. Lips. vel potius *dotabit*, quod est in Gemblac. uti mox *tribuet* vs. seq. *donavit* Cod. Paris. Regiom. et impressi ceteri. Taurus enim agricolis dux sociusque laborum, (vs. 146.) cujus ope largos agrorum fructus percipiunt.' *Stoeb.*—141 Delph. et vulg. *Pacatisque*. 'Vitiosissime, ut paret. Gemblacensis recte: *Pacatique l. v., nec præmia laudis, Sed t. tr. p.* Si retines *Pacati*, erit *pacati* soli. Utroque recidit sententia. Natis sub tauro continget labor quidem, sed in pacato, et fructus, non gloria.' *Scal.* 'Libri veteres *Pacatique*, hoc est, soli, arvi: quod et Scaligero placuit. Horatius, Epist. I. 2. 45. 'incultæ pacantur vomere silvæ.'' *Bent.* 'Sic Gemblac. et Lips. quod si retines, erit *pacati* soli. Atenim Cod. Paris. Regiom. ejusque posteri legunt *Pacatisque*, uti modo *simplicibus*. Dicuntur *pacati* coloni, dum vacui a laboribus belli tuta pace fruuntur.' *Stoeb.* Ibid. 'Ald. Rom. et Pruckn. *patientia laudis*. Regiom. longe ceteris accuratior, *nec pectora laudi, Sed t. tr. p.* Quæ quidem, nisi omnia fallunt, eo sunt interpretanda: Taurus natos suos non tam laudis et gloriæ, quam terræ proventuum cupidos reddet.' *Idem.*—142 Scal. Delph., et vulg. *aratris*. ''Si submittit colla aratris, serum est poscere jugum, cum jam jugum acceperit. Et quot simul aratris unus taurus colla submittat? Veteres tres *submittit in antris*: in Vossiano lacuna est. Repone, *s. in astris*.' Bent. 'Cod. Lips. *in antris*. Paris. Regiom. et ceteri, *aratris*. Illa, quæ Bentleio debetur lectio astrothesiæ, hæc ipsi rei et sententiæ rationi convenit magis. Frustra vero est V. C. dicens: 'Si submittit colla aratris, serum est poscere jugum, cum jam jugum acceperit.' Cum enim aratrum et jugum sint rei vehicularis species Nostro distinctæ, pronum est existimare, illum de duplici labore loqui, quo taurus colonos juvare suevit. Alter, aratrum scilicet, ad agros vertendos, sulcosque ducendos pertinet; alter vero, jugum, ad currus vehendos, stercore, puta,

NOTÆ

140 *Taurus simplicibus, &c.*] His 12. vss. enumerat quos mores, quas artes, quæve studia reddat taurus. Huic autem asserit agricolas laboriosos, laudis amantes, taciturnos, robustos, atque amori deditos. Scilicet quia quo tempore tauri sidus perlustrat sol, revocat agricolas ad agrorum cultum, tauros ad aratrum, omnesque ad hilaritatem; ideo hæc studia, moresque ac artes a tauro venire finguntur.

141 *Pacati*] A bello vacui: vel hactenus otiosi, et a labore cessantes ob hyemale tempus.

Militiam dicit terris, et segnia rura
In veteres revocat cultus, dux ipse laboris;
Nec jacet in sulcis, volvitque in pulvere pectus.
Serranos Curiosque tulit, fascesque per arva
Tradidit; eque suo dictator venit aratro.
Laudis amor, tacitæ mentes, et corpora tarda

bum solis intra cornua sua, denuntiat culturam terris esse agendam, et ipse ductor operis reducit agros otiosos in pristinas suas culturas; neque quiescit in sulcis, aut explicat artus in arena. Progenuit autem ipsemet taurus Serranos et Curios, et dedit pariter fasces inter agros, et dictator distractus est ex aratro suo. Gloriæ cupido, taciturni animi, corporaque gravia præ magnitudine vigent ab eo, et puer

frumento vel fructibus aliis onustos.' *Stoeb.*—145 Scal. Delph. et vulg. *indicit.* 'Repone, *M. dicit t.* ut infra versu 571. 'Militiam ponto dictat.' Vide ad versum 140.' *Bent.* 'Libri omnes *indicit*, quod, ut magis solemne propriumque bello ac militiæ, retinendum. Cod. Paris. *indicit*, et superne, 'vel *induc.*' Pro *militiam terræ* supra Noster 'militiam soli' II. 20. ubi vide not. Vocis proprietatem Noster infra adhuc servat v. 870. 'bellum indicere mundo.'' *Stoeb.*—147 Scal. Delph. et vulg. *solvitque.* 'Quid sit solvere pectus in pulvere, nec docent interpretes, neque ipse concipere possum. Repono, *volvitque*. Terent. Andr. IV. 4. 37. 'Nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.' Seneca Agam. I. 76. alio sensu: 'non curarum Somnus domitor pectora solvit.'' *Bent.* 'Non est hujus pecoris volvere se, quod suibus magis aliisque convenit. Deest quoque Codicum fides, qui consensu habent *solvitque*, scil. somno pectus, vel proprie ossa præcordiorum, quod fit anticis cruribus expansis; vel artus et membra per synecdochen partis pro toto. Seneca Agam. I. 76. 'Non curarum Somnus domitor pectora solvit.'' *Stoeb.*—148 Rom. et vulg. *faciliusque per a.* 'Vere bubulcorum fuerit non videre legendum *fasces*, ut olim correximus, et Gemblacensis retinet, et sequentia probant.' *Scal.*—149 Vulg. *eque suo.* Correxit Scal. ex Gemb.—150 'Quomodo *tacitæ mentes* convenire possunt *simplicibus colonis* (vs. 140.)? Simplices enim homines dicuntur puri, aperti,

NOTÆ

144 *Phœbi*] Solis, qui taurum ingreditur circa 21. diem Aprilis nostri, eumque relinquit circa 22. diem Maii, quo geminos ingreditur.

145 *Militiam*] Culturam, cultum, II. 20.

148 *Serranos Curiosque, &c.*] Serranus quippe, sic dictus a serendo, ab aratro ad dictaturam vocatus fuit, bellumque adversus Samnites feliciter gessit. Hunc autem sub tauro natum vult Manilius. Similiter M. Curium Dentatum sub tauro natum putat, quia is totus in agris capiendis, colendis, ac dividendis fuit. Samnites enim debellavit, tantumque agri cepit, ut solitudo fuerit futura, nisi tantum hominum cepisset: tantum autem hominum cepit, ut fame essent perituri, nisi tantum agri cepisset, ut ipse ait in concione, quam reversus ad Populum Romanum habuit. Idem quaterna agri jugera viritim populo divisit, sibique non plura; dicens, neminem esse debere, cui tantum agri non sufficeret. Plutarch. in Caton.

149 *Dictator*] Nempe Serranus, vs. 148. not.

Mole valent, habitatque puer sub fronte Cupido.
Mollius e geminis studium est, et mitior ætas;
Per varios cantus, modulataque vocibus ora,
Et graciles calamos, et nervis insita verba,
Ingenitumque sonum: labor est etiam ipsa voluptas.
Arma procul, lituosque volunt, tristemque senectam:
Otia et æternam peragunt in amore juventam.

Amor manet in vultu. Studium minus durum est a geminis, atque vita hilarior, nimirum per diversa modulamina, et per ora canentia vocibus, et per tenues arundines, et per voces ingenitas, innatumque sonitum fidibus: ita ut labor quoque sit ipsa oblectatio. Gemini enim volunt bella, et tubas, et mæstam senectutem longe abesse: dant sub se natis vitam quietam et perpetuam juventutem etiam in morien-

---

nihil tectum, nihil simulatum habentes, omnia et loquentes et facientes quæ sentiunt et recte judicant. Vide Lambin. ad Horat. I. Sat. p. m. 28. pr. Barthius, summo nimis suo ingenio fisus, emendandum putavit: *Laudis amore citæ m.; at c. t. M. v. &c.* quasi laudis amor omnem illis paginam faceret; eoque non tacitæ, sed citæ et præpetes illis mentes essent. Sed plane contrarium docet Auctor vs. 141. cui, ut sua constet sententia, Regiomontanus rectissima interpunctione curavit: *Laudis amor tacitæ* (:) *m. et c. t. M. v.* (:) *h. que p. &c.* Itaque non omnem illi coloni laudem aversantur, quod vilissimi est animi, sed *tacitæ laudis* sunt studiosi, i. e. quam ipsi ex laboribus suis tacite concipiunt. Contenti propria laude minus sunt studiosi elogiis, quibus alii eos ornare velint debeantque.' *Stoeb.*—152 'Cod. Paris. *est gem. stud. est et mit. æt.*' Idem.—155 Rom. et vulg. *Ingentemque s.* 'Absurde. Recte Gemblacensis, *Ingenitumque s.* nervis verba insita, et nervis ingenitum sonum. Nugandum absque ope codicis fuisset.' *Scal.* 'Nervis non tam sonus ingenitus est, quam habitus ad sonum edendum aptus. Solet autem quod cuiquam a natura inest, proprie *ingenitum* dici. Noster supra I. 815. 'terra ingenitum spirante vaporem.' Et Rutil. I. 8. 'Qui, Romanorum procerum generosa propago, Ingenitum cumulant urbis honore decus.' Ad quem locum vide Castal. p. m. 32. Cod. Paris. et Regiom. *Ingentemque son.*' Stoeb.—157 Scal. Delph. et vulg. *in morte.* 'Quo sensu hoc aliquis accipiat, nequeo

NOTÆ

151 *Cupido*] Mascul. Amor, amoris Deus, qui sub pueri speciosi forma pingi solet, fingiturque Jovis ex Venere natus.

152 *Mollius e geminis, &c.*] His 10. vss. explicat Poëta, quos mores, quæ studia, quasve artes reddant gemini sub se natis. Docet autem sub geminis nasci mollius hominum genus, nempe musicos, cantores, genio suo indulgentes, otii amantes, laborum belli non patientes, et ipsos etiam astronomos.

154 *Nervis*] Chordis, quæ ex nervis fieri solent.

Insita verba] I. e. sonos vocem imitantes; quos nervi seu chordæ reddere solent. Sunt enim natura canori nervi.

155 *Labor est etiam ipsa voluptas*] I. e. licet musici ac tibicines aliquando insudent vocem modulando aut fidibus utendo, nihilominus is labor ipsis est voluptas, iisque rebus delectantur. Vel sic interpretari licet: musici adeo gravantur musices laborem, ut ipsa voluptas ipsis sit oneri.

Inveniunt et in astra vias, numerisque modisque
Consummant orbem, postque ipsos sidera linquunt.
Natura ingenio minor est, perque omnia servit.
In tot fœcundi gemini commenta feruntur.
Cancer ad ardentem fulgens in cardine metam,

do: dant ut et reperiant iter ad sidera cognoscenda, et ubi astra deserunt illos, perficiunt globum cœlestem per suos numeros et mensuras. Natura quidem in iis minor est ingenio, et sequitur illud in omnibus. Gemini ergo dicuntur fertiles in tot artes ac studia. Cancer vero, qui lucet in cardine æstivo juxta zonam calidam,

divinare. *Peragere*, hoc est, ducere, transigere, consumere, *juventam in morte*, est τῶν ἀδυνάτων; nec ulla subest verbis sententia. Repono, *in amore*. Senectam procul esse jubent, æternam juventam in amoribus peragunt; ut v. 111. 'vario ducunt in amore juventam.'' *Bent.* 'Cod. Paris. et editi nostri cum Scaligero faciunt, qui dedit *in morte juventam*. Quod vere omnino dicitur de geminis zodiaci, qui Castorem referentes atque Pollucem, non modo puerorum ad instar picti conspiciuntur, verum etiam alternis mortibus vivere creduntur: Macrob. Saturn. I. 21. Hinc Minucius p. m. 23. fin. 'Castores alternis moriuntur, ut vivant.' Ex quo vel tacite concludit Auctor, natos sub geminis non tam florem atque vigorem quam ingenium moresque juventutis servare. Proinde quietam degentes vitam, jucundis eos artibus oblectari; læto hilarique animo, qua Musicos decet, ad extremum usque halitum esse; lubentesque mori, ut ipsorum vita vel morte renovetur.' *Stoeb.*—159 Scal. Delph. et vulg. *Postquam*. 'Repone *Postque ipsos*. *Post ipsos*, hoc est, post se linquunt; ut Auctor ubique loquitur: post astronomiam perceptam ad ulteriora se studia conferunt.' *Bent.* 'Libri omnes, *postquam ipsos sid. linq.* id est, cum jam sidera visum fugientia persequi nequeunt, quod de austrina potissimum orbis parte valet, illi numeris modisque, i. e. calculando et figurando consummant orbem, q. d. cælestem orbem conficiunt, vel meditando emetiuntur.' *Stoeb.*—162 Scal. Delph. et vulg. *vittam*. 'Vitium latere in hac lectione putavimus olim non injuria. Sed Gemblacensis mendosiorem prodit, quam suspicati sumus: *C. ad a. f. in c. vitam, Quam, &c.* *Vitam* antiquitus pro *vittam* scriptum accipimus: id est ζώνην. Ita vocat, ut Lucanus loquitur, circulum alti solstitii.' *Scal.* 'Vetusti tres *victam*. Venet. *vitam*. Unde Scal. *vittam* excogitavit. Repone *metam*. Sic I. 570. de eodem cancro, 'Temporis et titulo potitur; metamque volantis Solis et extremos designat fervidus axes.' et 197. 'Cum suspensus eat Phœbus, currusque reflectat Huc illuc agiles, et servet in æthere metas.' Virg. Æn. v. 835. 'Jamque fere mediam cæli nox humida metam

NOTÆ

158 *Inveniunt et in astra vias, &c.*] His 2. vss. notat astronomos, qui, postquam siderum notitiam assecuti sunt, globos ac circulos describunt, sphæras fabricant, quas suis numeris et modis notant. Hinc quia numerus pertinet ad arithmeticam, modus ad geometriam, nonnulli volunt arithmeticos et geometras quoque nasci sub geminis. *Firmic.*

159 *Ipsos sidera linquunt*] Pro *ipsi sidera linquunt*: dum scilicet ab astronomia ad geometriam et arithmeticam revocantur.

162 *Cancer ad ardentem, &c.*] His 14. vss. docet Poëta quæ studia, quos mores, et quas artes dictet cancer. Huic autem ascribit mercatores et fœneratores.

Ad ardentem metam [*vittam*] Ad circulum æstivum cancri, qui in modum vittæ aut fasciæ cœlum ambit.

Quam Phœbus summis revocatus curribus ambit,
Articulum mundi retinet, lucesque reflectit.
Ille tenax animi, nullosque effusus in usus,
Attribuit varios quæstus artemque lucrorum:
Merce peregrina fortunam ferre per urbes,
Et gravia annonæ speculantem incendia ventis
Credere opes, orbique orbis bona vendere posse,
Totque per ignotas commercia jungere terras,
Atque alio sub sole novas exquirere prædas,
Et rerum pretio subitos componere census.
Navigat, et celeres optando sortibus annos,

quam sol reductus circuit extremo suo curru, et qui coërcet illum cœli nodum, et remittit dies: is, inquam, qui non manifestat naturam suam, et in nulla beneficia utilis videtur, dictat diversa lucra, et modum faciendi lucrum: scilicet portare rem suam et opes per civitates ad exteram mercem faciendam, et facit ut homo prævidens duram caritatem cibariorum committat ventis divitias, et ut queat vendere opes unius regionis alteri regioni, et faciat commercia in tot terris incognitis, et comparet sibi lucro novas opes sub novo sole, et acquirat promtos reditus et fructus ex pretio suarum opum. Natus sub cancro navigat quoque, et cupiendo annos

Contigerat.' Lucret. v. 616. 'Canceris ut vertat metas se ad solstitiales.' et iterum, v. 688. 'Nam medio cursu flatus aquilonis et austri Distinet æquato cælum discrimine metas.' Inde est vs. seq. *revocatus*, nam et hoc a circo desumptum. Ovid. Amor. III. 2. 'Me miserum! metam spatioso circuit orbe. Quid facis? admoto proximus axe subit. Favimus ignavo: sed enim revocate, Quirites; Et date jactatis undique signa togis. En revocant.'' *Bent.* 'Cod. Paris. et Regiom. pro *ad ardentem, et ardenti*. In fine pro *metam*, iidem legunt *victum*.' Stoeb.—163 Vulg. Paris. et Regiom. *Quem*. Correxit Scal. ex Gemb. vittam, scil.—165 Vulg. Paris. et Regiom. *infusus*. 'Lege, ut olim, *effusus*. Confirmat Gemb.' *Scal.*—166 Paris. et Regiom. *questus*.—168 Paris. et Regiom. *gravida*. Regiom. *annosæ*. Idem *vitis* pro *ventis*.—169 Scal. Delph. et vulg. *orbisque orbi*. Et sic Paris. et Regiom. 'Immo potius *orbique orbis*.' Bent.—173 Rom. et vulg. *N. et steriles o. s. a.* 'Quid? optat steriles annos sortibus?

NOTÆ

163 *Phœbus*] Sol, I. 19.

164 *Articulum mundi*] Punctum cardinale æstivum. Cardines enim cœli a Manilio dicuntur 'articuli,' 'nodi,' 'compagines,' &c. lib. II.

165 *Tenax animi*] Naturæ suæ detes non manifestans. Ignoratur enim quæ sit natura cancri, et ad quos usus sit. Totus scilicet testa sua contractus.

167 *Fortunam*] Opes, merces, &c.

168 *Gravia*] Gemb. bene. 'Gravis enim annona urit populum,' inquit Velleius Paterc.

Annonæ speculantem incendia] Notat enim Poëta, qui annonæ caritatem peregrinis in regionibus prævidens, frumenta undique cogit, quæ in eas regiones vectet atque portet, lucri majoris causa.

171 *Novas prædas*] Novas pecunias lucro partas, Cic. Verr. VII.

172 *Census*] Redditus bonorum, fructus, opes, &c. I. 12.

Dulcibus usuris, æquo quoque, tempora vendit.
Ingenium solers, suaque in compendia pugnax.
  Quis dubitet vasti quæ sit natura leonis?
Quasque suo dictet signo nascentibus artes?
Ille novas semper pugnas, nova bella ferarum
Apparat, et spolio vivit pecorumque rapinis:
Hic labor, hoc studium, postes ornare superbos

breves fluere pro suis creditis pecuniis, vendit etiam tempora pro certa sorte fœnoribus jucundis. Nascitur et mens sagax, et acris ad sua commoda facienda. Quis ambigat, quæ sit vis ingenita leonis immanis? Et quæ studia det iis, qui nascuntur sub suo sidere? Alter scilicet parat perpetuo nova certamina novasque pugnas ferarum, et vivit exuviis pecudum et prædis. Alterius hoc est studium et amor, ex-

O illepidum caput, cujus hæc interpolatio fuit! Gemblacensis, *N. et celeres o. s. a.* Profecto fœneratores nihil prius in votis habent, quam ut quam primum sors æquetur fœnori. Hoc est, quod dicit, optare celeres annos sortibus. Inde Ausonius velocem usuram vocat: 'et velox inopes usura trucidat.'' *Scal.* 'Fœnerator, qui pecuniam usura nautica locabat, ipse una cum debitore sæpe navigabat. 'Celeres annos,' ut Ovid. Remed. Am. 561. 'Qui Puteal Janumque timet celeresque calendas, Torqueat hunc æris mutua summa sui.' *Æquo quoque*, hoc est, usura quæ sortem æquet, quod *cent per cent* dicimus.' *Bent.* 'Fœneratores enim nil prius in votis habent, quam ut quamprimum sors æquetur fœnori. Hoc est, quod dicit, optare celeres annos sortibus. Cod. vero Paris. et Regiom. *steriles* pro *celeres*.' Stoeb.—179 Scal. Delph. et vulg. *Et pecorum spolio vivitque.* 'Vossianus, *et spolio nunc pecorumque rapinis: nunc* mendose totidem literarum ductibus pro *vivit*. Repone, *et spolio vivit pecorumque r.*' Bent. 'Hæc in utroque libro sic disposita leguntur, *et pecorum spolio vivitque rapinis;* pro *rapinisque vivit*. Conf. de transpositione voc. *que* infr. not. ad vs. 190. sq.' *Stoeb.*—180 Scal. et vulg.

NOTÆ

173 *Navigat, et celeres, &c.*] His 2. vss. notat illud fœneratorum genus, qui vel navigant, vel navigantibus pecuniam fœnori dant: vel immani fœnore merces ac pecunias in novos terrarum orbes trajiciunt aut vectant, licet neque exercitores sint, neque institores. Hujusmodi autem omnes optant celeres fluere annos et dies suis fœnoribus; venduntque tempora usuris, dum in certos annos, in certa anni tempora pecunias fœnerantur.

Celeres] Nihil enim prius in votis habent fœneratores, quam ut breves fluant anni.

Sortibus] I. e. vel pecuniis creditis in fœnora. Sors enim est summa principalis credita debitoribus; fœnus vero usura, quæ creditoribus solvenda erat.

174 *Æquo*] Suppl. pretio; i. e. pro rata, ut aiunt, seu pro rata parte, aut habita proportionis parte, quod vulgus æquipollentiam dicit.

175 *Compendia*] Lucra, vs. 19. Et Sueton. in Claud.

176 *Quis dubitet, &c.*] His 13. vss. docet leonem asserere sibi venatores, confectoresque ferarum; simplices, et ad iracundiam pronos, sed placari faciles.

178 *Ille*] I. e. alter, alius.

Pellibus, et captas domibus præfigere prædas,
Et pacare metu sylvas, et vivere rapto.

ornare sua limina exuviis ferarum, et appendere ædibus suis feras quas prædatus est, et liberare sylvas timore, et vivere quoque feris captis. Alii sunt, quorum similia stu-

---

Hoc habet hoc studium. Delph. *H. h. hic s.* 'Sic restituo. Male enim Scal. et omnes. Igitur *hic*, i. e. alter, seu alius.' 'Ex repetitione pronominis mendum apparet. Quid repones? an *Hic labor, hoc studium?* an *Hoc opus, hoc studium?* Virgilius Æn. VI. 128. 'Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est.' Horatius Epist. I. 3. 28. 'Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli.' An mavis, *Hic amor, hoc studium?* ut Ovid. Metam. XIV. 634. de Pomona, 'Hic amor, hoc studium: Veneris quoque nulla cupido.' et I. 573. de Peneo, 'Hæc domus, hæ sedes: hæc sunt penetralia magni Amnis.'' *Bent.* 'Ita Marklandus ante Bentleium tentavit ad Stat. Silv. I. 3. p. 43. Pontanus ad Macrob. Saturn. I. p. m. 211. putat, illud *habet* fuisse *havet;* quod clarius expressit Doct. Heringa, qui credit, Manilium scripsisse *Hoc avet, hoc studium, est, &c.* Vetus autem est scriptura: *Hoc habet hoc studium postes o. superbos, &c.* Hanc tenent Cod. Paris. Regiom. et ceteri. Quæ quidem tam est pura et emaculata lectio, præsertim deleta, quæ illam vitiaret, interpunctione, ut non nisi exercendi ingenii causa tantis viris sollicitata videatur. En tibi planum et commodum verborum sensum: *Hoc* venandi *studium habet*, i. e. capit *hoc*, quicquid est, vel emolumenti, vel laudis, vel delectamenti (:) *postes ornare, &c.* Hoc nimirum illud studium *habet*, quæ vox a gladiatoribus desumpta, huic loco propria, adeoque haudquaquam mutanda est. Vide pluribus Commentar. ad Terent. Andr. I. 1. 56. Confer etiam not. nostr. ad II. 890.' *Stoeb.* 'Ibid. Rom. et vulg. *Postis o. superbos.* Melius Gemblac. *superbis.* Postes illi veteres ornabant spoliis ferarum, item armis: 'postibus arma refigo.' Val. Flaccus III. 'Et nunc ille jubas, captivaque postibus ora Imposuit, spolium infelix, Divæque pudenda.'' *Scal.* 'Si Marklandum audiamus l. c. legendum foret ex Gemblac. *superbis*, quod magis poëticum et Virgilianum. Vide Æneid. VIII. 721. Neque nos valde repugnamus, quod Lips. quoque Codex eam lectionem, tametsi partim vitiose, tenet, *positis o. superbis;* ubi pro *positis* omnino legendum *postis*, antiqua terminatione, pro *postes*. Vulgatam vero si retinere malis, recte omnino illud *superbos* reddes, superbum in modum. De variis extra venationem exornandi postes occasionibus et moribus vide Sitzman. ad Rutil. vs. 424.' *Stoeb.* —181 Rom. et vulg. *configere.* Correxit Scal. ex Gemb.—182 Vulg. *parare.* Scal. et Delph. ex Gemb. *pacare.* 'Qui hanc admittunt lectionem, interprete, sicubi opus, utantur Barth. ad Theb. IV. 20. Libri autem nostri, præter Paris. omnes, *parare.* Ald. *metum.* Legam ergo, *Et parare metum silvis, &c.* Quod, sive de venatoribus, sive de leone intelligas, vero consonum erit. De leone quidem interpretatur Pontanus ad Macrob. p. m. 211. *Silvas* nemo pro arboribus accipiet: quid enim his a feris metuendum? nec nisi inusitata figura pro hominibus per silvas iter facientibus capi possunt. Multo autem infrequentior ipsa phrasis, *metu pacare*, pro liberare. Quapropter Marklandus, propria magis quam ullius Codicis auctoritate, substituit *arcu.* At quis non videt, vel parum oculatus, *silvas* sensu, Poëtis præsertim, usitatissimo, pro feris silvestribus venire? Hæ autem in venatione metu non liberantur, sed percelluntur. Sic ipse venator Leo apud Phædrum I. 11. admonuit asellum comitem, ut 'insueta voce terreret feras. Quæ dum paventes exitus notos petunt, &c.'' *Stoeb.* Ibid. 'Gembl. *et vivere victor.* Non se-

NOTÆ

182 *Rapto*] Sic Ovid. Met. I. 'vivitur ex rapto.'

Sunt quorum similes animos nec mœnia frænent,
Sed pecudum in mortes media grassantur in urbe,
Ut laceros artus suspendant fronte tabernæ,
Luxuriæque parent cœnam, moresque lucrentur.

dia ne vel muri quidem retinere possint, sed in ipsa media civitate irruant in artus ferarum dilaniandos, et appendant membra dilaniata ferarum in aditu tabernæ e qua educuntur, et apparent venationes ferarum ad luxum sumtuosiorem, et ex cædibus fe-

quimur. 'Nisi sit *vivere victo*; hoc est, feris domitis.' *Scal.* 'Statius, a Scaligero citatus, de Atalanta, Theb. IV. 250. 'tum saltus forte remotos Pacabat cornu, gelidique aversa Lycei.' *Cornu*, id est, arcu; ut hic *metu*, formidine, sive rubra penna, qua feras venatores terrebant; ut docte explicat Huetius. Noster v. 185. 'ducuntur et ipsi Retibus, et claudunt vastos formidine montes.' Ceterum pro *vivere rapto*, vetusti quattuor *vivere victor;* recentiores duo, *victo:* ut Plautus Rudente III. 2. 'Facite, hic lege potius liceat, quam vi victo vivere.' Sed jam habuimus, vivit spolio et rapinis; ut hic versus spurius videri possit.' *Bent.* 'Sic Regiom. et impressi ceteri. Gemblac. autem et Lips. *victor*, pro quo malunt Scaliger et Markl. *victo*, quod diserte refert Ms. Paris. i. e. feris victis. Pontanus ad Macrob. p. m. 211. putat, in scriptis esse *victo*, sed ridet ei magis hoc *vivere victor.* Plautus: 'virtute dixit vos victores vivere.' Sed et *rapto* bene habet, quod τῷ *præda* æquivocum est, et pro *capta fera* ponitur.' *Stoeb.*—184 Scal. Delph. et vulg. *Sed pecorum membris m. grassentur in u.* 'Vossianus *pecudum:* recte; nam *pecorum* paulo ante, versu 179. Gemblacensis *grassantur:* id quoque recte, nisi pro *sed* legas *quin.* Quid vero est *grassari membris?* an ut vi, ferro, veneno grassari? hoc absurdum: et quorsum hic *membris*, et in proximo versu *artus?* Repono, *Sed pecudum in mortes m. grassantur in u. Mortis* pro *mortes* ubique in veteribus membranis.' *Bent.* 'Libri universi, *pecorum membris*, pro *cum membris*, scil. ferarum vel pecoris bubuli, quæ vel dilaniando ceperunt, vel aliis eripuerunt.' *Stoeb.*—185 Scal. Delph. et vulg. *Et laceros.* Et sic Paris. et Regiom. 'Repone, *Ut laceros.*' Bent. —186 Scal. Delph. et vulg. *cædem mortesque.* 'Gemblacensis, Lipsiensis,

NOTÆ

183 *Sunt quorum, &c.*] His 4. vss. notat ferarum confectores, de quibus Sueton. passim. Igitur olim apud Romanos varia præbebantur populo spectacula ad auram popularem captandam, et ad summos honores obtinendos. Hoc autem spectaculi genus, quo de agitur, venatio dicebatur. Feræ educebantur e tabernis, certoque venabulo, aut sagitta premebantur; lacerique artus fronte tabernæ appendebantur ad gloriam cædentis. Scaliger hos versus interpretatur non de iis qui luxuriæ cædem hanc ferarum parabant, sed de iis qui auctorati apud Romanos erant, operamque locabant feris cædendis et vincendis; quos, inquit, Claudianus vocat 'audaces.' De Mall. Theod. Cons. 294. 'Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum Arte ligent, certoque premant venabula nisu.' Verum sat indicat vs. 186. non audaces istiusmodi auctoratos homines, sed eos intelligi, qui venationes istas suis sumtibus parabant, ut inde auram popularem captarent, quæstum ex cædibus ac mortibus caperent, 'Luxuriæque parent cædem, mortesque lucrentur.' Adde quod Poëta venationes istas cædesque ferarum intra mœnia comparat cum venatione ferarum in sylvis, de qua locutus est vss. superioribus.

Ingenium ad subitas iras facilesque receptus
Æquale; et puro sententia pectore simplex.
.. At quibus Erigone dixit nascentibus ævum,
Apta magisterio, nodoque coërcita virgo,
Ab studio ducet mores, et pectora doctis

rarum quæstum capiant. Aliis etiam est mens pronta ad iracundiam, et ad subitos reditus, et qualis est puero. Aliis mens simplex et sincera in corde est. Verum virgo, quæ composita est ad modestiam vultu, et ministerio officii, habitum informat ad studia literarum, et instruit doctis disciplinis mentes eorum, quibus dedit vitæ tempus dum

et Venetus, *moresque*. Sed quid est *cædem parare luxuriæ?* an occidere luxuriam? ut dicunt 'parare necem,' 'letum,' 'interitum.' Repone, *L. que p. cœnam, moresque l.* Ex moribus publicis, cum cœnæ luxuriosæ immanibus impensis pararentur, lucrum faciunt. De laniis autem loquitur, ut ex fronte tabernæ constat; non, ut Scaliger, de ferarum in circo confectoribus.' *Bent.* 'Lege et distingue cum libris nostris: *L. que parent* (.) *cædem mortesque l.* Luxuriantibus oculis vel palatis illos artus parant. Laniones autem illi invidiosa contentione a verbis ad verbera properantes, vulnera non raro mortemque lucrantur.' *Stoeb.*—187. 188 Scal. Delph. et vulg. *recessus Ac quale est puero.* 'Hoc vero non apte commodeque confictum est, ut ingenium quale puero est, sub leone nascatur. Libri universi, *Æquale et puero.* Repone, *receptus Æquale; et puro, &c.* genium æquale ad iras et receptus; parvo momento huc vel illuc impellitur. Ex leonis natura hoc apotelesma ducitur; cui ex omnibus feris generositas inest, et in supplices et prostratos clementia. *Receptus* ab ira ad clementiam. *Puro pectore*, ut Horatius, Serm. I. 6. 64. 'Non patre præclaro, sed vita et pectore puro.' et Epist. I. II. 67. 'nunc adbibe puro Pectore verba, puer.'' *Bent.* 'Hæc Bentleii est scriptura; non Manilii. Hujus autem manum optime omnium expressit Regiomontanus. En tibi: *recessus Quales et puero: sententia pectore simplex.* Quibus expediendis Œdipo conjectore opus non est. Codex Paris. discrepat in his: *Æquale et pueris, sent. pect. fallax.*' Stoeb.—190. 191 Rom. et vulg. *Ore.* Scal. ex Gemb. *Ora m. nudosque c. v. Ad studium ducit,* et mox *instituit.* Delph. *nodoque:* vid. Not. inf. 'Ordo erit, narrante Scaligero, Virgo coërcita ducit magisterio in studium et mores nudos. Verum hæc nimis intricata sunt, ἄλλως κοὐδὲν ὑγιές.

NOTÆ

189 *At quibus Erigone, &c.*] His 14. vss. asserit virginis sidari studiosos, facundos, oratores, notarios, scribas, singularios scriptores, doctos, in ipso vitio moderatos, et quos pudor in prima ætate cohibeat, ne magnas naturæ dotes promant. Dabit et prole fœcundos.

Erigone] Virginis sidus, I. vs. 266.

190 *Apta* [*Ore,*] *magisterio, nodoque, &c.*] J. Bitur. bene. Id est, vultu, officio, et habitu composita ad modestiam. Vulg. *Ore, magisterio, nodosque, &c.* Sed *nodos* male, pro *nodo*. Alii, *Ora magisterio, nudosque, &c.* quasi vox *nudos* referatur ad vocem *mores*: nudos autem mores dixerit primam puerorum ætatem. Quam lectionem tuetur ita Scaliger, ut interpretetur sic: Virgo coërcita ducit magisterio ora, et nudos mores. Ora quidem, quia eloquentiam edocet: nudos mores, quia pueros moribus imbuit. Quanquam præferre sit vocem *nodoque*: ita ut *magisterio, nodoque* sit *ma-*

Artibus instituet: nec tam compendia census,
Quam causas viresque dabit perquirere rerum.

nascuntur: neque tam dictabit quærere commoda et opes, quam prima principia, et

Idem igitur mavult *nodoque*, quod in priore editione ex conjectura dederat. Esto ut *nodoque* admittendum sit: quid ea quæ restant? Cur *ora virgini coërcentur*, quæ 'Ipsa decus linguæ faciet regnumque loquendi?' Cur ipsa magisterio coërcetur, quæ aliis magistra est? ut infra 382. 'Nec leo venator veniet, nec virgo magistra, Mensuris aut libra potens, aut scorpios armis.' Codex Vossianus pro *ora* habet *apta*. Repone, *Apta m., nodoque c. v. Apta magisterio*, ut contra Horatius, Epist. II. 2. 6. 'Verna ministeriis ad nutus aptus heriles.' Quo autem sensu *nodo coërcita?* an ob vestem, vel crines? ut Horatius Carm. II. 19. 19. 'Nodo coërces viperino Bistonidum sine fraude crines:' non placet: quippe virgo ipsa coërcita est, non ejus vestis; ut Virgilius Æn. I. 324. 'Venatrix, nodoque sinus collecta fluentes.' An *nodo* erit laqueo, ex historia? quia Erigone, patre a pastoribus occiso, suspendio se necavit; ob eam pietatem in cælum translata. Mihi ideo *nodo coërcita* est, quia coërcetur et terminatur libra, quæ cum reliquis cardinibus nodus et articulus anni vocatur; Lucret. v. 687. de sole: 'Donec ad id signum cæli pervenit, ubi anni Nodus nocturnas exæquat lucibus umbras.' Noster III. 622. 'Quæ tropica appellant, quod in illis quattuor anni Tempora vertuntur signis, nodosque resolvunt.' *Coërcita* quoque proprie dictum, ut III. 647. 'Namque aries Phœbum repetentem sidera cancri Inter principium reditus finemque coërcet.' Nodo coërcita, ideoque et magisterio aptior; quia qui alios coërcet, et se quoque debet; exemploque suo discipulis præire.' *Bent.* —191 Immo *ducet*, et mox pro *instituit*, *instituet;* ut cum sequentibus congruant *dabit* et *faciet*. Sed quid illud est, *ducet mores ad studium?* cum contra a studiis mores ducantur. Ovid. Her. xv. 83. 'Sive abeunt studia in mores, artesque magistræ.' et Art. Am. III. 545. 'Scilicet ingenium placida mollimur ab arte; Et studio mores convenienter eunt.' Repone igitur, *Ab studio ducet mores.*' Idem. 'Quam hæc sunt a mente manuque Auctoris aliena! Veterem et genuinam lectionem, non alterius magis quam Regiomontani studio, beneficioque Codicis Paris. lectori restituimus. Sic autem illa habet: *Ore magisterio nudosque c. v. Ad studium ducit* (.) *m. et p. d. A. instituit* (.) *nec tam, &c.* Innumeris edocti sumus exemplis, Nostrum juxta cum aliis Poëtis, vel nulla prorsus vel metri urgente necessitate, voculam *que* non legitimæ voci jungere. Exemplum paulo supra occurrit vs. 179. Ecquis sibi h. l. religioni ducat illam huic *magisterio* jungere, ad quam ex mente Nostri omnino pertinet? Ordo est: Coërcita virgo ducit nudos ad studium, ore magisterioque, &c. Sensus: Virgo illa bene nata et curatius educata nudos, i. e. vacuos scil. literis, adeoque arte rudes, ore et magisterio, q. d. verbis, institutione et disciplina, (quemadmodum magistram decet, uti infra Nostro salutatur vs. 382.) ad studium scil. literarum ducit, aut si mavis *ducet*, et deinceps

NOTÆ

gisterii nodo, non quidem *coërcita*, sed *ducat*. Verum quid est ducere ad studium nodo magisterii? Maluerim ego referre hos ablativos *ore*, *magisterio*, *nodoque* ad vocem *coërcita*. Decet enim virginem oris, habitus, et ministerii compositio.

192 *Compendia census*] Opes habendi modum, vel lucrum, et divitias: *compendium* enim est lucrum, vs. 175. *Census* sunt opes, I. 22.

Illa decus linguæ faciet, regnumque loquendi;
Atque oculos mentis, qui possint cernere cuncta, 195
Quamvis occultis naturæ condita causis.
Hic et scriptor erit velox, cui litera verbum est,
Quique notis linguam superet, cursimque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.

effecta naturalia rerum. Illa faciet alterum ornamentum eloquentiæ, et imperium bene dicendi, et dabit oculos mentis, quæ valeat videre res omnes, licet absconditæ sint in abditis principiis naturæ. Alter quoque erit celer scriba, cui litera una erit dictio, et qui notis suis vincat loquentem, et qui excerpat per novos modos abbreviandi longas orationes oratoris celeriter perorantis. Alius erit modestus in ipso

instituet, quæ cum hoc *dabit* (vs. 193.) aptius cohærent.' *Stoeb.*—194 Sic Cod. Paris. *Ille* Regiom. Delph. *Illa*. Vid. Not. inf.—195 Scal. Delph. et vulg. *quæ possit*. 'Gemb. Venet. et Lips. *A. o. menti qua p.* Voss. *mentis qui possit*. Vel illud prius adscisce, vel hoc, *A. o. m. qui possint c. c.*' Bent. 'Cod. Lips. cum Paris. Regiom. et ejus posteriores, *qua possit*, scil. mentis perspicacia.' *Stoeb.*—197 Vulg. *felix*. 'Gemb. *velox*. Inde ταχυγράφοι dicuntur, qui et notarii.' *Scal.* 'Sic ex Gemblac. dedit Scaliger. Cod. Lips. non abire videtur. Membrana Paris. Regiom. et impressi recentiores, *scriptor felix*, quod non valde improbamus. Hoc enim *felix* omnia complectitur, quæ in boni scriptoris laude ponuntur. Quocirca si *velox* Auctor dedit, stupidum sibi finxisse lectorem oportet, cui multis insuper verbis exposuit, quid ad velocitatem scribendi pertineat.' *Stoeb.*—198 'Paris. et Regiom. *cursumque*, scil.

NOTÆ

194 *Illa*] Scaliger; bene, sup. virgo, quæ dat eloquentiam. Alii *ille*, i. e. alter, vel alius: quæ lectio bene quidem congrueret cum altera voce *hic*, vs. 197. si bene congrueret cum vocibus vs. seq. *atque oculos mentis*. Non enim sub virgine natus, sed ipsa virgo, dat oculos mentis, qui arcana rerum secreta intuentur.

197 *Scriptor velox, &c.*] His 3. vss. notat illud scriptorum duplex genus, qui notis et literis singularils scribunt. Literis igitur singulariis scribere est primam tantum cujusque vocabuli literam compendii causa scribere: sic *S. P. Q. R.* pro *Senatus, Populusque Romanus*. Ita Justinianus Imperator suas Institutiones scripsit. Ita scripsit epistolas J. Cæsar; namque A. Gell. de notis Cæsaris habet: 'In epistolis Cæsaris inveniuntur literæ singulariæ sine coagmentis syllabarum, ex quibus verba confici nulla possunt.' Ita sunt et apud nos scriptores amanuenses, quibus id genus scribendi familiare est. Gallice, *écrire en chiffre*. Notis autem scribere est compendioso scribendi genere uti inter excipiendas orationes oratorum, sententias judicum, conciones prædicatorum: verum quæ sit illa compendii nota et ratio non satis constat. Alii enim aliam sibi fingunt. Quanquam olim ejusmodi notas ac signa pueri edoceri solebant. Namque teste Prudentio Cassianus martyr magister literarum sedebat, 'Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus.' Sic notis excipere velocissime solebat verba loquentis Titus, teste Suet. in Tit. 3. Sic apud nos quoque sunt scriptores, qui conciones prædicatorum velocissime notis excipiant.

199 *Per compendia*] Per abbreviationes.

Ingenio bonus: at teneros pudor impedit annos,
Magnaque naturæ cohibendo munera frænat.
Nec fœcundus erit (quid mirum in virgine?) partus.
Librantes noctem chelæ cum tempore lucis,

vitio: et pudor retinet primos pueri annos, et coërcendo magnas dotes naturæ, impedit quominus in lucem promantur. Ex eadem virgine fœcunda proles veniet, quod mirum est in virgine. Chelæ, quæ æquant noctem cum tempore diei, in novis tempo-

superat, et vs. 199. iidem libri, *Excipiet.*' Idem.—200 Scal. Delph. et vulg. *In vitio bonus.* '' *In vitio bonus*, ὀξύμωρον,' inquit Scaliger; ' vitium, subrusticus ille pudor.' Mihi vero non ὀξύμωρον, sed plane μωρὸν videtur, *bonus in vitio*, hòc est, bonus in malo. Vossianus, *innicio bonus ut*. Repone, *Ingenio bonus; at t. p. i. a. Ingenio*, sive natura et indole.' *Bent.* 'Codd. Paris. et Lips. cum Editis præstantioribus legunt, *in vitio bonus;* quod acute potius, quam fatue, uti Scaligero Bentleioque videtur, dictum putamus. *In vitio bonus*, vel aliorum, ut illis facile indulgeat: hoc autem ut accipiamus sensu, per ea quæ statim sequuntur, non licet. Bonus autem in vitio dicitur proprio, qui non est in vitium, libidinis puta, pronus, et ne prava cupido in actum procedat, omni qua par est ratione cavet. Habes hic *in vitiis bonum*. Vin' optimum nosse? Audi Horatium: 'Vitiis nemo sine nascitur. Optimus est ille, qui minimis urgetur.' *At teneros*] Cod. Lips. *ut teneros*, i. e. pront: non male. Paris. et Regiom. cum ceteris nostris, *et ten. &c.* Explicat, quomodo sub virgine natus a teneris annis in vitio, libidinis scilicet, bonus sit.' *Stoeb.* —202 Scal. Delph. et vulg. *Hinc f. e. quod m. i. v. p.* '' Fecundi,' inquit Scal. 'etiam sub virgine nascuntur, quod mirum.' At qui hanc vanissimam artem primi condiderunt, non mira, sed probabilia secuti sunt. Pro *hinc* tres vetusti *nec;* Venet. *hæc*. Voss. autem pro *quod* habet *quid*. Repone igitur, *Nec f. e. (quid m. i. v.?) p.*' Bent. 'Illud *nec*, tametsi tribus vetustis, quos inter Lips. firmatum, contra naturam et sententiæ rationem fertur. Cod. Paris. Regiom. et ceteri, *Hinc fec. erit*. Hinc, quia magna naturæ munera, ad procreandam sobolem data, cohibendo frenavit, seu continentiam curatius exercuit, Hinc f. e. Vaga enim et libidinosa Venus infirma propere ac effœta reddit corpora. *Quid mirum in virgine*] Cod. Lips. delet hoc *in*. Legit autem cum Paris. et nostris impressis *quod m.* Rectissime. Mirum enim, sub Erigone natum esse fecundum: cum virginis, ex Auctoris quidem sensu, non sit partum edere. Totum itaque hunc versum sic constituimus: *Hinc f.*

NOTÆ

200 *Ingenio* [*In vitio*] *bonus*] I. e. qui nascetur sub virgine, etiam in vitio bonus erit, motusque libidinis cohibere sciet.

At teneros pudor, &c.] I. e. qui nascetur sub virgine, pudore non promet in lucem magnas naturæ dotes, quamdiu teneros adhuc aget annos. Pudor quippe in pueris quidam est timor, qui coërcet eos, quominus libere agant, aut loquantur.

202 *Nec* [*Hinc*] I. e. ex virginis sidere.

203 *Librantes noctem, &c.*] His 4. vss. docet quæ studia, quos mores, quasve artes det libra. Huic autem ascribit mensores, ponderatores, calculones, jurisperitos, legislatores, legum interpretes, et ejusmodi homines.

Chelæ] Libra, I. 608.

Cum nova maturi gustamus munera Bacchi,
Mensuræ tribuent usus, ac pondera rerum,
Et Palamedeis certantem viribus ortum,
Qui primus numeros rebus, qui nomina summis

ribus vini, quod maturescit post annum, dabunt et usum mensuræ, et pondus rerum, et partum contendentem viribus ipsius Palamedis, qui primus dedit numeros rebus,

---

erit (,) *quod m.* (,) *virgine p.*' Stoeb.—204 Rom. et vulg. *Per n. m. post addunt.* ' Inepte. Gembl. et textus Bonincontrii *post annum.* Chelæ librantes noctem cum luce per nova munera maturi Bacchi : hoc est, vindemiali tempore. *post annum, περιπλομένου ἐνιαυτοῦ.*' *Scal.* Scal. et Delph. *Per n. m. post annum tempora B.* ' Vulgatæ editiones habebant, *Per nova maturi post addunt munera Bacchi.* De hoc Scaliger in priore editione, ' Versus est,' inquit, ' non solum irreptitius, sed et ridiculus et barbarus, ac nullam sententiam efficit ;' et e textu prorsus ablegavit. At in posteriore, ' Inepte :' inquit, ' Gemblacensis *post annum :* Chelæ, &c. Suspectus versiculus.' Et merito, quidem : nisi emendari posset. Sed vir magnus, nimium festinans, *tempora* in textu posuit ; cum libri omnes haberent, et ipse vellet, *munera.* Repono, *Cum n. m. gustamus munera B.* Sic Ovidius Art. Am. I. 565. ' Ergo ubi contigerint positi tibi munera Bacchi.' Sub libra, cum nova musta gustamus : sub eadem enim, III. 662. ' Tum Liber gravida descendit lenis ab ulmo, Pinguiaque e pressis exspumant musta racemis.' Juvenalis X. 250. de Nestore, ' Quique novum toties mustum bibit.' Vel uvas maturas. Martial. VIII. 68. ' Invida purpureos urat ne bruma racemos, Et gelidum Bacchi munera frigus edat.' *Gustamus, post annum :* talia erratorum portenta in uno alterove codice, et interdum in omnibus, singulis fere paginis occurrunt.' *Bent.* ' Manilii scripturam, quam servant Gemblac. et Paris. Regiom. cum Bonincontr. expressit : *Per n. m. post annum munera B.* Ordo : Chelæ librantes noctem cum luce per nova munera Bacchi maturi post annum. Hoc est, vindemiali tempore, cum vinum Bacchus novum largitur, quod anno post bibendo maturum est.' *Stoeb.* —205 Scal. Delph. et vulg. *M. et t. u. et p. r.* Et sic Paris. et Regiom. ' Libri veteres, *M. t. u. ac p. r.*' Bent.—207 Vulg. *qui munera s. I.* ' Non solum locum vitiosum olim indicavimus, sed etiam *momina* pro *munera* legendum esse monuimus. Conjecturæ nostræ favet Gemblacensis codex, qui habet *nomina.* Recte etiam indicavimus *mumina* scriptum fuisse, unde factum *munera.*' Scal. ' Iterum sua *momina* induxit Scaliger ; numquam felice successu ; quam ob rem Huetio hic vapulat. [Vide inter notas huic editioni appensas.] Vetusti omnes *nomina summis :* quod recte se habere vel Sophoclis de Palamede versus indicant, ab ipso Scaligero citati : *πρῶτος ἐξ ἑνὸς δέκα,* Κἀκ *τῶν δέκ' αὖθις εὗρε πεντηκοντάδας,* Καὶ *χίλι' αὖθις.* Certe qui summas, decem, quinquaginta, mille primus invenit ; idem summis istis primus nomina imposuit. Nec summæ enim sine nominibus esse poterant, nec nomina sine summis.' *Bent.* ' Recte *nomina,* non *momina,* quod Scaligero in deliciis est ; nec *munera,* uti legere est in Cod. Paris. et Regiom. ceterique vulgarunt ; nisi possis hæc accipere pro valore numerorum compositorum seu summarum, quem certo quo-

NOTÆ

204 *Bacchi*] Vini, vindemiæ, II. 20. III. 153.

206 *Et Palamedeis, &c.*] Palamedes enim Nauplii Eubœæ regis filius, calculorum ludum, mensuras, et pondera rerum, numeri figuras, numerosque rerum excogitasse fertur. Euripid. in Palamede. Quanquam Prometheus numerorum saltem primus inventor creditur.

Imposuit, certumque modum, propriasque figuras.
Hic etiam legum tabulas, et condita jura
Noverit, aque notis levibus pendentia verba;
Et licitum sciet, et vetitum quæ pœna sequatur,
Perpetuus populi privato in limine prætor.
Non alio potius genitus sit Servius astro,
Qui leges proprias posuit, cum jura retexit.
Denique in ambiguo fuerit quodcumque locatum,
Et rectoris egens, diriment examina libræ.
    Scorpios armatæ metuendus cuspide caudæ,

et nomina numeris, et certas mensuras, et proprias figuras. Idem quoque sciet tabulas legum, et leges scriptas, et voces quæ dependent ab exiguis figuris: noverit etiam ea supplicia, quæ manebunt fas et nefas; quippe qui æternus judex plebis sedebit in privata sua domo. Oportuit ut Servius, qui magis fecit leges, quam condita jura solvit, natus non fuerit sub alio signo. Tandem æquamenta libræ discernent quicquid positum fuerit in dubio, et quicquid opus habebit interpretis legum. Scorpius, qui (dum trahit circulum solis per suas stel-

---

que nomine definivit.' *Stoeb.*—209 Rom. et vulg. *Hinc.* Correxit Scal. ex Gemb.—210 Scal. Delph. et vulg. *atque.* 'Immo, *aque notis.*' Bent.—214 Scal. Delph. et vulg. *potius p. quam j. r.* 'Sententia satis obscura. Vossianus *cum jura;* neque aliter Gemblacensis et Lipsiensis, nisi quod superne habeant *quam* pro lectione varia. Illud *potius* inconcinne hic venit; cum in præcedente versu et eodem versus loco venerit, *Non alio potius.* Repono, *Qui l. proprias p., cum j. r.* Servius Sulpitius, vel quivis jurisconsultorum princeps, dum jura prius condita et incognita retegit; non minus facit, quam si proprias leges poneret, earum lator non interpres.' *Bent.* 'Ms. Paris. Regiom. cum ceteris, *l. potius pos. quam, &c.* i. e. qui legum magis latorem, quam interpretem, egit.' *Stoeb.*—216 'Duo principes libri Paris. et Regiom. *diriment.*' Idem.—217 Scal. Delph. et vulg. *S. armata violenta c. cauda.* 'Vide modo ista ὁμοιοτέλευτα, *armata, violenta, cauda.* Elegantior est Noster, et poëtici juris peritior, quam ut talia effutiat. Quid quod *violenta* mox iterum habemus, vs. 224.? Ne diffidas emendationi quam daturus sum veneratione librariorum; scias hic veteres universos habere *Scorpion;* Voss. insuper *armati.* An ulla talibus reverentia debetur? Repone, *S. armatæ metuendus c. caudæ.*'

NOTÆ

208 *Propriasque figuras*] Proprios numerorum characteres.

210 *Notis levibus*] Qualibus Justinianæ Institutiones scribuntur. Quas tamen notas ut e libris juris Latinis Justinianus, ita e Græcis Basilius imperator sustulit. Cedren. 467.

212 *Prætor*] Judiciorum et litium populi arbiter ac moderator voluntarius.

213 *Non alio*] Sup. quam sub libræ sidere.

Servius] Sulpitius Servius, Juris antistes, Ciceroni familiaris, qui missus a senatu ad Antonium, qui reipub. bellum inferebat, in legatione periit, Cic. IX. Philipp.

216 *Rectoris*] Interpretis, directoris, judicis.

217 *Scorpios armatæ, &c.*] His 13.

Qua, sua cum Phœbi currum per sidera ducit,
Rimatur terras, et sulcis semina miscet,
In bellum ardentes animos, et Martia corda
Efficit, et multo gaudentem sanguine Syllam:
Nec præda, quam cæde magis. Quin ipsa sub armis

las) effodit terras cauda sua, quæ armatur gravi aculeo, et qui confundit segetes in sulcis, scorpius, inquam, reddit mentes ad pugnam et ad castra Mavortia, et reddit civem delectantem se multo cruore, nec magis lætantem spolio, quam nece: et quan-

Metuendus, ut Noster II. 559. de scorpio: 'Erigonen libramque fugit, metuendus et ipse.' Horat. Carm. II. 17. 17. 'Seu libra seu me scorpios aspicit Formidolosus.' Ovid. Fast. IV. 163. 'Dum loquor, elatæ metuendus acumine caudæ Scorpios in virides præcipitatur aquas.'' *Bent.* 'Vetus lectio Cod. Paris. Regiom. et ceterorum bonæ notæ librorum: *Scorpius armata violenta cuspide cauda.* Quæ si delicatis auribus tuis duriuscule sonant, age, me tamen non auctore, legas *Scorpios armatus violenta cuspide caudam.*' Stoeb.—218 Rom. et vulg. *Qua sua.* 'Inepte. Lege *Qui sua.*' Scal. et sic Delph. 'Libri universi, *Qua sua.* Hic Scaliger, '*Qua sua*] Inepte. Lege *Qui sua.*' Bona tua venia, ὦ θαυμάσιε, non inepte, sed eleganter et vere, *Qua: Qua caudæ cuspide rimatur terras.* Neque enim toto corpore, sed cuspide, tamquam vomere, terram vertere fingitur.' *Bent.*—220 Scal. Delph. et vulg. *Martia castra.* 'Et sic libri omnes.' *Stoeb.* '*Martia castra efficit?*' putide et inepte. Cum *efficit* dicit, ingenium et indolem hominum, non hominum ipsorum opera dicit. Repone, *Martia corda. Animos* et *corda*, ut infra 529. 'Nec triste ingenium, sed dulci tincta lepore Corda creat:' et v. 68. 'Solertes animos finget, curasque per omnes Indelassato properantia corda vigore:' et 185. 'Hinc timidæ mentes, tremebundaque corda creantur.'' *Bent.*—221 Scal. Delph. et vulg. pro *Syllam, civem.* 'Cur *civem* magis quam regem aut tyrannum? Quid quod civis relativum et τῶν πρός τι; si scorpios efficit civem, ipsius scorpii civis erit. Repone, *E. e. m. g. sanguine Syllam. Syllam;* ut supra Palamedem, Servium, et infra Hannibalem, Tiphyn, Bellerophontem, Eumæum, Sybolen, &c. Syllam; notum ex historia. Lucanus II. 139. 'Sylla quoque immensis accessit cladibus ultor, Ille, quod exiguum restabat sanguinis urbi, Hausit: dumque nimis jam putrida membra recidit, Excessit medicina modum,' &c. Stat. Silv. IV. 6. 'nec barbarus umquam Hannibal, aut sævi poterit vox horrida Syllæ.'' *Bent.* 'Mitte hunc unde venit, et repone ex Cod. Paris. quocum Regiom. et ceteri, *civem*, quemvis scil. qui in civili societate vivens, multo gaudet sanguine. Sublato dein (:) sequentia ita necte, *Nec præda quam cæde magis* (.) scil. gaudentem civem: i. e. qui non tam spoliis de hoste trahendis inhiat, quam sanguini, adeoque vel sola internecione delectatur.' *Stoeb.*—222 Scal. Delph. et vulg. *cumque i. s. a.* 'Vetusti omnes, *quin ipsa.* Quod cum Scaliger in Gemblacensi vidisset, non recepisse miror.' *Bent.* '*Quin ipsa sub armis Pax agitur* (:) Pro *quin* scribe *cumque.* Distinctio adhuc expungenda, ut sensu ista meliore potian-

NOTÆ

vss. docet natos sub scorpione teneri studio belli cum hominum, tum ferarum; gaudere multo sanguine, multaque præda; gladiatores fore; belli simulacris delectari, atque inter ipsa pacis otia bellum discere.

218 *Cum Phœbi, &c.*] I. e. cum sol perlustrat ipsum. Tunc enim potissimum scorpius in terris furit, rimatur terras, et acri ferit ictu, Plin.

Pax agitur: capiunt saltus, sylvasque pererrant.
Nunc hominum, nunc bella gerunt violenta ferarum:
Nunc caput in mortem vendunt, et funus arenæ:
Atque hostem sibi quisque parat, cum bella quiescunt.
Sunt quibus et simulacra placent, et ludus in armis;
Tantus amor pugnæ; discuntque per otia bellum,
Et quodcumque nepæ studium producitur astro.

do pax ipsa est inter arma, recipiunt se in sylvas, et vagantur per nemora; et sic modo faciunt cruenta bella hominibus, modo feris: modo dant venale caput suum ad necem, et ad cædem palæstræ: et quisque facit sibi hostem, quando bella cessant. Alii sunt quibus exhibitiones pugnarum et ludus in bellis placent, adeo magna est illis aviditas pugnæ, et ediscunt bellum inter ipsa otia belli, et omnem aliam disci-

tur. Libri nostri sane quam concinne, *cumque i. s. a. P. agitur, c. saltus, &c.* Nulla illis armorum cessatio. Ab hominum cæde ad feras properant capiendas, necandas. Quæ sententia vs. seq. declaratur amplius. Notandum autem, pluralia ista *capiunt, pererrant, gerunt, vendunt* eundem illum *civem* vs. 221. respicere, sed collective sumptum.' *Stoeb.*—225 'Sic codices: sed acutissimus Nic. Heinsius ad Claudianum et Ovidium sic mavult, *Nunc c. ad Martem vendunt, et munus a. Munus arenæ* satis bene; *Martem* non æque. Retinemus utrumque, et *mortem* et *funus*. Horatius Serm. II. 7. 58. 'Quid refert, uri virgis ferroque necari Auctoratus eas?' Ergo ad mortem se vendebant; et *funus arenæ*, ut I. 883. 'Extulit antiquas per funera pacis Athenas.'' *Bent.* 'Non aliter ullus Codex, nisi Lips. qui inepte, *et finis aren.* Magis se nobis probat Heinsii emendatio, *et munus ar.* quo certamen gladiatorum intelligitur, quod, uti cetera spectacula, *muneris* nomine venit. Vide Heins. ad Ovid. Art. Amat. I. 170. Si vulgatam sequi malis, sentias necesse est, illos homines jacere insepultos velle; quod uti semper in suppliciis habitum maxime ignominiosis, ita in loco præsenti eo foret absurdius, quod illi liberrima voluntate caput seu vitam in mortem vendunt, non in Martem, quod audacius tentavit idem ille V. C. ad Claudian. II. in Rufin. 396. Vendunt autem munus arenæ gladiatores illi, qui summa liberalitate munificentiaque conducti, populum recreabant.' *Stoeb.*—228 Scal. Delph. et vulg. *pugnæ est.* '*Est* a Gemblacensi abest. Sic Virgilius, Georg. II. 301. 'Tantus amor terræ:' et Georg. III. 112. 'Tantus amor laudum:' et Georg. IV. 205. 'Tantus amor florum.' ubique sine verbo substantivo.' *Bent.*—229 Scal. Delph. et vulg. *E. q. pari s. p. arte.* 'Atqui non studium arte, sed ars studio producitur. Repone, *Et q. nepæ st. p. astro. Nepa* idem est quod scorpios. Sic II. 32. et alibi.' *Bent.* 'Siccine quodvis aliud studium,

NOTÆ

223 *Capiunt saltus, &c.*] Suppl. ad feras inter venandum occidendas.

225 *Caput in mortem vendunt, &c.*] I. e. gladiatorum munus agunt, et vitam suam ob alienæ gratiæ voluntatem, nundinati sanguinis jactura, ad mortis spectaculum vendunt, ut ait Firmic. V.

Arenæ] Palæstræ, i. e. campi in quo gladiatores ad spectaculum pugnabant. Dictus igitur talis locus *arena*, ab arena et pulvere quibus sternebatur.

227 *Simulacra, et ludus in armis*] Gallice, *Revues*. Virg. Æn. V. 674. 'Quo ludo indutus belli simulacra ciebat.'

At quis semifero centauri in corpore sors est
Nascendi concessa, libet subjungere currus,
Ardentes et equos ad mollia ducere frena,
Et totis armenta sequi pascentia campis,

plinam, quæ simili arte progignitur. Verum iis, quibus sors data est nascendi sub duplici corpore sagittarii, placet subjicere currus equis, et tractare equos feroces ad flexiles habenas, subsequi greges illorum, dum pascunt per cunctos agros, domare

præter rem bellicam, scorpius natis suis tribuit? Falsum hoc. Ergo retineamus inveteratam scriptorum pariter ac impressorum lectionem, *Et q. pari st. pr. arte. Producitur* non est perficitur, sed idem quod oritur, et origini est cognatum. Omne illud studium complectitur, quod armis tractandis exercetur.' *Stoeb.*—230 Scal. Delph. et vulg. *At quibus in bifero centauri corpore s. e.* 'Sic quidem librarii; sed quo jure dispiciamus. *Bifero corpore?* quale illud est corpus? *Semiferos* alii appellant centauros, Lucretius, Cicero, Virgilius, quis non? Si, ut sunt, semiferi sunt, quo sensu erant *biferi?* Si *biferi*, tum toti sunt equini, et non centauri. *Biferum* est, quod bis in anno fructus ferat, ut Virgilius Georg. IV. 119. 'biferique rosaria Pæsti.' nullo alio sensu fertur, nec ferri potest. Semibos, semideus, semihomo, semifer, hæc recte: bibos, bideus, absurdissime. Repone, *At quis semifero c. in c. s. e.*' Bent. 'Redde Auctori *bifero*, quod, contra omnium librorum fidem, Bentleius mutavit. *Biferum* autem dicit centaurum, quod duobus ille animalibus, tametsi non utique feris, constat. Sic infra v. 15. 'Et biferum cetum,' &c. Hic ergo sic legas, *At quibus in bifero c. c. s. e.*' Stoeb.—231 Rom. et vulg. *conjungere c.* 'Lege, ut vetus Gemb. *subjungere c.* Conjunguntur duo currus; subjungitur equis currus. Longe differunt.' *Scal.* 'Qui hanc lectionem ex Gemblac. protulit, illustris Scaliger, alterum ejus exemplum, rarissimum scilicet, indicare omisit. 'Curru subjungere tigres' Virgil. Eclog. v. 29. ubi *curru* pro currui vel in curru. Quemadmodum idem Æn. v. 817. 'Jungit equos curru genitor,' &c. i. e. currui v. ad currum. Solennis hæc formula 'jungere equos.' Conf. Scheffer de Re Vehic. I. 12. *Subjungere* autem *currus* suppl. equis, nullibi lectum nobis. Libet ergo *conjungere currus*. Hæc vetus lectio, Cod. Paris. et Editorum antiquorum miro consensu firmata. Eam vel de certamine curuli possis intelligere, quo duobus junctis curribus, nonnullos decertasse videtur. Certe plures uni currus tribuit Silius, Punic. XVI. 322. 'ore sequuntur Quisque suos currus,' &c. Ubi quidem Cod. Colon. legente Heinsio, *cursus*, quod cum altero sæpius commutatum. At nulla ibi enallage numeri locum habet, cum sine metri detrimento scribere potuisset, *suum currum*, et plures *cursus* uni agonistæ agendi non essent. Quapropter retinendum ibi *suos currus*, et de duobus saltem accipiendum putamus. Quæ si ad præsentem Manilii locum minus apte referri putes, alteram en! accipe vocis *conjungere* notionem, qua valet inter se committere, cujus exempla certatim Lexicographi præstabunt. Erit igitur *conjungere currus* dictum pro, certamine curuli decertare.' *Stoeb.*—

NOTÆ

230 *At quis semifero, &c.*] His 13. vss. ait natos sub sagittario fore rhedarios, domitores equorum, mansuetarios, robustos corpore, mente acutos, cursuque veloces et agiles.

Semifero [bifero] corpore] I. e. quod duplici forma constat. Sagittarius autem constat equina et humana forma, I. 270.

231 *Subjungere currus*] Suppl. equis: i. e. subjungere equos curru.

233 *Armenta*] Suppl. equorum, i. e.

Quadrupedum omne genus positis domitare magistris,
Exarmare tigres, rabiemque auferre leoni,
Cumque elephante loqui, tantamque aptare docendo
Artibus humanis varia ad spectacula molem.
Quippe feræ mixtum est hominis per sidera corpus,
Impositumque manet: quocirca regnat in illas.

genus omne equorum per magistros, qui sedeant in illis, mitigare tigres, tollere etiam leoni suum furorem, et loqui cum elephante, et loquendo instruere tam ingentem animalis massam, per artes humanas, ad diversas res, quæ admirationem rapiant. Scilicet in sagittario corpus hominis conjunctum est et positum stat corpori ferino inter sidera; quamobrem tenet imperium in illis duobus corporibus. Quod

234 Rom. et vulg. *Q. omne g.* 'Videndum an scripserit, *Quadrupedum genus impositis domitare magistris.* Nam *impositus* pro equo vehens dicitur. Virgilius: 'Frena Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere Impositi dorso.' Et Manilius ipse, 'imposito pareret tota magistro.' Non aliter scripsit Noster, quanquam receptæ lectioni favere videtur illud, 'quid capto sanguine Regem Romanis positum?' hoc est, impositum.' *Scal.*—235 Scal. Delph. et vulg. *Exorare.* 'Codd. omnes *exorare;* etiam Gemb. quem Scal. falso credidit *exunglare* præferre. Lego *exarmare;* potius quam *et cicurare.* Lampridius: 'Leones et leopardos exarmatos.' Calpurnius Eclog. v. de serpente, 'et obtuso jacet exarmata veneno.'' *Bent.* 'Libri nostri omnes, *exorare:* quod elegantissime de mansuetariis dictum. Quemadmodum et infra v. 707. 'Ille tigrim rabie solvet, pacique domabit.' Non enim vult, illos rabiem tigridi, sed rabiei vim nocendi auferre. Unde rectius conjunguntur *exorare* et *rabiem auferre.* Altero Martialis in eadem re usus I. 7. 3. 'Nunc sua Cæsareos exorat præda leones.' Vide Not. Eruditor. ad Flacc. VII. 597.' *Stoeb.*—236 Scal. Delph. et vulg. et sic Paris. et Regiom. *loquendo.* 'Non placet *loqui* et *loquendo.* Repone *docendo.*' Bent.—238 'Hi duo spurii videntur; certe infra Auctoris elegantiam.' *Bent.*—239 Rom. et vulg. *in illos.* Scal. ex Gemb. *illas.* '*Quocirca regnat in illas* (.) scil. feras, minus placet. Nullum enim ingenii vel imperii discrimen intercederet his, et qui sub leone

NOTÆ

equos. Armentum enim grex est majorum pecudum, v. g. boum, equorum, &c. Verum hic agitur tantum de equis: unde per *armenta* intellige equos.

234 *Quadrupedum*] I. e. equorum. Licet enim *quadrupes* dicatur de omni animali quod quatuor pedes habet, hic tamen significat solos equos, quos domant nati sub sagittario. Et passim apud poëtas usurpatur tantum pro equis: sic Virg. Æn. XI. 714. 'Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.'

235 *Exarmare* [*Exorare*] *tigres, &c.*] Mansuetarios notat, qui tigres, leones, et feras ferociores mitigare solent. Sed de his fusius v. 502.

236 *Cumque elephante loqui, &c.*] Notat eos qui elephantos loqui docent. Est enim illud ingens animal maxime docile, de cujus disciplina mira narrat Plinius. Martial. I. 105. 'Et molles dare jussa quod choreas, Nigro bellua nil negat magistro.'

239 *Impositumque manet*] Corpus enim hominis quasi insitum est corpori equi in sagittario. Pars quippe anterior pars est hominis; posterior vero, equi, I. 270.

Quodque intenta gerit cūrvato spicula cornu;
Et nervos tribuit membris, et acumina cordi,
Et celeres motus, nec delassabile pectus.
Vesta tuos, capricorne, fovet penetralibus ignes:
Hinc artes studiumque trahis. Nam quicquid in usus

autem sagittarius fert sagittam intentam arcu retorto, ideo dat nascentibus sub se et vires per artus, et stimulos in animo, et cursus veloces in corpore, et pectus, quod nequeat anhelando fatigari. Vesta conservat in sacrariis tuas flammas, o capricorne: inde ducis disciplinas et studia, quæ dictas. Etenim illud omne,

atque scorpio nati feruntur. Ms. Paris. Regiom. et ceteri impressi, *in illos*, quod est vel, principatum tenet inter illos ferarum domitores et mansuetarios, vel *regnat*, i. e. dominatur *in illos*, scil. elephantas, de quibus proxime, et junguntur statim vss. seq. (nulla enim Regiom. distinctio (.) post *illos*.)' Stoeb. —240 'Solus Regiom. pro *intenta* legit *in terra*. Non male.' *Idem*.—243 Vulg. *Festinos c.* 'Gemblacensis et alter codex, *Vesta tuos c.* Totus igitur ita legendus erit: *Vesta tuos, capricorne, fovet p. i.* Capricorni sidus dicatum Vestæ. Supra in tutelis Deorum: 'Atque angusta fovet capricorni sidera Vesta.' Ignis, qui dicatus est Vestæ, et ad capricornum quoque pertinet, et omne opus ex igne.' *Scal.* 'Vesta capricornum sua dignatur tutela, quod constat ex II. 445. At quid capricorno cum igne Vestali? Quonam inde modo artes studiumque tradit? Tacent Scaliger atque Bentleius, qui sola Gemblac. auctoritate ista vulgarunt. Tu forte malis ex conjectura, *Vestales ignes*, pro perpetuos; vel, cum Cod. Paris. et Fornerio Rer. Quotid. II. 6. *Festivos*. Sed cum, præ ceteris astricæ scientiæ scriptoribus, Manethoni II. Apotelesm. 93. tropicus capricorni dictus est *κύκλος θοοῦ αἰγοκερῆος*, quod recte redditur, *festini capricorni*: tum vero prævalet apud nos interpretum vetustiorum lectio: *Festinos, c. foves p. i.* *Festinos*, i. e. celeres et ad aliquid audendum agendumque jugiter instigantes: *penetralibus* non innuuntur statim 'canæ penetralia Vestæ,' ceu canit Virgil. Æn. v. 744. sed *penetralibus* supple tuis capric. i. e. in intimis cordis tui recessibus. Sic A. Gellius IX. 9. extr. 'quod Homerica λῃτὸ gaudium gaudeat genuinum et intimum, atque in ipso adeo penetrali cordis et animæ vigens.'' *Stoeb.*—244 'Recte *Hinc*, non *Nunc*, quod dedit, nescio quo sensu, Regiom. *Huc* legit Ms. Paris. Hinc, inquit, quoniam agilem ignem in pectoris quasi foco alis, hinc artes metallurgicas studiumque in vestes (vs. 252.) trahis, ob brumale frigus, cui in ordine sig-

NOTÆ

243 *Vesta tuos, &c.*] His 16. vss. asserit capricorno fusores, conflatores, flaturarios, aurifices, fabros, ferrarios, inconstantes animos, Veneri deditos juvenilibus in annis tantum.

Vesta] Sidus capricorni in tutela est Vestæ, II. 445. Fuit autem Vesta Romanis Dea, unaque ex penatibus Diis quos Æneas in Italiam advexit, Virg. Æn. II. 293. et 296. et Macrob. Hanc autem sub ignis forma coluerunt Romani, Ovid. Fast. VI. et Procop. de bello Persico II. Hunc ignem sacratum dixerunt, quem virginibus Vestalibus servandum tradiderunt. Ignis religio fuit Chaldæis: Persis, Deus. Agath. Hist. II.

Penetralibus] In interioribus sacrarii partibus, in quibus sacra Vestæ fiebant.

244 *Hinc*] I. e. ex hac re: ex eo quod Vesta foveat sidus capricorni.

Ignis eget, poscitque novas ad munia flammas,
Sub te censendum est: scrutari cæca metalla,
Depositas et opes terrarum exquirere venis,
Materiamque manu certa duplicarier arte:

quod ignis facit in usus nostros, et quod petit novos ignes ad opera facienda, id, inquam, omne reponendum est sub tuo jure: v. g. effodere metalla abscondita, et divitias occultas in visceribus terræ, et coquere venas terræ, et dilatare malleo ma-

----

norum expositus es.' *Idem.*—245 Scal. Delph. et vulg. *I. agit p. q. n. ad munera f.* 'Ita Gemb. et editio Lugdun. non autem *sidera*, ut aliæ editiones.' *Scal.* 'Ordo erit, Nam quicquid ignis agit in usus. Sed melius veteres, *ignis eget:* eget ignis, sive igne. Pro *munera*, Venet. et Lips. *flumina*. Repone igitur, *I. eget, p. q. n. ad munia f.* Infra 276. 'Quicquid et in proprios pelagus desiderat usus.'' *Bent.* '*Ignis eget*] Sic in Cod. Lips. legitur, sed ab altera manu correctum. Libri omnes, *agit*, i. e. quicquid igne ad certum usum præparatur. *Novas ad munia flammas*] Illud *munia* Bentleii ingenio debetur. Gemblac. Paris. et vulgati Regiom. Ald. Rom. *munera*. Cod. Lips. et Venetus, legente Bentleio, *flumina*, quod arti fusoriæ cumprimis convenit. Metalla enim fusa ignei fluminis instar foco emittuntur.' *Stoeb.*—247 Scal. Delph. et vulg. *terræque exurere venas*. Gemb. *terramque exurere venis*. 'Scribe, *terrarum exquirere venis*.' Bent. 'Codd. omnes, *exurere:* in ceteris variant. Paris. et Regiom. ejusque posteriores, *terræque exurere venas*. Ubi *venæ* sunt continens pro contento. Eadem figura Tibull. II. 3. 9. 'Nec quererer, quod sol graciles exureret artus.' Et Noster iterum, multoque clarius, v. 533. 'Et coquet argenti glebas, venamque latentem Eruet.'' *Stoeb.*—248 'Versus ab homine alchymista infarctus. Saltem debebat loqui Latine non alchymistice, si nobis persuadere volebat hanc fœturam esse Manilii. Nam profecto nunquam *exurere* et *duplicari* activum et passivum simul conjunxisset, nulla alia distinctione facta: et præterea, quod caput est, nunquam *duplicarier* pro *duplicari* dixisset. Deinde abrupta est sententia. Postremo est ἀνιστορησία καὶ ἀναχρονισμός. Illis enim temporibus alchymiæ neque nomen neque res nota, ne audita quidem Romanis auribus. Non habemus antiquiorem Firmico, qui ejus mentionem fecerit. Nam lib. III. in decretis lunæ in nona domo: 'Si,' inquit, 'Saturni hæc domus fuerit, scientiam alchymiæ (dabit), si solis, providentiam in quadrupedibus.' Suidas de vellere aureo Colchorum: τοῦτο δ' οὐχ ὡς ποιητικῶς φέρεται· ἀλλὰ βιβλίον ἦν ἐν δέρμασι γεγραμμένον, περιέχον ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσόν· εἰκότως οὖν οἱ τότε χρυσοῦν ὠνόμαζον αὐτὸ δέρας διὰ τὴν ἐνέργειαν ἐξ αὐτοῦ. Alibi: χημεία ἡ τοῦ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευή, ἧς τὰ βιβλία διερευνησάμενος ὁ Διοκλητιανὸς ἔκαυσε, διὰ τὰ νεωτερισθέντα Αἰγυπτίοις Διοκλητιανῷ· τούτοις ἀνημέρως καὶ φονικῶς

NOTÆ

245 *Ad munia*] I. e. ad opera, ad officia, qualia sunt opera fabri ferrarii, quæ iterum novum postulant ignem ad molliendum rursus ferrum in omnem artem.

246 *Scrutari cæca metalla, &c.*] Metallarios seu metallicos notat, qui effodiendis metallis, auro, argento, ære, ferro, plumbo, stanno, &c. dant operam. *Cæca* autem, i. e. abscondita in intimis terræ visceribus.

247 *Exquirere* [*exurere*] Coquere, fundere, liquefacere igne.

Terrarum venis] Metalla, arenas miniarias, &c.

248 *Manu duplicarier*] Malleo dilatari, diduci. Quæ nisi sic interpretatus fueris, Scaligero assentias necesse

Quicquid et argento fabricetur, quicquid et auro :
Quod ferrum calidi solvant atque æra camini,

teriam per certam artem : deinde id omne, quod efficitur ex argento, et quod conflatur ex auro : præterea tua dona erunt, quod ardentes fornaces liquefaciant, et sepa-

---

ἐχρήσατο. ὅτε δὴ καὶ τὰ περὶ χημείας χρυσοῦ καὶ ἀργύρου τοῖς παλαιοῖς γεγραμμένα βιβλία διερευνησάμενος ἔκαυσε πρὸς τὸ μηκέτι πλοῦτον Αἰγυπτίοις ἐκ τῆς τοιαύτης προσγίνεσθαι τέχνης, μηδὲ χρημάτων αὐτοὺς θαῤῥοῦντας περιουσίᾳ τοῦ λοιποῦ Ῥωμαίοις ἀνταίρειν. Ex istis potes colligere, quamvis inventum vetustissimum est, tamen sero ad Romanos pervenisse. Nam a quibus temporibus Arabes eam popularibus suis vulgarunt, ex eo sero tandem barbare et insolenter exposita ad nos traducta est. Dolebat nimirum homini alchymistæ, qui sciebat populares artis suæ sub hoc signo nasci, id negligenter a Manilio præteritum esse. Sed nulla fornax ciniflonum ita recoquere hunc versum poterit, ut purum putum Manilianum efficere possit. Quid verbis opus est? Versus est alchymista dignus.' *Scal.* 'Ego cum Scaligero sentio: neque versum agnosco, nisi et ordine mutatum, et velut ex alchymistæ furno sic recoctum, ut pene alius videatur. Libri veteres universi *duplicari et arte.* An sic placebit? *M. que rudem cara duplicaverit arte.* Ovid. Met. II. 5. 'Materiam superabat opus.' Noster III. 28. 'Auroque atque ebori decus addere, cum rudis ipsa Materies niteat:' et v. 502. 'Artifices auri faciet, qui mille figuris Vertere opus possint, caræque acquirere dotem Materiæ.'' *Bent.* 'Sic legunt scripti pariter ac cusi omnes. Equidem lubenter accedimus Salmasio, qui ad Histor. August. pag. 919. hunc, sic uti vulgatus est, versum Manilio dignissimum judicat. Et sane repetit ejusdem artis studium infra v. 529. sqq. Neque adeo nos offendit illud *duplicarier,* ut ejus causa vel apicem mutari necesse videatur. Solent enim oratores pariter ac poëtæ verbis passive terminatis activam servare significationem. Quod in hoc *duplicarier* metri caussa factum. Probatissima ejus rei exempla collegit Auson. Popma de Usu Ant. Locut. I. 11. Quapropter ne Marklandi quidem, tametsi non incommodam, recipimus emendationem : *M. que manus certam duplicare per artem.* Verbum illud *duplicare* non modo significat augere, verum etiam componere, conjungere. Cic. Att. v. 15. 'Exercitum nos,' inquit, 'Deiotari adventu, cum suis copiis duplicatum eramus.' id dubio procul est conjunctum. Plura in hanc rem exempla congessit Cl. Vierschrot l. c. qui proinde Manilianum versum, si nostro standum judicio, rectissime accipit de compositione metallorum, quæ efficit electrum et alia mixta metalla. Cujusmodi Romanis uti notissima, ita usu maxime fuerunt recepta. Quod addit Noster, *manu* illam fieri compositionem, intelligendum ex oppositione metallorum naturalium, et ex usu loquendi, quo ejusmodi effecta signate manu dicuntur facta. Liv. II. 5. 4. 'Insulam factam ; postea, credo, additas moles, manuque adjutam.' Non autem conjungenda *manu certa,* quod placuit V. C., sed *arte certa,* i. e. minus fallaci, neque tamen in vulgus nota. Contrarium 'incertus,' pro quo Noster 'infidas artes' dixit supra II. 110. coll. not.'

NOTÆ

est, qui putat hunc versum non esse Manilianum fœtum, sed ab alchymista quodam insertum, qui sciens alchymistas partus esse capricorni, a Manilio tamen non censeri dolebat. Nec abnuerim. Alchymistæ enim certa arte materiam duplicare seu augere posse jactitant.

250 *Solvant*] Separent, liquefaciant, fundant. Ignis enim heterogeneas partes separat, homogeneas vero coagulat, ut aiunt.

Consummentque foci Cererem, tua munera surgent.
Addis et in vestes studium, mercemque fugacem,
Frigore brumalem servans per sæcula sortem,
Qua retrahis ductas summa ad fastigia noctes,
Nascentemque foves revocatis lucibus annum.
Hinc et mobilitas rerum, mutataque sæpe
Mens natat. At melior juncta sub priste senecta est:

rent ferrum, et æra, et quod furni concoquant panem. Adjungis etiam amorem erga vestimenta, et erga mercem, quæ pellat frigus, retinens inter astra hybernam sortem, qua reducis noctes, quæ promotæ fuerunt ad suprema sua culmina, et reddis annum incipientem a diebus reductis. Inde inconstantia rerum nascitur, et animus sæpe mutatus titubat. Verum melior est senectus sub pisce, qui subnectitur ca-

Stoeb.—251 Scal. Delph. et vulg. *Consumantque.* 'Codd. veterrimi, Gemb. et Lipsiensis, *Consumentque.* Unde liquido emendandum *Consummentque.* Consummatio frumenti est panificium in furno. Vidit et Huetius. [Vide inter notas huic editioni appensas.]' *Bent.*—252 seq. Delph. *fugantem Frigora.* 'Ita restituendum. Vestes enim fugant et pellunt frigus. Nisi *mercemque fugacem Frigore*, interpreteris mercem, quæ velociter hyeme venundentur. Quæ tamen interpretatio vocis *fugax* pro voce venalis, non arridet.' —253 Scal. Delph. et vulg. *per sidera.* 'Gemb. et Lips. *per sæcula.* Quod hic restituendum.' *Bent.* 'Sic Gemblac. et, si quidem recte legitur, Lips. Sed admitti lectio non debuit. Melior Cod. Paris. cum quo Regiom. dedit *per sydera*, i. e. inter sidera. Hanc lectionem Editorum quique præstantiores ferunt, et sequentia firmant egregie.' *Stoeb.*—255 Scal. Delph. et vulg. *facis.* Et sic Paris. et Regiom. 'Gemblacensis a manu prima *focis.* Unde legerim *foves.* Vide supra versum 243.' *Bent.*—257 Scal. Delph. et vulg.

NOTÆ

251 *Cererem*] Cereris munera, panem, II. 21. III. 152.

252 *Addis et in vestes, &c.*] I. e. vestimentorum pretium auges et accendis, o capricorne. Quia cum sol capricornum tenet, frigus asperius esse solet, quo fit ut quisque sibi vestimenta quærat. Itaque, quo sensu Plinius vocat sidus vergiliarum institorem vestium, eodem Manilius vocat capricornum. Institor autem vestis Plinio dicitur sidus vergiliarum, quod mense Novembri, cum earum occasus est, frigus fore conjicitur ex hoc sidere, si earum occasus fuerit serenus: pluvia vero prædicitur, si pluviosus occasus. Ideo negotiatores statim augent lacernarum pretia, quibus utimur tempore pluvioso: aut aliarum vestium, quibus frigora pellimus. Idem dic de capricorni sidere. Et vero jam antea sub sidere arietis vestiarios reposuit Poëta.

254 *Summa ad fastigia, &c.*] Noctes enim sub initio capricorni sunt maximæ: dies vero brevissimi. Unde a capricorno cadunt noctes, dies crescunt, annus revertitur ad lucem diebus revocatam.

256 *Hinc*] I. e. ab eodem capricorno.

257 *Juncta sub priste, &c.*] Inferior quippe pars capricorni desinit in piscem, II. 232. Pars vero anterior caprina est. Unde qua parte piscis est, melius est sidus: qua vero parte

Pars prior at Veneri mixto cum crimine servit.
Ille quoque, inflexa fontem qui projicit urna,
Cognatas tribuit juvenilis aquarius artes.
Cernere sub terris undas, inducere terris,
Ipsaque conversis aspergere fluctibus astra,

pricorno. Sed pars anterior capricorni indulget Veneri per scelus admixtum. Ille etiam puer aquarius, qui effundit rivum aquarum ex amphora inversa, dat disciplinas, quæ sibi similes sint: dat v. g. agnoscere aquas sub terris, inferre aquas terris, et perfundere ipsa sidera aquis emissis sursum, et per luxuriem ludere

juncto sub pisce. 'Tres veterrimi codices *juncta*. Dedit Auctor *juncta sub priste*.' Bent. 'Libri nostri cum Codd. Paris. et Lips. *et melior*. *juncta sub priste*] Sic Ms. Lips. At Regiom. et ceteri, *juncto:* omnes, *sub pisce*. Pristis aliud sidus. Hoc loco *junctus piscis* pars est posterior capricorni, quam tribuit hominis senectæ. Vult dicere : Qui nascitur sub capricorno, libidinosam aget juventutem (vs. sq.), senex autem resipiscet.' *Stoeb.*—258 '*Mixto cum crimine*] Quid rei, cur hoc addat? cum, qui Veneri, vagæ præsertim ac libidinosæ, servit, crimine vacuus esse non possit. Restituendum ergo *carmine*, quod soli servant Paris. et Regiom. *mixto cum carmine*, i. e. cum incantatione, cujus in arte amatoria non vanum fuisse usum tradit Virgil. Ecl. VIII. 68. 70. coll. antecedd. ' Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim. Carminibus Circe socios mutavit Ulyssei.'' *Idem.*—261 ' In versu bis posuit *terris*, si hanc vulgatam lectionem sequimur. Non dubium est posterius corruptum esse. Qui dubitat, aut contradicit, imperite facit, neque audiendus est. Quid substituam nescio, nisi, quod verum puto, *tectis* pro *terris* legamus. Significat expressiones aquarum, quæ epitoniis versis, salientibus suis excussæ sursum emicant.' *Scal.* Vide inter notas Huetii huic editioni appensas. ' Frustra h. l. magnus est Salmasius, qui conjungit *artes Cernere* (:). Non adeo laborandum in distinctione, quæ rectius omnino sic habet, *Cernere sub terris undas* (:) Cod. Paris. *sub terras*, quasi *cernere* esset secernere, i. e. derivare aquas sub terram. Sed nolim eo

NOTÆ

capra est, libidinibus indulget. Pars autem inferior tribuitur hominis senectæ: anterior vero juvenilibus annis. Quasi dixerit Poëta ; qui nascitur sub capricorno, ejus libidinosa est juventus, senecta vero melior.

258 *Veneri*] Libidini, amori lascivo. Venus enim amoris Dea creditur, et sæpius a poëtis usurpatur pro amore libidinoso, seu pro ipsa lascivia.

259 *Ille quoque, &c.*] His 4. vss. ascribit Poëta sideri aquarii eos, qui ductibus, expressionibus, elicibusque aquarum, et naumachiæ student. Eidem dat eos, qui sphæræ cœlestis faciem, siderumque motus varios observant. Dat et mites, et dociles, et liberales, et prodigos, quibus nec deest, nec superest census.

261 *Cernere sub terris undas*] Notat eos, qui scaturigines aquarum sub terris detegunt certis ex indiciis.

Inducere terris] Sup. undas. Notat eos, qui aquæductus aut per cuniculos, aut per opus arcuatum, aut per fossas, aut per tubos fabricant, quibus aquæ terris huc illuc inducantur. His enim modis aquæductus fiebant olim apud Romanos. Frontin. de Aquæd. Rom.

262 *Aspergere fluctibus astra*] Notat eos, qui aquarum expressiones agunt, Gallice *des jets d'eau:* sive expressiones illæ aquarum fierent aut

Littoribusque novis per luxum illudere ponto,
Et varios fabricare lacus, et flumina ficta,
Et peregrinantes domibus suspendere rivos.
Mille sub hoc habitant artes, quas temperat unda.
Quæ per aquas veniunt operum, pontesque sequuntur.

mari, quod claudatur intra novas oras: et facere diversa stagna aquarum, et fluvios fallaces, et suspendere supra ædificia fluvios vagantes extra ripas suas. Mille disciplinæ manent sub hoc signo aquarii, quas aqua per artem moderatur, et quæ dantur per aquas, et quæ sequuntur ex aquæductibus. Scilicet, qui nasci-

sententiam deduci. Aquileges signat, seu aquarum indagatores, a legenda aqua dictos, qui scaturigines aquarum sub terris detegunt certis indiciis.' *Stoeb.*—263 Scal. Delph. et vulg. *ludere*. 'Veteres universi, *inludere*. Recte.' *Bent.* 'Sic Cod. Lips. Calculum addit Pontanus ad Macrob. Saturn. IV. p. m. 297. Cod. Paris. habet *ludere*, quod descripserunt Regiom. et Editores ceteri. Nec aliter legisse Scaliger videtur.' *Stoeb.*—267 'Versus ineptus et spurius. In Mss. habetur post vs. 269.' *Bent.* 'Edit. Ald. Rom. Pruckn. *portisq.* Cod. Paris. et Regiom. *pontisq.* (pro *es*) *sequentur*. Omnes hunc versum duobus sequentibus postponunt. Salmasius legendum putat *fontesque sequuntur*. His enim tribus versibus intelligere Poëtam putat horologiorum

NOTÆ

ex ipsis aquæ jactibus, aut per hydraulas, quibus aqua detruderetur; Gallice, *par des pompes*. Neque enim Vitruvius, neque Horatius, qui de aquarum jactibus meminerunt, hæc tamen varia genera distinxerunt. Ovid. Metam. IV. meminit harum ejaculationum aquarum.

263 *Littoribusque novis, &c.*] Hoc vs. notat naumachiam, qua Romani olim Imperatores per luxum ponto ludebant. Effossis enim late terris lacus adornabant, quos aut aquis, aut etiam vino replebant. Sueton. in Jul. Cæs. 39. 'Navali prælio, in morem cochleæ defosso lacu, biremes triremes quadriremesque Tyriæ et Ægyptiæ classes magno pugnatorum apparatu conflixerunt.' Et alibi passim.

264 *Flumina ficta*] Emissarios fluvios, quos et Romani Euripos et Nilos appellarunt. Euripi autem canales erant minores, quibus aquæ in sublime salientes per prata ducerentur Romam in singulas cujusque domos. Nili vero canales erant minores, quibus aquæ pariter ducerentur. Desumtis nominibus ab Euripo, quod fretum est Bœotiæ; et ab Nilo, qui fluvius est Ægypti. Unde Cicero I. Leg. 'Ductus aquarum, quos isti Nilos Euriposque vocant, quis cum viderit, non irriserit?' Erant et Euripi flumina emissaria in circo, ad quæ spectacula agebantur. Virg. Georg. III. 17. 'Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.'

265 *Domibus suspendere*] I. e. super arenata opera et ædificia flectere rivos aquarum ab uno colle in alium: vel notat pensilia receptacula aquarum, quibus supra domos aquæ longe defluentes reciperentur in usus domesticos.

267 *Operum pontes*] Arcus operum: aquæductus pontium arcubus impositos.

Quippe etiam mundi faciem, sedesque movebit
Sidereas, cœlumque novum versabit in orbem.
Mite genus, dulcesque fluunt ab sidere partus:
Pectora nec sordent: faciles in damna feruntur:
Nec deest, nec superest census. Sic profluit urna.
  Ultima quos gemini producunt sidera pisces,
His erit in pontum studium, vitamque profundo
Credent, et puppes, aut puppibus arma parabunt,
Quicquid et in proprios pelagus desiderat usus.
Innumeræ veniunt artes. Vix nomina rebus
Sufficiunt. Tot sunt parvæ quoque membra carinæ.

tur sub aquario, is etiam mutabit vultum cœli, et stationes siderum, et volvet cœlos in novum gyrum. Mansueta gens hominum, et proles docilis manat ab hoc signo: manant et quibus corda non vilescunt; et qui faciles labuntur in dispendia: et quibus redditus bonorum nec deficiunt, nec supersunt. Ita amphora aquarii fluit. Quos denique generant duo pisces, quæ sunt postrema signa zodiaci, illis amor erit in mare, et committent vitam suam pelago, et præparabunt naves, vel instrumenta navibus, et id omne quod mare postulat ad suos usus. Infinitæ autem sunt artes, et vix sunt nomina quibus res illæ omnes nominentur. Tot enim sunt artes, quot sunt partes navis exiguæ. Adjunge amorem regendi na-

ex aqua faciendorum artem, quæ hydraulicis rationibus explicabantur. Quo artificio Ctesibius Alexandrinus olim inclaruit. Ea horologia aquaria ad solis rationem composita sidereas sedes movent, et cælum versant in novum orbem, propter versationes tympanorum versatilium, quæ in hujusmodi aquariis horologiis fiebant, et per aquam movebantur. De quibus videndus Vitruv. IX. 9. Quare subjicit Noster, *Quæ operum*, i. e. quæ opera, solaria nempe aquaria, *per aquas veniunt, fontesque sequuntur.*' Stoeb.—270 Scal. Delph. et vulg. *docilesque*. 'Omnes scripti habent *dulcesque*. Quod cur mutaverint nescio.' *Bent.* Ibid. 'Codd. Lips. et Paris. *ad sidera*. Sic Regiom. quoque et impressi ceteri. Malim alteram sequi, tametsi hæc non ineptam admittit interpretationem. Alludere enim videtur Auctor ad undas aquarii, quæ a pisce excipiuntur. Itaque dicere potuit, illius partus Diis esse amatos, cæloque receptos aliquando fore.' *Stoeb.*—278 Rom. et

NOTÆ

268 *Quippe etiam mundi faciem, &c.*] His 2. vss. notat eos, qui novas siderum conversiones, novamque cœli faciem instituerunt; i. e. qui calendarios aut adinvenerunt aut reformarunt. Qualis fuit Meton ille Atheniensis astrologiæ peritissimus, qui ad solis lunæque cursus certos habendos novemdecennalem rationem invenit.

271 *Pectora nec sordent*] I. e. liberales. Avari enim et nimium parci sordescere dicuntur.

Faciles in damna] Sumtuosi, qui patrimonia facile effundunt.

272 *Sic profluit urna*] I. e. hæc est sors aquarii, cujus urna perpetuas effundit aquas.

273 *Ultima quos, &c.*] His 19. vss. denique tribuit piscibus nautas, naucleros, gubernatores navium, remiges, rei nauticæ artifices; piscatores, fœcundos prole, et Veneri nimium in-

Adde gubernandi studium. Pervenit in astra,
Et pontum cœlo conjunxit. Noverit orbem
Fluminaque et portus mundi ventosque, necesse est.
Jamque huc atque illuc agilem convertere clavum,
Et frænare ratem, fluctusque effindere rectos;
Aut remos agitare, et lentas flectere tonsas:

ves. Natus sub piscibus ascendit usque ad sidera, et bene junxit mare cum cœlo. Oportet etiam ut bene noscat globum terrarum, et fluvios, et portus mundi, et ventos. Pisces quoque dant etiam circumagere mobile gubernaculum navis in hanc et in illam partem, et coërcere navem, et proscindere æquatos fluctus, vel agere remos, et

vulg. *parvæ quoque*. Scal. et Delph. *parvæ quot*. 'Liquido emendandum est, *parvæ quoque*. Et sic scripti fere omnes.' *Bent.*—280 'Pro *conjunxit*, Cod. Lips. *vincit et n. o.* *Vincit*, pro *jungit*, Nostro familiare, uti I. 58.' *Stoeb.*—282 Vulg. *Jamque h. a. i. caligine vertere cl.* 'Quis hæc probaverit? Gembl. *aliquem convertere*. Susius recte *agilem convertere*. Susii manibus igitur hujus emendationis habenda gratia.' *Scal.* 'Illud *agilem* Scaligero Susius suggessit. Et hac quidem emendatione, tanto ingenio digna, opus fuisset, si omnes Codd. tam vitiose legissent *aliquem convert.* quod est in Gemblac. Mirum autem, qui probare se non potuit oculatis viris inveterata lectio, cujus vestigia monstrat Cod. Lips. *Jamq. huc atque huc caliginem convert. clav.* Curatius autem expresserunt Cod. Paris. et impressi Regiom. Ald. &c. Quibus accedit Stewech. ad Veget. IV. p. 491. *Jamque h. a. i. caligine vertere cl. Caligine*, pro *in caligine*, scil. aquarum, vel etiam noctis; quod tamen alteri præferre nolim.' *Stoeb.*—283 Vulg. *rectos*. 'Aio rectam lectionem esse, *fluctusque effindere rector*. τὸ *frenare ratem* id ostendit: item sequentia. Nam dicit, ut rector stabit ad clavum, aut remex remo aget navem. Vera est ea lectio.' *Scal.*—284 Rom. et vulg. *Aut remis agere*. 'Scribo hæc omnia ex fide Gemblac. *Jamque h. a. i. agilem convertere clavum, Aut remos agitare, et lentas flectere tonsas.*' Scal. 'Ita Scaliger ad fidem Gemblac. Nostri Codd. Lips. et Paris. cum impress. vetustior. *Aut remis agere*, scil. ratem, quam vs. præced. *frenari* dixit insigni elegantia, *cum vehitur velis*, quæ frenorum in modum gubernator pro venti ratione moderatur. Itaque dicit, nunc velis nunc remis, vel modo utrisque, opus esse, quod ex ponti ventique ingenio colligunt nauticæ rei periti, ad navem recto cursu vehendam. *et lentas flectere tonsas*] Dicti libri, scripti pariter ac impressi, *et lentos inflectere tonsos*, præter Cod. Paris. qui rectius *tonsas lentas*. Festus, '*Tonsam* Ennius significat remum, quasi tondeatur ferro. Ut cum ait, 'pone petunt, exin refe-

NOTÆ

dulgentes; atque leves animi motus.

279 *Pervenit in astra, &c.*] Quippe ars nautica maxime famulatur siderali scientiæ. Virg. Æn. v. 852. 'clavumque affixus et hærens Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.' Et III. 'Palinurus et omnes Explorat ventos, atque auribus aëra captat: Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo,' &c.

280 *Noverit orbem, &c.*] Noscat bene chartam, ut aiunt, i. e. utriusque globi, terrestris et aquei descriptionem.

283 *Rectos*] I. e. æquatos. Notat peritiam naucleri, qui recto cursu et invariabili navim per mare ducit.

284 *Lentas... tonsas*] Flexiles remi palmas, *le plat de la rame*. Lentus, a, um, aliquando sumitur pro tardus, a,

Et placidum inductis everrere retibus æquor,
Littoribusque suis populos exponere captos;
Aut uncos celare cibis, aut carcere fraudem:
Navales etiam pugnas, pendentia bella
Attribuunt, pelagique infectos sanguine fluctus.
Fœcundum genus est natis, et amica voluptas,
Et celeres motus, mutataque cuncta per ævum.
Hos tribuunt mores, atque has nascentibus artes
Bis sex natura propria pollentia signa.

vertere flexiles remorum palmas. Dant et verrere tranquillum mare retibus injectis, et projicere pisces captos supra littora ipsius maris: vel occultare hamos sub escis, aut parare dolum in retibus clausis. Tribuunt quoque navalia prælia, et bella, quæ mari suspenduntur, et undas maris, quæ sanguine cæsorum tinguntur. Qui nascuntur sub piscibus, iis est fertilis in prolem natura, libido familiaris, et prompti motus, et omnia mutabilia per totam vitam. Duodecim signa zodiaci, in quantum valent aliquid seorsum, dant has disciplinas et hæc studia iis, qui sub

runt ad pectora tonsas.'' Vide pluribus Barth. ad Stat. Theb. v. 340. et Voss. Etymol. in voce.' *Stoeb.*—285 Vulg. *evertere.* 'Scribe *inductis everrere.* Etiam infra dixit 'inductis retibus .... Everrere,' κυριολόγως. Nam inde *everriculum.*' Scal. 'Eodem sensu dare Noster potuit *ductis evertere*, quod consensu ferunt Codd. Lips. Paris. et impressi veteres omnes. *Evertere æquora* Maronianum; nec tam usitatum illud *everrere*, quam quod ab hoc venit *everriculum*, retis genus, quod Græcis σαγήνη dicitur. Vide Festum in voce. *Evertere retibus æquor* est bonis spoliare. Quod Plautus, Cicero, aliique conjunctim, 'evertere bonis,' 'fundis,' &c.' *Stoeb.*—290 Vulg. *nautis.* 'Ridicule. Scribe, *natis.* Qui hinc nascuntur, fecundi sunt, καὶ γονιμώδεις. Sunt etiam voluptarii.' *Scal.* 'Sic Cod. Lips. ab altera manu. Paris. vero diserte, *nautis*, quod nullus non Editorum veterum adscivit.' *Stoeb.*—293 Scal. Delph. et vulg. *materia.* 'Ita codices universi: sed legendum *natura.* Ut infra vs. 318. 'natura per astrum Stat tamen et proprias mis-

NOTÆ

um; aliquando pro viscosus, a, um; aliquando pro flexilis, e, ut hic. Quod epithetum tribuitur potissimum remis, hastilibus, et vimini.

285 *Everrere retibus æquor*] Everriculis fundum maris agere, ut pisces capiantur. Unde everriculum, *filet de pêcheur, seine.*

286 *Populos*] Pisciculos. *Peuple de poisson.*

287 *Carcere*] Retibus vimine contextis, in quibus escas appendunt piscatores, et quæ in aquas demergunt, *boideroles, louves, &c.*

288 *Pendentia bella*] Navalia bella, ut monui I. 915.

290 *Fœcundum est, &c.*] Quippe quia pisces prole fœcundiores sunt, sub his natos homines prole quoque fœcundos prædicat.

Natis] Nascentibus hominibus.

292 *Hos tribuunt mores, &c.*] His 2. vss. concludit igitur hos mores, hæc studia, hasque artes, de quibus hactenus est disputatum, a signis duodecim tribui.

Sed nihil in semet totum valet. Omnia vires
Cum certis sociant signis sub sortibus æquis,
Et velut hospitio, mundi commercia jungunt,
Conceduntque suas partes retinentibus astris.
Quapropter Graiæ dixere decania gentes.

ipsis singulis nascuntur. At nullum signum pollet totum in seipso. Cuncta signa jungunt suas vires cum certis signis per partes æquales, et veluti per fædus hospitii faciunt commercia cœli, et dant in seipsis certos gradus aliis signis, quæ conservant suos quoque gradus in semet. Hanc autem partem, quæ decima est cujus-

cet per singula vires.'' *Bent.*—295 Scal. Delph. et vulg. *partibus.* 'Legendum *sub sortibus*, ut infra sæpius.' *Bent.* 'Codices scripti editique omnes *partibus*, quod nolim a Bentleio, hic et sæpius infra, mutatum. Neque enim ubique valet, quod tradit ad vs. 328. '*Pars* est tricesima pars signi: at *sors* in omnibus locis est tertia pars signi, sive partes ex triginta decem.' Ita enim vs. 362. 'sortis pars ultima' non essent ultimi decem gradus, seu tertia pars divisionis in ter decem sortes, quod tamen Auctor diserte confirmat.' *Stoeb.*—297 'Nemo, quod sciam, adhuc dixit, nec dicere fortasse potest, qua notione hoc loco τὸ *retinentibus* competat *astris.* Equidem, nisi Codicum obstaret auctoritas, scriberem *redeuntibus*, quod vel de signis zodiaci, vel de planetis, quos decanos constituit Firmicus, eodem sensu dicitur, quo mox vs. 301. 'in se coëuntibus astris.'' *Idem.*—298 Rom. et vulg. *Quam partem decimæ dixere Decania gentes.* 'τὸ *decimæ* depravatum. Non possum opem adferre. Tolerabiliter legeris *decimam.*' Scal. et sic Delph. 'Scripti vetustiores non *decimam* habent, sed *decanæ* et *degane.* Lege certissime *Quapropter Graiæ dixere d. g.* Ut Noster I. 751. 'quapropter lacteus orbis Dicitur, et nomen causa descendit ab ipsa.'' *Bent.* 'Scaliger dedit, *Quam partem decimam d. Decania gentes.* Majori veritatis specie gaudet hæc Salmasii lectio Exerc. Plin. pag. 460. *Quin parte in decima d. decanon agentem.* Omnes autem istæ in vocibus δεκανία et δεκανὸν laborant, quarum neutra formari ab hoc δέκα per analogiam potest; sicuti nec πενταυὸς aut ἑπτανὸς Græco ore dicitur. Quod etsi admitteremus, syllaba tamen κα non longa, ut in ἀῤῥιανὸς, sed brevis origine foret. Præterea nunquam Noster *decaniæ*, nedum *decani*, sed *domini*, nomen usurpavit. Puritatis enim linguæ studiosissimus nullum Noster ex idiomate Græco vocabulum, nisi deficiente Latino, in carmen admisit. Accedit, quod hanc Genethliacæ doctrinam non Græcorum magis quam Chaldæorum institutis, majoris utique dignitatis et fidei causa, acceptam refert, et ad eorum maxime placita rationes suas subduxit. Hæc partim suis Noster indicat verbis I. 41. sqq. partim pluribus exemplis probat Jul. Pontedera in sua ad Andr. Marannm epistola, De Manilii Astronomia, &c. Quæ cum ita sint, certo videmur colligere, per *gentes* intelligi

NOTÆ

294 *Sed nihil in semet, &c.*] His autem 9. vss. monet interim Poëta non solum ex seipsis et seorsum pollere singula signa, sed ex commercio, et quasi hospitio mutuo valere, scilicet ex decaniis. Dicitur autem decania, æ, et decanium, ii. Decania igitur est decima signi cujusque pars, seu potius decem signi artes. Inde, quia quodlibet signum constat ex triginta partibus, quos gradus vocant, tres sunt tantum in uno quoque signo decaniæ; quibus alia aliis signa dominantur, viresque suas concedunt. Rem totam explicat Poëta a vs. 312. ad vs. 362. Sic II. 688. monuit nullum signum in semet sibi totum servire.

296 *Mundi*] Cœli, I. 9.

A numero nomen positum est, quod partibus astra
Condita tricenis triplici sub sorte feruntur,
Et tribuunt denas in se coëuntibus astris,
Inque vicem ternis habitantur singula signis.

que signi pars, populi vocant decania: scilicet nomen impositum est illi a numero, quia signa composita sunt ex triginta gradibus sub sua quæque ratione, et dant decem gradus signis, quæ sibi sociantur; et quæque signa vicissim possidentur a

non debere Græcos, quos nunquam Noster *gentes*, absolute, salutavit; sed Chaldæos potius atque Ægyptios, e quorum scriptis ipsa quam modo tractat doctrina, cum propriis ei vocabulis, ad Græcos, inde ad Romanos, adeoque *decani* et *decaniæ* nomina ex Astrologorum scholis ad Martia transiisse castra videntur. Adeoque non est, cur horreas, Lector, ad lectionem Cod. Paris. quæ sic habet, *Quam partem degane dixere de caruca gentes.* Satis ista barbare, metro quoque vitiato, sonant. Sed Cod. quoque Lips. vocem *degane* agnoscit, pro quo altera manus superne, *decane.* Idem pro *de caruca*, quod nihili prorsus, legit *decanica.* Equidem sic legendum putamus: *Quam partem decan dixere, decuria, gentes.* Illud *decan* priorem habet origine longam: est enim natum ex hoc *dik* (cum chirek magno), quod Rabbinis, idiomate Chaldæo Syriaco usis, significat *decem.* Vide Buxtorf. sub voce. Quod substituimus, *decuria,* scriptæ lectioni quam proxime accedit, et ad loci declarationem omnino facit. Sensus quippe, Gentes eam partem, quæ nobis *decuria* vocatur, suo idiomate *decan* dixere. Emendationi vel ultro suffragium addit suum Jov. Pontanus, qui libri I. Rer. Cælest. caput 22. inscripsit, 'De Decuriis seu Decanis.' In quorum expositione inter alia: 'Singula signa distribui placuit in regiones treis, ut singulæ decem essent graduum, unde sunt δεκανοὶ a Græcis appellati. Nobis placet appellare *Decurias,* tum ne peregrino utamur nomine, cum habeamus nostrum, quanquam et illud videri nostrum potest, tum ut civilem constitutionem sequamur. Nam et urbs Roma non in centurias modo, verum etiam Decurias fuit divisa, unde a Decuriis dicti Decuriones. Singula igitur signa cum sint in treis Decurias distributa, singulæ quoque Decuriæ habebunt Decurionem suum.' Hactenus Pontanus. Mallem vero, vir ille Romanarum æque ac cælestium rerum peritissimus, *Decuriæ* originem a constitutione militari potius quam civili deduxisset. Proprium enim est *turmarum* vocabulum, quarum quæque fuit triginta equitum, qui in ter denos divisi, tres Decurias constituebant, quibus singulis Decurio præfuit. Hinc est, quod Vegetius I. 6. in qualibet, post primam, cohorte collocat 66. equites, scilicet duas turmas cum sex Decurionibus. Proinde, cum *Decuria* proprie ac præcise denotet decem e triginta, pulcre, ni fallor, vides, quam sit vox illa rationi Manilianæ convenientissimum.' *Stoeb.*—299 'Recte. Sic enim certo certius intelligitur, Nostrum *Decurias* illas respicere, quarum tres sunt in signo quovis. Conf. vs. seqq. In diversum abit lectio Cod. Paris. *An numero numen p. &c.* et pro variante habet *numeri*, quod altero non certe melius. Legendum foret, *Ad numerum numen p. est, &c.* Hoc disertius docet Firmicus II. 4. cujus instituta in suos *de Decanis* commentarios retulere Rhodiginus, Salmasius, Vossius; quorum alter alteri sua quasi verba commodavit.' *Idem.*—300 Vulg. *propria sub sorte.* Correxit Scal. ex Gemb.—302 Scal. Delph. et vulg. *sidera.* 'Apage battologiam istam *astra, astris, sidera.* Dedit Auctor *habitantur singula*

NOTÆ

301 *Denas*] Sup. partes, seu gradus.

Sic altis natura manet consepta tenebris,
Et verum in cæco est, multaque ambagine rerum.
Nec brevis est usus, nec amat compendia cœlum.
Verum aliis alia opposita est et fallit imago,
Mentiturque suas vires, et munia celat:
Quæ tibi non oculis, alta sed mente fuganda est
Caligo; penitusque Deus, non fronte notandus.

tribus signis. Ita mundus jacet obvolutus profundis caliginibus, et veritas rerum latet in cælo cum magna ambage. Nec compendiosa est methodus illius inveniendi, nec cælum amat brevitatem: sed alia figura signorum contraria est aliis figuris, et decipit, et obtegit suas virtutes, et occultat suam potentiam. Quæ tenebræ tibi discutiendæ sunt, non quidem luce oculorum, sed magna luce mentis, et cælum observandum est tibi non ex facie, sed intrinsecus. Jam vero

signis.' Bent. 'Retinenda vetus librorum omnium lectio, *habit. sidera sign.* Unum enim quodque signum a tribus aliis, sive signis sive planetis, occupatur. Hæc quoque fusius tractat Firmicus suo loco.' *Stoeb.*—304 Vulg. *in cælo e.* 'Correximus olim *in cæco e.* Neque debet nos sententiæ pœnitere. Gemblacensis habebat *in ceno e.* id est *in cæno*, in voragine; non male. Sed Manilius scripsit *in cæco.*' Scal. 'Conjiciebat Scal. *in cæco*, quod non improbo. Sed quoniam conjecturis agitur, quid si legamus *ἐν κοινῷ*, propter illa commercia siderum quæ prædicat? Certe Plautus, Lucilius, Lucretius, Martialis, Juvenalis, aliique carminibus suis Græca intexere non dubitarunt.' *Bent.* 'Hoc *cæco* Scaligeri ingenio debetur. Cui tamen non plane displicuit *in ceno* vel *cæno*, i. e. in voragine. Illud Gemblac. hoc Lips. Cod. habet. Regius autem Paris. legit *in cælo*, quod Regiom. et ceteri impressi omnes retinuerunt. Rectissime. Quæ enim statim sequuntur, illud *in cælo* non firmant tantum, verum omnino postulant. *Verum*, inquit, i. e. veritas, *in cælo est, cum multa ambagine rerum.* Quod non exterior modo illius facies observanda, verum interiora quoque perspicienda, quæ quidem rerum cælestium meditatio *compendia* non admittit.' *Stoeb.*—307 Vulg. *nomina.* Scal. *momina.* Delph. *numina.* 'Ita legendum, i. e. vires, jura. Gemb. *nomina*, male. Scal. *momina*, minus bene.' 'Libri scripti, *nomina.* Lege vel *numina*, vel *munia.*'

NOTÆ

303 *Sic altis, &c.*] His 7. vss. docet Poëta verum in cœlo esse multa cum ambagine, nec una aut altera via, sed multiplici reperiendum. Neque enim sola exterior cœli facies est observanda, sed interior penitus perspicienda. Quod cuique non ita facile est; nam ut ait I. 25. 'Quem primum interius licuit cognoscere cœlum Munere cœlestum? Quis enim nolentibus illis Cepisset furto mundum, quo cuncta reguntur?' &c. Sic II. 721. et seqq. Consule locum.

304 *In cæco* [*cælo*] Bene omnes. Scaliger, *in cæco*, male.

306 *Imago*] Figura, signum.

309 *Penitusque Deus, non fronte, &c.*] I. e. non sola facies cœli exterior, sed et interior, seu superior, ut ait Poëta I. 29. est observanda: 'et mundi facies, cœlumque supernum.' Itaque facies cœli exterior, figuræ sunt ac imagines siderum, quas oculis cernere possumus: facies vero interior, Deus est ipse, seu cœlum ipsum, vel, ut ipse se explicat Poëta passim, ve-

Nunc quæ sint conjuncta quibus quove ordine reddam;
Ne lateant aliæ vires aliena per astra.
Namque aries primam sortem sibi vindicat ipsi:
Altera sors tauro, geminis sors tertia cedit.
Sic inter trinos divisum ducitur astrum;
Totque dabit vires, dominos quotcumque recepit.
Diversa in tauro ratio est, nec sorte sub ulla

referam tibi quæ signa sint consociata, quibus signis sint sociata, et quo ordine, ne scilicet aliæ vires occultentur in aliis signis. Igitur aries, qui dux est signorum, retinet sibi primam sui decimam partem: secunda pars decima datur tauro: tertia vero sors decima geminis datur. Ita totum signum arietis dividitur in tres decimas sortes. Assumit autem tot vires quot accipit decanos seu dominos. Similis modus non servatur in tauro, neque ipse asserit ullam sui partem decimam:

Bent.—312 Scal. Delph. et vulg. *partem*, et mox 313. *pars*. 'Pro *partem* et *pars*, emendandum est *sortem* et *sors*. *Sors* hic valet decem partes. Ut supra versu 300. 'quod partibus astra Condita tricenis triplici sub sorte feruntur.'' *Bent.* 'Hunc vs. Cod. Paris. et editi Ald. Rom. Prukn. non legunt. Regiom. vero sic: *Astrorum princeps primam servat sibi partem*.' Stoeb.—314 Vulg. *Sic i. densas*. '*Sic in ter denas*. Et *dicitur* habet Gembl. pro *ducitur*.' Scal. 'Libri vett. *inter* uno verbo, non *in ter*. Neque enim hoc nunc docemur, signum dividi in partes 30.: id tralatitium est. Corrige, *Sic inter trinos*; hoc est, tres dominos; ut mox, vs. seq. 'dominos quotcumque recepit.'' *Bent.* —315 Vulg. *Tot ducit vires*. et sic Delph. 'Vulg. bene; singuli enim decani seu domini suas afferunt vires iis signorum decaniis, quibus præsunt. Scal. ex Gemb. *Totque dabit vires*, minus bene, licet sit idem sensus.' 'Cum vs. præced. est *ducitur*, minus recte hoc *dabit* cum illo copulabis. Satius est participialem continuari constructionem, quemadmodum in Cod. Paris. *Tot ducens vires, d. quotquotque r.* Poteris etiam legere cum Regiom. et impressis ceteris, *Totque ducit vires, &c.*' Stoeb.—316 Scal. Delph. et vulg. *parte sub illa*. 'Ita nullo sensu tam scripti quam editi. Legendum, *nec sorte sub ulla*. Taurus primam sortem sive decem partes dat cancro, alteram leoni, tertiam virgini: ipse nulla hic sorte fruitur.' *Bent.* 'Atqui partibus omnibus suas *taurum vires miscere* mox dicit vs. 319. Restituenda igitur vetus lectio, *nec parte sub illa*, scil. prima, quam aries in suo signo sibi ipse vindicat, coll. vs.

NOTÆ

ritas ipsa, quam in cœlo Dii absconditerunt, dum illud condiderunt.

Deus] Cœlum, vires cœli, vs. 389.

310 *Nunc quæ sint conjuncta, &c.*] His 2. vss. præmonet se explicaturum varias signorum decanias, easque per singula signa recensurum ex ordine.

312 *Namque aries, &c.*] His igitur 4. vss. incipit ab ariete; aitque arietem primam sui decaniam sibi retinere: secundam vero concedere tauro; tertiam geminis.

315 *Dominos*] Decanos.

316 *Diversa in tauro est ratio, &c.*] His 4. vss. docet primæ tauri decaniæ præesse cancrum; secundæ leonem; tertiæ virginem. Sed ita tamen ut ipse taurus per singula suas vires misceat; quod uni tauro peculiare est.

Nec sorte [*parte*] *sub ulla*] Sup. decima, i. e. decania.

Censetur: cancro primam, mediamque leoni,
Extremam Erigonæ tribuit. Natura per astrum
Stat tamen, et proprias miscet per singula vires.
Libra decem partes geminorum prima capessit;
Scorpios adjunctas: centauri tertia sors est.
Nec quisquam numero discernitur: ordine cedit.
Cancer in adversum capricorni dirigit astrum,
Bis quinas primum partes dignatus in illo
Temporis articulo, sub quo censetur et ipse;
Quod facit æquales luces brumalibus umbris,
Cognatamque gerit diverso in cardine legem.
Alterius sortis perfundit aquarius ignes,

sed Deus dedit primam sortem hujus signi cancro, secundam leoni, et ultimam virgini. Manet tamen, et miscet suas vires in singulis illis tribus. Libra prior capit decem primas partes geminorum: scorpius capit decem sequentes: tertia decima sors pertinet ad sagittarium. Neque ullus distrahitur e suo numero: sed it ex ordine suo. Cancer, qui regit sidus capricorni, quod est sibi oppositum e regione, bene concedit primas decem sui partes illi capricorno; (eo quod cancer reddit dies æstivos æquales noctibus hybernis in illo cardine temporis sub quo ipse continetur, et fert legem similem in adverso cardine.) Aquarius autem aspergit flammas secun-

312.' *Stoeb.*—321 Vulg. *Scorpius adjuncta.* 'Lege, *Scorpius adjunctam. C. tertia pars est.* Ibid. *Centauri tertia parte*] Gembl. *partes.* Omnino legendum *pars est.*' Scal. 'Lege *S. adjunctas, c. t. sors est,* hoc est, alias decem partes.' *Bent.* et sic Delph. 'Ita restituendum: supp. partes decem, i. e. secundam decaniam.' 'Cod. Paris. et Lips. editique tres vetusti, *Scorpius adjuncta c. tertia parte.* Regiomontano sic vulgare visum: *Scorpius adjuncta* (:) *centaurus tertia poscit.*' Stoeb.—323 Delph. *Cancer, qui.* Vid. Not. inf.—324 Gemb. *dignatus.*—328 Scal. Delph. et vulg. *partis*, et mox 332. *pars*, 335. *partem*, 336. *pars*, 343. *partem*, et 344. *parte.* 'Iterum emendandum est *sortis*, et sic in sequentibus. Nimirum *pars* est tricesima pars signi: at *sors* in omnibus

NOTÆ

318 *Erigonæ*] Virgini, I. 266.

Natura] Deus, auctor naturæ.

320 *Libra decem partes geminorum, &c.*] His 3. vss. ait primæ geminorum decaniæ dominari libram; secundæ scorpionem; tertiæ sagittarium.

322 *Nec quisquam, &c.*] Hoc vs. monet hunc inter decanias signorum esse ordinem, quem in cœlo signa tenent. Cum igitur in singulis signis tres sint decaniæ, quatuor prima signa, aries, taurus, gemini, et cancer, per suas decanias adimplent totum signorum duodecim numerum. Quatuor sequentia, leo, virgo, libra, et scorpius, iterum totum signorum censum consummant. Quatuor reliqua, sagittarius, capricornus, aquarius, et pisces, tertio totam signorum summam absorbent, præter capricornum et aquarium, quorum illius loco aries, hujus loco taurus dominantur in piscibus, scilicet aries primæ, taurus secundæ decaniæ. Res patet in tabella seq. in qua dominatur.

Quem subeunt pisces extremo sidere cancri.

dæ decimæ partis cancri: quem aquarium pisces sequuntur in ultima parte de-

NOTÆ

DECANIÆ SIGNORUM.

Arietis Decaniæ	Primæ Aries. Secundæ Taurus. Tertiæ Gemini.
Tauri Decaniæ	Primæ Cancer. Secundæ Leo. Tertiæ Virgo.
Geminorum Decaniæ	Primæ Libra. Secundæ Scorpius. Tertiæ Sagittarius.
Cancri Decaniæ	Primæ Capricornus. Secundæ Aquarius. Tertiæ Pisces.
Leonis Decaniæ	Primæ Aries. Secundæ Taurus. Tertiæ Gemini.
Virginis Decaniæ	Primæ Cancer. Secundæ Leo. Tertiæ Virgo.
Libræ Decaniæ	Primæ Libra. Secundæ Scorpius. Tertiæ Sagittarius.
Scorpionis Decaniæ	Primæ Capricornus. Secundæ Aquarius. Tertiæ Pisces.
Sagittarii Decaniæ	Primæ Aries. Secundæ Taurus. Tertiæ Gemini.
Capricorni Decaniæ	Primæ Cancer. Secundæ Leo. Tertiæ Virgo.
Aquarii Decaniæ	Primæ Libra. Secundæ Scorpius. Tertiæ Sagittarius.
Piscium Decaniæ	Primæ Aries. Secundæ Taurus. Tertiæ Pisces.

323 *Cancer* [*qui*] *in adversum, &c.*] His 7. vss. docet primæ cancri decaniæ præesse capricornum; secundæ aquarium; tertiæ pisces.

Qui] Ita restituendum fuit: male enim omnes *in*. In quem errorem delabi facile fuit, ex eo, quod I. 269. legitur, 'In cujus caudam contentum dirigit arcum.' Et II. 170. 'Ut capricornus et hic qui tentum dirigit arcum.' Quibus in locis in eosdem quoque errores cecidi, quia hunc locum nondum satis expenderam. Verum ratio et sensus postulant ut non *in*, sed *qui* legamus. Ea enim mens est Manilii, ut asserat primam cancri decaniam capricorno; cujus vicissim primam decaniam cancro

At leo consortis meminit, sub lege trigoni,
Lanigerumque ducem recipit; taurumque quadrato
Conjunctum sibi: sub geminis sors tertia fertur:
Hos quoque conjungit per senos linea flexus.
Præcipuum Erigone cancro concedit honorem,
Cui primam tribuit sortem. Vicina relicta est
Vicino, Nemeæe, tibi. Sors ipsius ima est,

cima signi cancri. Leo vero recordatur sui socii in jure trianguli: et accipit arietem principem dominum aut decanum sui: accipit in secunda parte sui taurum, qui sibi sociatur ex lege quadrati: tertia pars leonis datur geminis. Ductus per sex flexuras jungit etiam illos geminos cum leone. Virgo cedit primum sui locum cancro, cui dat priorem decimam sortem: proxima sors decima reservata est proximo tibi, o leo: ultima vero sors decima pertinet ad ipsam vir-

locis est tertia pars signi, sive partes ex triginta decem.' *Bent.*—333 Vulg. *Hos q. conjungit.* 'Ita melius puto, quam quod extat in Gemb. *His quoque contingit.* Ut leo tauro quadratus est, ita geminis sextilis. Hoc vult. Bonincontrius enim ὀνειροπολεῖ.' *Scal.* 'Auctoribus libris universis legendum *contingit* pro *attingit*. Sensus: Linea hexagoni pertingit ad geminos, quos sibi dominos adsciscit.' *Stoeb.*—336 'Sic Regiom. quoque vulgavit.

NOTÆ

tribuet v. 350. et seqq. Itaque, 'Cancer, qui adversum capricorni dirigit astrum;' i. e. cancer, qui regit capricornum, seu primam capricorni decaniam sibi asserit; 'Bis quinas primum partes dignatur in illo:' i. e. bene concedit primam sui decaniam illi capricorno. Cujus rei rationem aliquam reddere videtur ex eo, quod cancer in eo sit temporis articulo, quo maximos æstivos dies maximis hybernis noctibus adæquet. Qua in re totam cognationis legem, quam gerit cancer, reponit.

324 *Dignatus* [*dignatur*] *in illo*] Sup. esse; *in illo*, i. e. capricorno.

328 *Alterius sortis*] I. e. secundæ decaniæ.

Ignes] Stellas, sidera, I. 466.

329 *Extremo sidere*] I. e. tertia decania.

330 *At leo consortis, &c.*] His 4. vss. docet primæ leonis decaniæ præesse arietem; secundæ taurum; tertiæ geminos.

Consortis] Nimirum arietis, qui leoni consors est in lege trianguli. Etenim aries, leo, et sagittarius primum adornant trigonum, II. 279. et pag. 266. fig.

331 *Lanigerumque ducem recipit*] I. e. primæ suæ decaniæ leo præficit arietem.

Taurumque quadrato, &c.] I. e. et suæ secundæ decaniæ leo præficit taurum, qui consors est sibi in lege quadrati. Scilicet taurus, leo, scorpius, et aquarius secundum quadratum efficiunt, II. 284. not. et p. 273. fig.

333 *Hos quoque, &c.*] I. e. gemini quoque junguntur cum leone ex lege hexagoni; scilicet in secundo hexagonorum ductu continentur gemini et leo, et a geminis in leonem linea sextilis flectitur, II. 358. not. et pag. 284. fig.

334 *Præcipuum Erigone, &c.*] His 4. vss. docet virginis decaniæ primæ præesse cancrum; secundæ leonem; tertiæ virginem ipsam.

336 *Nemeæe*] Leo, II. 623.

Quæ fastidito concessa est jure potiri.
Sed libra exemplo gaudet, pariterque regentem
Noctes atque dies diverso in tempore secum
Lanigerum sequitur. Veris juga temperat ille:
Hæc autumnales componit lucibus horas.
Nulli concedit primam, traditque sequenti
Vicinam sortem. Centauri tertia summa est.
Scorpios in prima capricornum sorte locavit:
Alterius dominum fecit, cui nomen ab undis:
Extremas voluit partes sub piscibus esse.
At qui contento minitatur spicula nervo,
Lanigero primas tradit sub jure trigoni,

ginem, cui permissum est frui dominio, quod alii contempserunt. At libra læta utitur exemplo, et imitatur arietem, qui similiter cum ipsa ducit noctes et dies æquales in alio temporis articulo. Ille aries moderatur examina summa veris, hæc vero temperat statera horas autumnales. Libra igitur nulli cedit primam sui decimam partem: et dat proximam sortem decimam vicino scorpioni: tertia autem sors pertinet ad sagittarium. Scorpius posuit capricornum in priori sua decima sorte: posuit vero ducem secundæ sortis illum, qui ducit nomen suum ab aquis: jussit autem ultimam sui sortem decimam subjici piscibus. Sed qui minatur sagittas ex arcu tento, dat primas sui sortes decimas arieti, cui jungitur ex jure trianguli:

Codd. vero Lips. et Paris. cumque his editi Ald. Rom. et Prnkn. *pars ipsius una est*. Regiom. quoque tenet *pars*, non *sors*.' Idem.—340 Vulg. *illa*. 'Immo *ille:* contra in sequenti *hæc*, non *hic*, et *lucibus*, non *lucidus*. *τὸ lucidus* imposuit Bonincontrio. Itaque satis stolide *lucidus* in *lancibus* innovavit.' *Scal.*—345 Scal. Delph. et vulg. *qui nomen fecit*. 'Libri veteres magno numero *cui*,

NOTÆ

Ipsius] Nempe virginis.

338 *Sed libra, &c.*] His 6. vss. docet libræ decaniam primam concessam esse ipsi libræ; secundam scorpioni; tertiam sagittario.

Exemplo gaudet, &c.] Scilicet, sicut aries, qui puncto æquinoctiali verno dies æquat noctibus, primam sui decaniam sibi retinet regendam; ita libra, quæ in articulo temporis autumnalis noctes pariter æquat diebus, primam sui decaniam regit.]

339 *Diverso in tempore*] Nimirum in æquinoctio verno.

Secum] I. e. æque ac ipsa libra.

340 *Juga*] Summa examina, quasi æqua lance dies ac noctes libret aries.

342 *Sequenti*] Nempe scorpioni, qui libram sequitur.

343 *Centauri*] Sagittarii, I. 270.

344 *Scorpios in prima, &c.*] His 3. vss. ait primæ decaniæ scorpionis præesse capricornum; secundæ aquarium; tertiæ pisces.

345 *Alterius*] Secundæ decaniæ.

Cui nomen ab undis] I. e. aquarius.

347 *At qui contento, &c.*] His 3. vss. ait sagittarii primam decaniam tribui arieti; secundam tauro; tertiam geminis.

Et medias tauro partes, geminisque supremas.
Nec manet ingratus capricornus crimine turpi,
Sed munus reddit cancro, recipitque receptus,
Principiumque sui donat. Conjuncta leonis
Regna ferunt, summas partes at virginis esse.
Fontibus æternis gaudens urnaque fluenti
Jura sui libræ permittit prima regenda:
Hærentesque decem partes nepa vindicat ipsi:
Summas centaurus retinet juvenile per astrum.
Jam superant gemini pisces, qui sidera claudunt.
Lanigero primos tradunt in finibus usus.
Perque decem medias partes tu, taure, receptus.
Quod superest, ipsi sumunt: utque orbe feruntur

et dat secundas sortes decimas tauro; et geminis extremas. Nec capricornus immemor est beneficii ex dedecore probroso; sed refert beneficium cancro, et recipit illum, a quo fuerat receptus, traditque initium sui cancro. Dicunt proxima dominia capricorni pertinere ad leonem; extremas vero sortes ad virginem. Qui autem fruitur perpetuis aquis, et amphora, quæ perpetuas effundit aquas, tradit prima sui regna gubernanda libræ: et scorpius asserit sibi proximam decimam sortem: sagittarius assumit sibi postremas partes signi puerilis. Jam duo pisces supersunt, qui terminant signorum orbem. Hi autem tribuunt arieti priora jura in suis regnis: et tu, o taure, reciperis in decem sequentibus sortibus. Quod vero restat, ipsi

non *qui*. Repone ex Voss. *A. d. fecit, cui n. a. u.*' Bent.—361 Scal. Delph.

NOTÆ

348 *Sub jure trigoni*] Aries enim et sagittarius cum leone primum trigonum adornant, vs. 330. not.

350 *Nec manet ingratus capric. &c.*] His 4. vss. ait capricorni primam decaniam regendam tradi cancro; secundam leoni; tertiam virgini. Ideo autem, inquit, capricornus concedit primam sui decaniam cancro, quia cancer primam sui decaniam capricorno concessit, vs. 323. Hinc satis patet quam feliciter interpretati fuerimus vs. 323. et seqq. de cancro.

352 *Conjuncta regna*] I. e. secundam capricorni decaniam, quæ sequitur primam.

354 *Fontibus æternis, &c.*] His 4. vss. docet aquarii decaniam primam esse penes libram; secundam penes scorpionem; tertiam penes sagittarium. Fontibus enim gaudens et urna, i. e. aquarius, lib. I.

356 *Hærentes decem partes*] Secundam aquarii decaniam.

Nepa] Scorpius, II. 32.

357 *Centaurus*] Sagittarius, I. 272.

Juvenile per astrum] I. e. per aquarium.

358 *Jam superant . . . pisces, &c.*] His 5. vss. scribit Poëta primam piscium decaniam dari arieti; secundam tauro; tertiam ipsis permitti piscibus: cum tamen ex ordine naturali prima decania piscium tribuenda fuerit capricorno; secunda aquario.

359 *In finibus*] In suis regnis, in suis limitibus.

361 *Utque orbe, &c.*] I. e. ita pis-

Extremo, sic et sortis pars ultima cedit.
Hæc ratio retegit latitantis robora mundi,
In pluresque modos repetitaque munia cœlum
Dividit, et melius sociat, quo sæpius, orbem.
Nec tua sub titulis fallantur pectora notis:
Dissimulant, non se ostentant mortalibus astra.

pisces sibi illud vindicant: et sicut ultimo circulo continentur, ita etiam ultima pars decaniæ contingit ipsis. Hæc via aperit vires cœli reconditi, et distinguit cœlum in multas partes, et in titulos iteratos, atque etiam conjungit illud melius. Plerumque, ne tua mens decipiatur sub nominibus tibi cognitis, sidera celant, vel non manifestant hominibus mundum. Oportet ut acumen ingenii perspicacis penitus ingre-

et vulg. *atque o. f.* 'Certissime dedit Auctor, *utque o. f.* Alterum alteri respondet, *ut, sic.*' Bent.—364 Scal. Delph. et vulg. *nomina.* 'Gemblacensis et alii habent *repetit atque omina.* Lege, *repetitaque munia c. Dividit. Dividit munia*, ut Horatius Serm. II. 2. 67. 'dum munia didit.' *Didit* id ipsum est quo dividit.' *Bent.*—365 Vulg. *sociat quoque sæpius o.* 'De vitio satis constat. De remedio consulendus Gemblacensis, *sociat, quo sæpius, o.* idem est, quod paulo ante dixit, 'repetitaque nomina,' vel 'momina.' Utrunque enim admitti potest.' *Scal.* Delph. *sociat quoque. Sæpius orbem.* Vid. Not. inf. 'Cod. Paris. et editi veteres universi, *s. quoque sæpius o.* Non ea Manilii mens est, eo melius cælum sociari, quo sæpius dividatur in nomina repetita.' *Stoeb.*—366 Scal. Delph. et vulg. *Ne.* 'Mutata distinctione post *orbem*, rescribendum est *nec*, ut omnes codices manuscripti.' *Bent.*—367 Scal. Delph. et vulg. *non ostendunt.* 'Tituli scilicet non ostendunt qualia sunt ipsa astra, sed dissimulant. Hic corruptus est Gemb. Habet enim *ostentur.* An dicendum Manilium scripsisse, *non ostentum m. a.?* Astra dissimulant non ostentum, quod nolunt ostendere. Sed cur vulgatam lectionem rejiciamus?' *Scal.* 'Gemblacensis et alii veteres habent *ostentur.* Lego, *non se ostentant.*' Bent. 'Libri nostri omnes, *non ostendunt.* Ipsi illi tituli, noti alias, *dissimulant* quandoque

NOTÆ

ces ultimæ suæ decaniæ præsunt ipsi, sicut ipsi sunt ultimi in circulo signorum.

362 *Sortis pars ultima*] Ultima sua decania.

363 *Hæc ratio retegit, &c.*] His 10. vss. concludit hac ratione retegendas esse cœli ac signorum latitantes vires. Neque enim satis est nosse proprias cujusque signi vires, sed penitus leges cujusque signi per aliena signa sunt dignoscendæ. Sæpius enim partus sortiuntur mores ac studia illius signi, cujus in parte nascuntur. Itaque decaniæ signorum diligenter sunt observandæ in genituris.

365 *Sociat, quo sæpius, orbem* [*sociat quoque. Sæpius orbem, &c.*] Ita interpungunt Gemb. et vulg. bene, ut ex ipsa interpretatione satis patet. Male ergo Scaliger, *Dividit, et melius sociat, quo sæpius, orbem, &c.* Nimirum explicat Poëta modum, quo ratio decaniarum retegit latitantes cœli vires, quas ipsa sidera dissimulant sæpius, aut non ostendunt. Non autem ea mens est Manilii, ut velit eo melius sociari cœlum, quo sæpius dividatur in nomina repetita.

Altius est acies animi mittenda sagacis;
Inque alio quærenda manent, junctisque sequentum
Viribus: et cujus signi quis sorte creatur,
Ejus habet mores, atque illo nascitur astro.
Talis per denas sortes natura feretur.
Testis erit varius sub eodem sidere fœtus,
Quodque in tam multis animantum millibus, uno
Quæ veniunt signo, tot sunt, quot corpora, mores;
Et genus externum referunt aliena per astra,
Confusique fluunt partus hominum atque ferarum.
Scilicet in sortes junguntur condita plures,

diatur: et quæ sunt invenienda, ea sunt investiganda in recondito loco, et insectandum est per socias virtutes siderum. Et in cujus signi sorte decima quis nascitur, illius retinet studia, et in illo sidere progignitur. Itaque hæc erit natura per partes decimas, seu decanias. Partus, qui nascitur diversus sub eodem signo, erit in testimonium hujus rei, et quia inter tot millia animalium, quæ nascuntur sub eodem sidere, eorum tot sunt diversa studia, quot habent corpora, et ducunt alienam naturam per aliena signa, et fœtus hominum et ferarum pariter promiscui veniunt. Nimirum singula signa ponuntur et sociantur in plures ac diversas sortes, et habent diversa

astra, non ostendunt scil. ut penitus perspici possint.' *Stoeb.*—369 *Inque alio.* Scal. et Delph. *Inque alto q. m. j. q. sequendum.* '*alto*, abstruso, recondito, ut supra ' in cæco.' *Scal.* ' Malim *sequentum.* Ratio patet.' *Huet.* ' Pro *alto* libri scripti *alio.* Recte: hoc est, *alio signo:* et insuper, quod et alii jam viderunt, reponendum est, *sequentum.* Sequentium nempe signorum. Deinde, versu sequente, pro *parte* lege *sorte* ut supra.' *Bent.* ' Codicum fide legendum *manet junct. sequendum Virib.* Illud *manent* sola Scaligeri auctoritate nititur. Supplet astra. Quis autem sensus? Astra quærenda manent in alio astro. Si legis *manet*, aut referes hoc ad aciem animi, quæ manet quærenda in alio scil. astro. Per hypallagen dictum pro acies animi quærere debet: aut, quod omnino rectius, supple veritas, ratio, vel series causarum, quæ manet quærenda in alio scil. signo. *Junctisque sequentum Viribus*] Hoc *sequentum* Huetius tentavit. Libri omnes, *sequendum.* Itaque *junctis viribus* non tertio, sed ultimo casu accipiendum. Cf. Not. ad III. 151. et Nostr. v. 42. Sensus: et insectandum est veritatem vel effectuum rationem per junctas vires scil. signorum, quorum subinde vires sociatæ miscentur (vs. 386.) Vel intelliges *junctas vires* plurium sortium et dominorum vs. 387. sq. ubi tamen scripti et editi nostri *partes*, non *sortes*, habent.' *Stoeb.*—378 Scal. Delph. et vulg. *partes.*

NOTÆ

370 *Sorte*] Suppl. decima, decania. De his enim decaniis agitur.

372 *Natura*] Mundus, vel cœlum.

373 *Testis erit, &c.*] His 5. vss. prædictæ rationis argumentum dat, contenditque varios mores hominum atque animalium sub eodem signo nascentium, variosque hominum ac ferarum partus promiscuos in signorum decanias esse referendos. Sic II. 707. et seqq.

378 *Scilicet in sortes, &c.*] His 9. vss. docet signa sociari in plures partes, diversasque referre leges ex de-

Diversasque ferunt proprio sub nomine leges.
Nec tantum lanas aries, nec taurus aratra,
Nec gemini musas, nec merces cancer amabit,
Nec leo venator veniet, nec virgo magistra,
Mensuris aut libra potens, aut scorpios armis,
Centaurusque feris, igni capricornus, et undis
Ipse suis juvenis, geminique per æquora pisces;
Mixta sed in plures sociantur sidera vires.
Multum, inquis, tenuemque jubes me ferre laborem,
Rursus et in magna mergis caligine mentem;
Cernere cum facili lucem ratione viderer.
Quod quæris, Deus est. Conaris scandere cœlum,

jura sub proprio titulo: neque aries amabit solum vellera, nec taurus aratra, nec gemini Musas, nec cancer mercimonia, nec leo erit tantum venator, nec virgo docens erit literas, vel libra dominabitur ponderibus, vel scorpius bellis, et sagittarius feris, capricornus igni, et puer ipse suis aquis, et duo pisces æquoribus: sed signa cuncta junguntur in multas leges. At, ais, imperas me sustinere ingens et vix oculis perceptibile opus, cum jam credebam videre lucem facili modo. Fateor, sed quod investigas, illud est Deus. Oportet

'Etiam hic eisdem de causis rescribendum est *sortes*.' Bent.—387 'Huic versui subnectendus est ille alter, 'Rursus et in,' &c. qui ex suo loco in alienum prorsus, post vs. nempe 396. detrusus, sensum omnino ibi perturbat: hic vero satis commode venit.' *Bent.* Vide inter notas Huetii huic editioni ap-

NOTÆ

caniis: neque v. g. arietem amare tantum lanas, aut taurum aratra, &c. sed sociatas signorum esse vires per singula.

380 *Lanas*] Lanificia, vs. 124. et seqq.

Aratra] Agriculturam, vs. 140. et seqq.

381 *Musas*] Musicam, vs. 152. et seqq.

Merces] Mercaturas, vs. 162. et seqq.

382 *Magistra*] I. e. artes et literas docebit, vs. 189. et seqq.

385 *Juvenis*] Aquarius, vs. 357.

387 *Multum, inquis, &c.*] His 3. vss. objectio continetur. Quasi quis diceret, cum viderer assequi mente diversas leges, variasque vires cujusque signi, jam rem difficillimam proponis, et quam nonnisi labor improbus, aut mentis sagacis acies vincere et assequi possit. Quis enim tot diversas signorum leges, quis tot varias vires, decanias, partes, jura mutua, &c. possit concipere?

Tenuemque] Suppl. visu. Sic II. 693. Vel difficilem, præ minusculis illis signorum partibus, quas observare necesse est.

390 *Quod quæris, Deus est, &c.*] His 6. vss. continetur I. ad objectionem responsio. Quasi respondeat: non est cur tantum hunc laborem abnuas; divinum est, quod quæris: suum præmium habet hic labor; quid enim laude dignius, quam hanc divinam ac cœlestem artem assequi?

Deus est] Divinum est; vel ipsa Dei notitia est: vel, cœlestis rationis

Fataque fatali genitus cognoscere lege,
Et transire tuum pectus, mundoque potiri?
Pro pretio labor est, nec sunt immunia tanta.
Nec mirere viæ flexus, rerumque catenas.
Admitti potuisse sat est. Sint cetera nostra.
At nisi perfossis fugiet te montibus aurum,
Obstabitque suis opibus superaddita tellus.
Ut veniant gemmæ, totus transibitur orbis.

igitur ut enitaris ascendere in cælum, et noscere fata, licet natus sis sub mortali sorte, et exire extra tuum corpus, et frui cælo. Labor loco mercedis est, neque tanta ausa sunt vacua labore. Nec admireris circuitus varios itineris, et nexus rerum inter se. Satis enim est semel recipi ad hæc munia cognoscenda: cetera sunt nostræ facultatis. Et vero aurum v. g. effugiet te, nisi semel et iterum immergas animum in montibus effossis, et in altis latebris terrarum, et terra, quæ interim decidit et replet fossas, impedit quominus suæ eruantur. Sic etiam ut pretiosi lapides habeantur, totus terrarum orbis trajicitur: nec quenquam pœnitebit se

pensas.—395 Scal. Delph. et vulg. *sunt.* Omnes veteres *sint.* et recte.' *Bent.* —396 '*At nisi, &c.*] Hunc vs. in libris nostris excipit ille, quem Bentleius, Huetio præmonente, post vs. 387. posuit; quasi hoc loci sensum omnino perturbaret: *Rursus et in magna mergis caligine mentem.* Atqui vel ipsum *Rursus* eum vs. huc reponi jubet, quod certe repetitionem actionis vel accidentis innuit, nec de eo, quod primum fit, dici cum ratione potest. Verba vero non sunt h. l. lectoris, uti vs. 387. et 389. sed Poëtæ, qui proinde illum hoc argumento convellit injuste querentem de magno tenuique labore, quo caligo quasi oculis offunditur, cum facili ratione cernere interiora cœli videretur. Quocirca Noster ait, non hoc tantum in negotio versanti tale quid tibi accidit, verum ubi terram perfodiens aurum quæris, tum vero tu ipse rursus magna in caligine mergis mentem tuam, et quo minus sine

NOTÆ

est opus, ut ait I. 8. Sic infra vs. 407.

391 *Fata*] Fatales rerum eventus; vel potius æterna Dei decreta, I. 1. not.

Fatali lege] I. e. mortali lege, vel fatorum decreto. Namque, ut ait vs. 14. 'Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.' Et vs. 118. 'Hoc quoque fatale est sic ipsum expendere fatum.'

396 *At nisi perfossis, &c.*] His 14. vss. continetur II. ad objectionem præmissam responsio. Validum autem est hoc argumentum; quasi dixerit: piget te modici laboris ad siderealem scientiam comparandam; nec immodici laboris te pigebit unquam in eruendo auro e terræ visceribus; in tranando mari ad gemmas habendas; in colendis agris, qui sæpe votorum fallaces sunt; in castris sequendis ad prædas faciendas; in effundendis patrimoniis, ut luxuriæ indulgeas; in parcendo gulæ, ut bona cumules. 'Pudeat tanto bona velle caduca,' et totum teipsum non impendere, Deus esse ut possit in teipso, dum cœlorum ac siderum notitiam nullo labore adipisci cupis. Argumentum sane a minori ad majus.

Nec lapidum pretio pelagus cepisse pigebit.
Annua soliciti consummant vota coloni:
Et quantæ mercedis erunt fallacia rura?
Quæremus lucrum navi, Martemque sequemur
In prædas? pudeat tanto bona velle caduca:
Luxuriæ quoque militia est, vigilatque culinis
Venter: et, ut pereant, suspirant sæpe nepotes.

mari commisisse pro præmio gemmarum. Agricolæ anxii peragunt preces per totum annum, et tamen quanti fructus fallaces erunt agri? Perquiremus quæstu navibus, et sequemur bellum ad prædandum? Ah! erubescamus quærere tanto labore opes perituras. Similiter labor est solicitus circa gulam et circa damna; et posteri nostri plerumque laborant, ut venter studeat parsimoniæ. Quid ergo da-

labore montium opes ernas, venis superaddita tellus obstabit.' *Stoeb.*—398 'Versus *κακοῦ κόμματος.*' *Bent.*—402 Vulg. *mortemque.* Scal. ex Gemb. *Martemque*, et sic Delph. 'Cod. Paris. *Quær. lucr. majus*, et pro varia lectione interlineari *navis*, quod Regiom. quoque agnoscit. Cod. Lips. et ceteri vulgati *naves.* minus recte. Mox, pro *martemque* libri omnes *mortemque sequemur.* Quam lectionem veritati asserere videtur hoc *tanto*, quod statim sequitur vs. 403. *Tanto bona velle caduca*] Ubi *tanto*, supple pretio, mortis scilicet, non Martis, *periculo.*' Stoeb.—404 Scal. Delph. et vulg. *vigil atque ruinis.* 'Omnes scripti *vigilatque* unico verbo. Corrige et distingue, *L. q. militia est, vigilatque culinis V.*' Bent. 'Quænam *militia?* Aut quibus armis *ventrem* uti *luxuriantem* voles? 'Solicitudo,' inquit Scaliger, 'circa gulam et ventrem altera militia est.' Scilicet his circumveniri insidiis oportet, qui vs. 402. temere magis quam scite, *Martem sequuntur.* Cod. quidem Paris. h. l. diserte *militia.* Cod. Lips. pro varia lectione; prior manus dedit *malitia.* Quod sequitur, *vigilatque culinis*, longe infelicius a Bentleio mutatum. Libri omnes rectissime *ruinis*, i. e. rebus, cibis, ventri perniciosis, quæque adeo *ruinæ* sunt eis invigilanti vel avidius eas adpetenti. Proinde sententia, ducibus Regiomontano et Pruknero, sic videtur concipienda: *L. q. pernix est vigilatque ruinis*

NOTÆ

402 *Martemque sequemur*] I. e. castraque sequemur. Mars enim Deus est belli, qui pro bello usurpatur.

403 *Tanto*] Suppl. periculo, labore, pretio, &c.

404 *Luxuriæ quoque, &c.*] Ita restituendi fuerunt hi duo versus: *Lux. q. m. e. vigil, atque ruinis: Venter et u. pereat, s. s. n.* Male enim Rom. *Luxuriæ quoque militia est, vigilatque ruinis Venter, et ut parcat, suspirant sæpe nepotes.* Male vulg. *Luxuriæ quoque militia est pernix vigil atque ruinis Venter, &c.*.... Male Scalig. *Luxuriæ quoque militia est vigil atque ruinis Venter, et ut parcant, suspirant sæpe nepotes.* Itaque ea mens est Manilii, ut a minori ad majus argumentetur, ut monui vs. 396. not. Laboratur, inquit, et non solum militia est in castris, sed etiam solicitudo est circa gulam, et circa bonorum profusiones, immo circa parsimoniam, quæ res sunt caducæ, et minimi pretii; cur ergo non laboretur, immo totus homo non impendatur, ut habeatur id, quo venerit omne? i. e. ut habeatur Deus per ipsam siderum notitiam, quod enim quæritur, Deus est. Itaque *luxuriæ*, i. e. gulæ: *Militia est vigil*, i. e. laboratur. *Ruinis*, i. e. bonorum profusionibus.

405 *Venter: et, ut pereant,* [*Venter et ut percat*] *&c.*] Quasi dixerit, majores

Quid cœlo dabimus? quantum est, quo veneat omne?
Impendendus homo est, Deus esse ut possit in ipso.
  Hac tibi nascentum mores sunt lege notandi.
Nec satis est signis dominantia discere signa
Per denos numeros, et quæ sint insita cuique;
Sed proprias partes ipsas spectare memento,
Vel glacie rigidas, vel quas exusserit ignis,
Et steriles utroque modo, quîs largior humor,
Quîsve minor justo nocuit. Namque omnia mixtis

bimus cœlo? Quam magnum est illud, quo res omnis vendenda est! Totus homo se debet dare, ut Deus queat esse in ipso. Studia nascentium sunt tibi observanda sub hoc ordine. Non autem sufficit nosse quæ sidera dominantur sideribus per sortes decimas, et quæ sint immixta cuique signo; sed recordare observare ipsos proprios gradus cujusque signi, qui scilicet sunt vel frigore horrentes, vel quos ignis adusserit; et quos aqua uberior, et quos humor nimis copiosus circumalluit, licet infœcundi sint ex utroque hoc humore. Etenim cuncta signa conduntur

V.; et ut pereant, &c.' Stoeb. Delph. *L. q. m. e. vigil, atque ruinis: Venter et ut pereat, s. s. n.* Vid. not. inf.—406 Vulg. *q. est; quod v. o.* 'Lege *quo v. o.?* auro scilicet.' *Scal.*—413. 14 Scal. Delph. et vulg. *E. s. u. tamen quas l. h. Quasque minor jam succus obit.* 'Hæc plane portenta sunt. Duo præstantissimi codices, Gemb. et Lipsiensis, pro istis *jam succus obit* lacunam habent hoc modo, *Quaque minor. . . . . namque.* Vossianus: *Quaque minor ibi tonit. namque.* Si hariolandum est, faciamus periculum. Lego igitur, *Et st. u. modo: quîs l. h., Quîsve m. justo nocuit.'* Bent. 'Libri nostri cum Ms. Paris. utroque *tamen;* scil. tum glacie frigoris, tum solis ardore steriles, &c. *Quîs largior humor, &c.*] Cod. Paris. et Regiom. *Quas l. h. Quasque minor jam succus obit. Quaque minor* Ald. Rom. Prukn. *Quaque in moribus,* et in margine 'al. *minoribus (novit) obit,'* quæ omnia nullius sunt saporis, sicuti lectio quoque Cod. Lips. *Quaque*

NOTÆ

laborant ut luxuriæ suæ indulgeant; nepotes vero ut parsimoniæ studeant. Hinc undique labor, et in gula et in parsimonia.

406 *Quo veneat omne*] Pro quo sunt omnia vendenda et danda. Cœlum enim seu Deus, hoc est, cœlorum Deique notitia, præstat rebus omnibus. Laudat in hoc astronomiam, quam rebus ceteris præfert.

407 *Deus esse ut possit in ipso*] I. e. ut Dei notitiam adipiscatur homo, quam Deus ipse sideribus appendit, I. 25. et seqq.

409 *Nec satis est, &c.*] His 7. vss. monet non satis fuisse decanias signorum per signa observasse, sed observandas quoque esse, quæ partes in signis dicuntur frigidæ, quæ calidæ, quæ humidæ, et quæ siccæ; quippe quæ sint noxiæ. Namque ut ait vs. 498. 'Hæ partes sterilem ducunt et frigore et igni Aëra, vel sicco, vel quod superaverit humor,' &c.

410 *Per denos numeros*] Per decanias.

412 *Glacie rigidas*] Frigidas.

Quas exusserit ignis] Calidas.

413 *Utroque*] Scilicet largiori humore et minori succo.

Viribus, et vario consurgunt sidera textu.
Est æquale nihil. Terrenos aspice tractus,
Et maris, et pronis fugientia flumina rivis.
Crimen ubique frequens, et laudi noxia juncta est.
Sic sterilis lætis rubigo intervenit arvis,
Ac subito perimit parvos discrimine fœtus:
Et modo portus erat pelagi, jam vasta Charybdis,

viribus intermixtis, et diversa textura. Scilicet nihil est in rerum natura, quod sit æquatum. Vide v. g. terrestres textus et textus pelagi, et fluvios, qui fluunt extra littora sibi assueta: creber est ubique defectus, et vitium est annexum æquationi illorum. Ita enim annus infœcundus intercedit agris fœcundis, et interrumpit fructus intra paucum tempus, quos jamjam progignerat: et hic erat jam portus maris, illic

minoribus ovit namque, &c.' Stoeb.—417 Scal. Delph. et vulg. *notis f. f. ripis.* 'Pro *notis* quattuor optimi, Gemblacensis, Lipsiensis, Venetus, et Vossianus, habent *partis*. Quis non videat corrigendum esse, *Et maris, et pronis fugientia flumina rivis?*' Bent. 'Restituendum ex Cod. Paris. *notis ripis*, quod et Regiom. ceterique omnes cum Scaligero tuentur. *notis fugientia flumina ripis* sunt, quæ vel eas excedunt, vel aliorsum vada ducunt. Conf. infr. vs. 423, sq.' *Stoeb.*—419 Scal. Delph. et vulg. *S. s. terris lætis i. annus.* 'Pro *terris* Lips. *terra*, et pro *annus* Veteres universi *arvis*. Si divinare licet, legerim, *S. s. l. rubigo i. arvis.*' Bent. 'Hoc *arvis* est in Cod. Lips. *terra* nobis ex eodem non indicavit Vir doctus. Cod. Paris. vulgatam omnibus lectionem tuetur, *S. st. terris lætis i. annus. Terris lætis* uti 'frugibus lætis' Georg. I. 69. ubi prata virent, messisque in herba, *annus sterilis intervenit*, i. e. anni tempus ob pluviam, vel excessu vel defectu peccantem, intercedit.' *Stoeb.*—420 Scal. Delph. et vulg. *Ac subitos rumpit parvo d. f.* '*Rumpit fœtus*, quid sit nescio. Pro *subitos* vetusti omnes *subito*. Repone, *Ac subito perimit parvos d. f.*' Bent. 'Codex Parisin. *Ac subitos rumpit parvo d. f.* Sic editi veteres, præter Regiom. cui placuit *subito*, quod non multum differt a *parvo discrimine*, seu *exiguo temporis intervallo*, ideoque non admittendum *rumpit* pro *corrumpit*. *Subitos fœtus*] scil. terræ, qui jam aliquantum excreverunt. *Subire* pro *ascendere*, a quo *subitus* etiam passive legi Lexicographi fidem faciunt, et Plin. Hist. Nat. IV. p. m. 203. 19. 'Hæmi excelsitas sex mil. passuum subitur.'' *Stoeb.*—421 Scal. Delph. et vulg. *facta.* 'Melius Codex Voss. *jam vasta C.* Sic Virg.

NOTÆ

416 *Est æquale nihil, &c.*] His 14. vss. præclara inductione probat nihil esse in rerum natura, quod æquale sit, quodque æquali textu feratur. Unde nil mirum si hæc partium inæqualitas etiam reperiatur inter sidera.

418 *Crimen ubique*] Nimirum in agris, in mari, et in fluviis. Agri enim non quotannis fertiles, sed sterilis annus lætis aliquando intervenit agris: non æquali semper littore æstuat mare, sed modo portum efficit, modo Charybdim: fluvii non æqualibus ripis fluunt, sed nunc per scopulos, nunc per campos labuntur.

420 *Subito* [*parvo*] *discrimine*] Post paulum temporis.

421 *Charybdis*] Gurges, abyssus, in quo naufragium frequens est. Charybdis enim gurges est verticosus in mari Siculo, Calabriam inter et Siciliam, contrariis fluctuum concursationibus assurgens, et obvia quæque absor-

Laudatique cadit post paulum gratia ponti:
Et nunc per scopulos, nunc campis labitur amnis;
Aut faciens iter, aut quærens curritve reditve.
Sic etiam cœli partes variantur in astris.
Ut signum a signo, sic a se discrepat ipsum;
Momentoque negat vires, auramque salubrem.
Quodque per has geritur partes, sine fruge creatur;
Aut cadit, aut multis sentit bona mixta querelis.

modo facta est Charybdis, et decus maris celebrati jam paulo post concidit: et modo flumen fluit per saxa, modo per planities, vel aperiens sibi viam, vel quærens, it aut revertitur. Similiter quoque gradus in signis cœli diversi sunt: et sicut signum differt ab alio signo, ita ipsum differt a seipso, et in instanti temporis denegat virtutem et affectionem salutiferam. Et quod fit per hos gradus, id producitur absque ullo fructu, etenim vel perit, vel experitur bona intermixta pluribus

Æn. VII. 302. 'Quid Syrtes aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis Profuit?' *Bent.*—422 'Librarius Monachus, dum semisomnis hæc scribit, in jocularem errorem incidit: *gratia χρι.* sic plane Gemblacensis: χρι plenis literis est *Christi.* Neque aliter Lipsiensis; sed superne habet *ponti.* Venetus librarius, offensus, credo, lectione tam scelesta, totum versum omisit. Vossianus in ipso textu, *ponti.*' Bent. 'Sic diserte Cod. Paris. Ex quo colligere licet, eum a peritiore manu profectum, quam vel Gemblac. vel Lipsiens. qui habent χρι, i. e. *Christi.* Absit blasphemia verbis! Compendiariam hujus vocis scriptionem evolvit Stewech. ad Veget. II. p. 192.' *Stoeb.*—423 Scal. Delph. et vulg. *campos.* 'Vetusti quattuor melius, *nunc campis l. a.* ut Horat. Carm. I. 2. 18. 'vagus et sinistra Labitur ripa.'' *Bent.* 'Libri universi *campos*, ubi præcedens *per* repetendum.' *Stoeb.*—424 'Suspectus versus. Gemb. habet *uritve reditve.* Sed profecto est πονηροῦ κόμματος.' *Scal.* Delph. *venitve rediitve.* 'Rom. bene. Dum enim flumen labitur per pratorum campos, serpit, itque reditque. Gemb. *uritque.* At quid est *amnis urit?*' 'Hunc versum Scaliger pro adulterino habet; Huetius sic corrigit, *transitve reditve.* Ego sic malim, *curritve reditve:* quod et Barthio in mentem venit.' *Bent.* 'Per campos *currit*, a scopulis *redit.* Sic Barthius suam hanc emendationem explanavit. At Regiom. et impr. cet. *venitve reditve.* minus bene. Codd. Paris. et Lips. cum Gembl. *uritve reditve*, ubi sensu commodissimo legere possis, *urgetve reditve.*' Stoeb.—427 Vulg. *utroque salubres.* Delph. *usumque.* 'Præferimus lect. Gemb. *victumque salubrem.* Sequentia adtestantur.' *Scal.* 'Sic Gemb. sed Voss. *usumque*, Lips. et Venet. *utrumque.* Repone *auramque.* 'Salubris aura,' 'saluber aquilo,' 'zephyrus' passim. Noster inf. 465. 'salubri caret cælo.' Contra 483. 'metuendus aër;' et 499. 'sterilem aëra;' et II. 357. 'Aëraque infectum nostras demittit ad auras.'' *Bent.* 'Hoc *auram* Bentleii ingenio debetur. Cod. Gembl. *victumque*, quod Scaliger probavit, adscivit. Cod. Lips. et Venetus *utrumque*, ex quo Cl. Heringa fecit *utcumque.* Nihil opus. Vero proximam, quin imo genuinam, lectionem præferunt Codd. Paris. et, legente ipso Bentleio, Vossianus,

NOTÆ

bens, iterumque evomens. Hinc a Manilio pro quovis gurgite maris sumitur. Huic autem Charybdi alter gurges est oppositus, quem dixerunt Scyllam. Unde vulgatum illud, 'Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.'

Hæ mihi signandæ proprio sunt ordine partes.
Sed quis tot numeros totiens sub lege referre,
Tot partes iterare queat, tot dicere summas,
Proque artis causis faciem mutare loquendi?
Incipimus si verba, piget; quod gratia deerit:

questibus. Hi autem gradus in signis sunt mihi notandi peculiari carmine. At quis valeat toties recensere sub ordine tot summas? Quis repetere tot gradus? Quis dicere tot numeros per diversos casus? Quis denique possit variare toties formam loquendi? Ita tamen concinimus voces, cujus rei me pœnitet. At, inquies, venustas non erit

---

usumque, scil. virium *salubrem.*' Stoeb.—430 Scal. Delph. et vulg. *carmine.* ' Repone *ordine*, ut II. 750. ' Verum hæc posterius proprio cuncta ordine reddam.' et 700. ' Quos reddant motus proprio venit ordine rerum.' Vide Nostrum ad III. 35.' *Bent.* ' *Proprio ordine*] Sic quidem Noster aliis locis, v. c. II. 750. et III. 35. sed hoc loco constanti Codd. fide scripsit, *proprio carmine.* Cf. mox vs. 436.' *Stoeb.*—432 ' Codd. Paris. et Lips. cumque illis impressi omnes, *tot discere summ.* pro quo V. D. maluit, *ducere summ.* Utraque lectio melior vulgata.' *Idem.*—433 Vulg. *Per varias causas.* ' Melius Gemblac. *Per partis caussas.* Unde ridicule, ut solet, Bonincontrius novavit, *Per parvas pausas. Per partis caussas*, per singularum partium caussas.' *Scal.* ' Gemblacensis *partis;* Venetus *partes;* Vossianus *patris;* Lipsiensis *patris*, et superne *partis.* Repono, *Proque artis causis.* Pro necessitatibus, requisitis artis.' *Bent.* ' Cod. Paris. et Editi præstantiores, *Per varias causas.*' Stoeb. Delph. *per varios casus.* ' J. Bitur. bene; i. e. per tot diversos declinandi casus.'—434 Scal. et vulg. *Incidimus s. v. p. Sed g. d.* ' Locus pessime acceptus. Opem ferre non possum. Nescio, an legendum *Incidi.* Hoc est, si piget nos verborum inflexionis in hac ξενοφωνίᾳ et egestate sermonis Latini. Nam nove impersonale cum verbo non transitivo posuit. Sic in Sphæra barbarica: ' Ardentem medios animum libet ire per ignes.' Eodem modo dictum fuerit hic, *incidi verba piget*, ut illic ' animum ire libet.' *Incidi verba*, ut dolari. Aliud est ' verba cædere' apud Terentium, pro verba facere, quod Attici dicebant λογοκοπεῖν. unde ῥήτορες λογοκόποι, et κόπις orator. Nam apud Priscianum legitur λόγους κόπτειν. Quamobrem ' incidere verba' fuerit nova incude recudere; quod faciendum necessario in paupertate eloquii Romani. Si ponamus ita legendum: ergo totus locus ita concipiendus: *Sed q. t. n. t. s. l. r., Tot p. i. q.? tot dicere s.? Per partis caussas f. m. l., Incidi si verba piget? Sed gratia deerit.* Quomodo, inquit, ξενοφωνίαν expressero, nisi verba ipsa quomodocunque inflectam? nisi nova incude verba procudam?'

NOTÆ

430 *Hæ mihi signandæ, &c.*] His 13. vss. ait se relaturum istas omnes partes, quæ in signis damnandæ sunt et noxiæ. Verum cum id operis arduum sit et difficile, monet se vix aliqua cum venustate verborum posse tot numeros, tot partes, totve summas per varios casus flectere, formamque loquendi mutare. Itaque id sibi satis fore si partes illas bene notaverit, si Deum ostenderit, qui sibi ipsi pondus et auctoritatem faciet.

431 *Sed quis tot numeros, &c.*] His 3. vss. objectio est, quam jam solvet.

433 *Faciem loquendi*] Formam loquendi.

434 *Incipimus si* [*Incinimus sic*] *verba*] Ita restituendum. Respondet enim propositæ objectioni. Quasi diceret, Non facile quidem est variare tot numeros, totve partes signorum,

In vanumque labor cedit, quem despicit auris.

ulla, et illud opus abit in cassum, quod auris contemnit. Fateor. Sed oportet ut

Scal. Delph. *Incinimus sic verba, piget. Sed g. d.* Vid. not. inf. 'Gemb. *si;* Lips. *sit;* Voss. *sic.* Hæc unica in hoc vs. variatio est. Scal. conjiciebat *Incidi si verba piget?* 'Incidi,' ait, 'dolari, recudi.' Huet. sic: *Incidim si verba piger.* [Vide inter notas huic editioni appensas.] '*Incidim,*' inquit, 'pro *incidam,* ut *edim* olim pro *edam.* Si piger incidim verba si contrahere et recidere velim verba.' Utrumque durum et contractum. Repono, *Incipimus si v., p.; quod g. d.* Queritur de sequentis argumenti jejunitate, qua per versus 60. damnandæ in XII. signis partes enumerandæ veniunt. Miror equidem tam aridam sterilemque partem non ab eo præteritam esse: sed maluit siccus et ligneus poëta videri quam imperitus astrologus. Necessitate tamen se excusat: non licuit ei relinquere quod tractatum posse nitescere desperavit. Et tamen admiratione dignum est quot modis in eadem re narranda variaverit faciem loquendi.' *Bent.* 'Locus variis modis sollicitatus viris doctis, nec tamen adhuc omni depravatæ lectionis nota exemptus. Quam Bentleius hic sequitur, lectio est Fr. Junii, in qua ille, non quidem sensu meliore, adscivit *si* pro *sic,* et *quod* pro *sed,* in membro posteriore. Non minus scite Fayus tentavit, *Incinimus sic verba, &c.* in hunc sensum: 'Sic voces istas canendo composuimus et conteximus, utcunque potuimus. *Piget,* h. e. dolemus. Utinam enim melius et venustius canere potuerimus.' Hæc autem Interpretis potius quam Auctoris mens esse videtur. Longius a vera lectione atque adeo ab Auctoris intellectu discedit, eoque minus se nobis probavit emendatio, quam instituere conatus est Vir doctus in Observat. Miscell. a D'Orvillio collectis Tom. I. pag. 122. *Dici eadem si verba piget? sed gr. d.* Quibus id Poëtam velle putat: Quis tot res ac numeros toties recurrentes identidem exprimere, mutata licet forma, poterit, si eadem verba dici et usurpari piget? Quod ultimum si fiat, *deerit* quidem *gratia,* quam iterata tam sæpe eadem vocabula non habent, sed mihi loquendum est materiæ ipsius, non meo arbitrio. Quid ad hæc Codices Ms.? Quid Editi Vetusti? Gemblac. *Incidimus si v.* Paris. et Regiom. *Incidimus sic v.* Hæc vero parum aut nihil ad sensum, et vel ab ipso metro vitii damnantur. In Cod. Lips. alter quidem doctorum Lectorum nihil prorsus diversi ab edita lectione notavit; alter vero in margine posuit *sit,* et supra vocem *Incidimus* minutissimis literulis aliud quid indicasse videtur, quod ne hariolando quidem assequi valemus. Quicquid autem sit, non ejusmodi esse omnino putamus, ut vel lectionem emaculare, vel sensus sarcire ruinam possit. Neque vero deserenda prorsus illa veræ lectionis vestigia, quæ quidem

NOTÆ

propter verborum inopiam; attamen *sic incinimus verba,* i. e. sic voces istas omnes canendo composuimus et conteximus, utcumque potuimus. *Piget,* i. e. quod quidem dolemus. Utinam enim melius et venustius cecinisse potuerimus. Ms. *Incidi si verba piget?* corrupte. Rom. *Incidimus sic verba, piget.* Et Scal. *Incidimus si verba, piget.* Quasi, pigeat si verba cudimus. Utraque posterior hæc lectio non probatur. J. Bitur. *Incipimus sic verba.* Quasi instituimus exponere. Nec probatur mihi.

Quod gratia deerit, &c.] Hoc dimidio versu, cum sequenti, altera continetur objectio. Quasi quis objecerit; verum si ita partes illas aut numeros flexeris per tot diversas loquendi formas, vix aliqua erit verbis ac carminibus venustas, sine qua carmina despicit auris.

Sed mihi per carmen fatalia jura ferenti,
Et sacros cœli monitus, ad jussa loquendum est:
Nec fingenda datur, tantum monstranda figura.

ego, qui deduco in carmina leges fati, et sacratos motus cœli, loquar juxta præscriptas leges; nec mihi permittitur fingere siderum figuras, sed tantum notare il-

nobis insistentibus ad probabilem emendationem, nisi omnia fallunt, viam munivere. Videat enim æquus et peritus Lector, annon facilius pariter ac melius foret legere *Insecimus*, pro *Indicimus* vel *Incidimus*; cui quidem mutationi tum literarum similitudo, tum vocis probata Latinitas cum auctoritate conjuncta, tum etiam significatus ejusdem mirum in modum favet. Illud *insecimus* formari legitime videtur ab *insece*, quo usi Ennius et Livius Andronicus apud A. Gellium XVIII. 9. Utriusque verba huc transcribere consultum erit, ut cum de antepenultimæ quantitate, tum de vocabuli notione tibi constet. Prior ille sic: 'Inseque, Musa, manu Romanorum induperator Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.' Ubi Velii Longi, non hominis indocti, fide affirmat Gellius, non *inseque* legendum, sed *insece*, 'ideoque,' sic pergit Literator, 'a Veteribus quas *narrationes* dicimus, *sectiones* esse appellatas.' Alter Poëtarum, Livius Andronicus, cujus itidem verba recitat Gellius, ita scripsit, 'Virum mihi Camœna insece versutum.' Quem versum ille factum dicit ex hoc Homeri: Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον. Et esse, ait, qui putant, illud Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, dictum, quod Latine *inseque* vel *insece* dicitur. Ex quibus locis certo videmur colligere, illud *insece* vocabulum esse probæ genuinæque Latinitatis, et valere dic, indica, memora, et oretenus trade, quæ quidem notio apud M. Catonem obtinere videtur, cujus verba l. c. sunt: 'ejusmodi scelera, quæ neque insecendo, neque legendo audivimus,' &c. Unde simul discimus, alia quoque illius verbi themata superesse, quæ in prima belli grammaticalis acie non ceciderunt. Quidni ergo Manilius dare *Insecimus* potuit? quod quippe versui non minus ac sententiæ apprime conveniens est. Fac itaque locum integritati suæ restituamus: *Insecimus sic v.* (:) *p.* (:) *sed gr. d.* Interpunctio Regiomontani est; periphrasis nostra hæc: Nos equidem, inquit, sic verba proferimus, quemadmodum rebus conveniunt et nostra sunt arte recepta: quæ quidem te piget legere toties repetita, nec variata fere loquendi forma; sed non est, ut ægre feram te ad ista nauseare, qui probe intelligo, culpam esse non Poëtæ, sed lectoris: nam semper gratis deerit verbis, et labor quicunque in vanum cedit, quem despicit auris, puta, lectoris. Confer quæ porro sequuntur, videbis omnia constare sibi certissime, illaque, *sed gratia deerit*, &c. a Poëta, sui vel excusandi vel consolandi gratia, esse scripta.' *Stoeb.*—437 Scal. Delph. et vulg. *motus*. 'Repono, *monitus*. Sic 'monitus deorum,' 'pecudum,' 'avium,' 'fulgurum.' Ovid. Met. VII. 600. 'Fibra quoque ægra notas veri monitusque Deorum Perdiderat.'' *Bent.* 'Libri omnes, *motus*; quos Auctor dixit *sacros*, quia divini et arcani quid habent. Ita I. 715. de galaxiam contemplantibus: 'Inquiruntque sacras humano pectore causas,' i. e. arcanas.' *Stoeb.*—438 'Non placet lect. Gemb. *Nec*

NOTÆ

436 *Sed mihi per carmen*, &c.] Respondet objectioni; quasi dixerit, non est in hisce rebus mihi quærenda verborum gratia: jura fero fatalia, sacrosque cœli motus; unde mihi ad jussa loquendum: nec licet verborum figuras fingere. Deinde quod signatur a me, Deus est, qui sibi pondera faciet. Nec parva erit gratia sermonis nostri, si hæc canendo bene signaverimus.

Fatalia jura ferenti] Leges fati præscribenti.

438 *Figura*] Sup. siderum.

Ostendisse Deum nimis est: dabit ipse sibimet
Pondera. Nec fas est verbis splendescere mundum:
Rebus erit major. Nec parva est gratia nostri
Oris, si tantum poterit signare cavenda.
Accipe, damnandæ quæ sint per sidera partes.

las. Nimium est monstrasse Deum; ipse faciet sibi auctoritatem. Nec licet alligare cælum verbis nostris; etenim supra res est. Deinde nec minima erit venustas nostræ linguæ, si interea poterit cantando notare has res quæ tantam perspicacitatem postulant. Igitur audi qui sint illi gradus, qui noxii sunt in signis. In ariete

signanda; et pro *dabit*, *dedit*.' Scal. 'Cod. Lips. *signanda*: non male.' *Stoeb.* —440 Scal. Delph. et vulg. *suspendere*. 'Quid sodes illud est, *suspendere mundum verbis?* Si roges; nihil respondeant viri magni, qui tamen hoc sicco pede transilierunt. Ex nullo sensu elegantissimum repono, *splendescere m.; Rebus erit major*. *Splendescere verbis*, amplificari oratione. Hoc est, quod alibi dicit III. 39. 'Ornari res ipsa negat, contenta doceri.' 'Verborum splendor,' et 'verba splendida' passim. Cicero, initio Paradox. 'Nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione, et tamquam excolatur.'' *Bent.* 'Universi Libri *suspendere*, quod cape sis pro alligare quasi et appendere vocibus, mundumque verbis librare, vel aliquid ponderis ei addere. Hoc fas non esse dicit, quoniam Deus ipse, qui et mundus, sibi pondera *dabit*, vel potius *dedit*, quod præstant Cod. Paris. et vulgati vetustiores.' *Stoeb.*—441 Scal. Delph. et vulg. pro *erit*, *enim*. 'Vetusti quattuor *erit*.' Bent. 'Sic, legente Bentleio, vetusti quatuor. In quorum tamen numero censendi non sunt Cod. Paris. et Lips. qui ferunt *Reb. enim maj.* nec aliter Scaligero in Gemblac. lectum videtur.' *Stoeb.*—442 Scal. Delph. et vulg. *si tamen hæc p. s. canendo*. 'Τὸ *tamen* abundat, ut Horat. 'si tamen Non invisa rates transiliunt freta.' Sed Gemb. habebat *si tantum poterit*.' Scal. 'Libri veteres, *si tantum poterit signare canenda*. Repone, *si tantum p. s. cavenda*. *Cavenda*: quippe damnandas XII. signorum partes jam dicere aggreditur. Sic v. 101. 'His erat Heniochi surgentis forma cavenda.' ubi veteres *canendu*, *cananda*. IV. 481. 'Si te fata sinant, quartam ne selige partem Centauri.' et 575. 'Ne vero sit te primos producere pisces.'' *Bent.* '*Cavenda*, quippe damnandas XII. signorum partes jam dicere aggreditur. Sic v. 101. 'His erit Heniochi surgentis forma cavenda.' Hæc suæ lectionis interpres, Bentleius. Cl. Vierschrot. mavult: *si tamen hunc pot. sign. canendo*. Cod. Paris. habet *canenda*. Lips. *canendi*, et superne *canenda*. Sic fere impressi veteres, præter Regiom. qui

NOTÆ

439 *Ostendisse Deum*] Notasse cœlorum partes, e quibus veritas ipsa deducatur, quam in iis latere voluit Deus. Sic vs. 399. 'Quod quæris, Deus est.'

440 *Verbis splendescere* [*suspendere*] Alligare, appendere vocibus, ad nutum movere, aut signare.

442 *Oris*] Linguæ, sermonis, eloquentiæ.

443 *Accipe, damnandæ, &c.*] Commemoraturus est igitur quæ partes per quæque signa noxiæ sint, vel, ut ait supra, frigidæ, calidæ, humidæ, et siccæ. Ejusmodi quippe partes noxiæ sunt et damnandæ. Incipit autem ab ariete, sexque vss. seqq. docet in ariete gradus istos esse noxios IV. VI. XII. XIV. XVII. XVIII. XX. XXI. XXV. XXVII. Interim miram ingenii fœcunditatem, ne dicam felicitatem, mireris.

Lanigeri pars quarta nocet, nec sexta salubris.
Septima par illi ac decima est, decimæque secunda,
Quæque duas duplicat summas septemque novemque,
Unaque viginti numeris pars addita lædit,
Et quinta, et duram consummans septima partem.
Tauri nona mala est, similis quoque tertia pars est
Post decimam, nec non decimæ pars septima juncta:
Bisque undena nocens, et bis duodena nocentes,
Quæque decem tresque ingeminat, fraudatque duobus

gradus quartus lædit, neque sextus est salutiferus: similiter qui gradus est illi arieti septimus post decimum, et secundus post decimum; et qui geminat istos duos numeros, nimirum et septem et novem; et qui gradus superadditus est numeris viginti, nocet; quintus pariter nocet; et septimus supra viginti terminat gradum malignum. Nonus gradus tauri noxius est: tertius etiam gradus post decimum par est illi, atque etiam gradus qui septimus additur decimo: est etiam noxius gradus vicesimus secundus: est et noxius vicesimus quartus gradus: et ille, qui duplicat decem et

maxime opportune dedit, *si causam p. s. canendo.*' Stoeb.—445 Scal. Delph. et vulg. *S. pars illi a decimu decimæque*. 'Hæc mendosa sunt; prius enim XVII. partem narrant, quam XII. Pro *a decima* libri omnes *ac decima*. Repone, *S. par illi, ac decima est, decimæque s.* hoc est, VII. X. XII.' *Bent.* 'Recte: non *pars*, quod sine sensu fertur in Cod. Paris. Mox, pro *decimæque secunda* legere malim cum Heringa, *a decimaque s.* i. e. duodecima. Sic vs. 462. 'septima post decimam.'' *Stoeb.*—447 Vulg. Lips. et Paris. *laudet*. 'Lego, *pars addita lædit*. Gemb. *gaudet*. Vera lectio quam restituimus. Sic infra, 'vicesima et altera lædit.'' *Scal.* Regiom. *languet*.—448 Vulg. *et quintam*. 'Melius Gemb. *quinta*.' Scal. 'Paris. consentiente Lips. *Et quintam et d. consumat s. p.* Regiom. *Et quinta* (:) *et d. consummat, &c.*' Stoeb.—450 '*Juncta*] Addesis *est*, ex utroque Codice. 451. Regiom. sic distinguit, *et bis duodena* (:) *n. Quæ* (non *Quæque*) *decem tresque ingem. &c.*' Idem.—452 'Codd. Paris. et

NOTÆ

445 *Illi*] Suppl. arieti: i. e. quam ille aries septimam habet post decimam, hoc est, decimam septimam, nocet.

Decimæque secunda] I. e. XII. grad. Secundà enim post decimam pars est duodecima.

446 *Quæque duas duplicat, &c.*] I. e. XIV. et XVIII. grad. namque bis 7. dant 14. similiter bis 9. dant 18.

447 *Unaque viginti, &c.*] I. e. XXI. grad.

448 *Et quinta*] Suppl. viginti numeris pars addita; i. e. XXV. grad.

Septima] Suppl. pariter, viginti numeris pars addita: i. e. XXVII. grad. qui ultimus est noxius in ariete, unde ait Poëta, 'duram consummans septima partem.' Consummans, i. e. terminans, claudens.

449 *Tauri nona mala, &c.*] His 5. vss. docet qui gradus noxii sint in tauro, nempe IX. XIII. XVII. XXII. XXIV. XXVI. XXVIII. XXX.

452 *Quæque decem tresque ingeminat*] I. e. XXVI. grad. bis enim 10. et bis 3. sunt 26.

Triginta numeros, et tum tricesima summa.
Pestifera in geminis pars prima et tertia signis.
Septima non melior: ter quinæ noxia par est.
Unaque bis denis brevior nocet, unaque major:
Et similis noxæ veniet vicesima quinta:
Cumque duæ subeunt, vel cum se quatuor addunt.
Nec cancri prima immunis, nec tertia pars est,
Nec sexta: octava est similis: decimaque peracta
Prima rabit: nec ter quinæ clementior usus.

tres; et ille qui frustrat duobus numeris tricesimam summam; et tu, o tricesime numere, nocens es. Prior gradus et tertius in signis geminorum nocent: septimus non est utilior: decimus quoque quintus gradus nocens est: et ille, qui est unus minor de viginti, lædit: et is qui superat uno vicesimum numerum: et vicesimus quintus erit ejusdem malignitatis: et ille, quando duo gradus superadduntur vicesimo illi quinto; aut ille, quando quatuor gradus accedunt ipsi. Neque cancri gradus prior, neque tertius vacuus est a noxa: neque sextus, qui par est octavo: et primus post decimum absolutum lædit; neque sors decimæ quintæ mitior est: decimus septimus

Lips. subscribente Regiom. *fraudata duobus.*' Idem.—458 Scal. Delph. et vulg. *T. numeris; et tu t. s.* 'Gemb. *T. numero sextum.* Quæ profecto sunt vestigia nostræ emendationis.' *Scal.* 'Libri veteres *numeros:* et Gemb. Venetusque, *et tum, et tunc.* Repone *T. numeros, et tum t. s.*' Bent. 'Sic Cod. Lips. pro *numeris*, quod est in Ms. Paris. et Regiom. quoque probavit. Cod. Paris. et Regiom. *et tu tricesima summa es.* Cod. Lips. *est.*' Stoeb.—455 Vulg. *ter quinta et noxia per se.* 'Depravatissima sunt. Gemb. *ter quina et noxia pars est.* Noli dubitare quin vera sit lectio, *ter quinæ noxia par est.*' Scal. 'Cod. Paris. *tot quina et noxia per se.* Lips. *ter quina et noxia pars est.* Sic etiam Regiom. nisi quod in fine legit *per se.*' Stoeb.—460. 461 Scal. Delph. et vulg. *octavæ similis decimæque peractæ Prima rapit.* 'Libri veteres *peracta.* Repone, *Nec sexta: octava est similis; decimaque peracta Prima rabit.* Decima peracta prima, hoc est, XI. ut mox 475. 'Quartaque bis denis actis,' XXIV. *Rabit*, furit æstu, in cancro scil. Sic infra de canicula v. 208. 'Et rabit igne suo, geminatque incendia solis.' et 224. 'et lingua rabit latratque loquendo.'

NOTÆ

454 *Pestifera in geminis, &c.*] His 5. vss. explicat qui gradus in geminis sint noxii, nimirum I. III. VII. XV. XIX. XXI. XXV. XXVII. XXIX.

456 *Unaque bis denis brevior*] I. e. XIX. grad. Qui enim numerus unus est minor viginti, is nonus est decimus.

Unaque major] I. e. XXI. grad.

458 *Cumque duæ subeunt*] I. e. cum duæ partes superaccedunt ad vigesimam quintam partem. Hoc est, XXVII. grad.

Vel cum se quatuor addunt] Suppl. ad eandem vigesimam quintam partem. Hoc est, XXIX. grad.

459 *Nec cancri prima immunis, &c.*] His 5. vss. ostendit qui gradus in cancro noxii censeantur, nempe I. III. VI. VIII. XI. XV. XVII. XX. XXV. XXVII. XXIX.

Immunis] Sup. a noxa et malitia.

460 *Octava est similis*] Nempe in noxa.

461 *Rabit* [*rapit*] Ferit, lædit, nocet.

Septima post decimam luctum, et vicesima, portat:
Et quinta accedens, et septima, nonaque summa.
  Tu quoque contactu primo, Nemeæe, timendus:
Et quarta sub parte premis. Bis quina salubri
Terque caret cœlo: vicesima et altera lædit:
Et tribus appositis vitium est, totidemque secutis:
Ultima nec prima melior tricesima pars est.
  Erigones nec pars prima est, nec sexta, nec una
Ad decimam, nec quarta, nec octava utilis unquam.
Proxima viginti numeris, et quarta timenda est;

et vicesimus grad. ferunt noxam: et quintus numerus superadditus vicesimo, et septimus superadditus vicesimo, et nonus superadditus vicesimo portant luctum. Tu etiam metuendus es, o leo, in priori tuo attactu: et sub quarto gradu opprimis: decimus et decimus tertius gradus non habent salutiferum aërem: et vicesimus secundus nocet: nocet etiam ille qui fit ex tribus numeris simul superadditis vicesimo secundo, et qui ex tot sequentibus fit: neque gradus postremus melior est primo gradu. Neque primus gradus virginis, neque sextus; neque undecimus, neque decimus quartus, neque decimus octavus usquam est benignus: gradus vicinus post summam vicesimam, et vicesimus quartus sunt metuendi: et metuenda pars est illa, quæ termi-

ubi codices vetusti in utroque loco *rapit*.' Bent. 'Codd. Paris. et Lips. subscribente Regiom. *N. s. octavæ similis decumæque p. P. rapit, &c.* Mox, pro *quinæ* dicti Ms. et Regiom. *quintæ*.' Stoeb.—464 Scal. et vulg. *summo*. 'Repone ex libris omnibus *primo*; hoc est, parte prima: *summo* esset parte ultima. Casu hoc in Scal. editiones irrepsit.' *Bent.* 'Sic vero Regiom. Paris. et Lips. *contractu* minus bene.' *Stoeb.*—465 Vulg. *prima sub parte*. Reposuit Scal. *quarta* ex Gemb. et sic Delph. et mox *quinta*. 'Immo *quina*, ut supra 'bis undenis,' 'bis denis,' et 461. 'ter quinæ.' *Bent.* 'Consentire videtur Cod. Lips. *Et prima* legunt Cod. Paris. atque Regiom. *bis quina salubri*] Non refragari Cod. Lips. videtur. Cod. vero Paris. *est quinta salubris*. Regiom. *et quinta salubri*.' Stoeb.—467 Vulg. *Et t. a. junctum est*. 'Lego, *Et t. a. junctim, t. que s.*' Scal. et sic Delph. 'Voss. *junctum est*. Gemb. et Lips. *victum est*. Repone, *vitium est*.' Bent. 'Sic diserte Regiom. At Lips. *junctum est*. Paris.

NOTÆ

463 *Et quinta accedens*] Suppl. ad vicesimam: i. e. xxv. grad.

Et septima] Suppl. accedens ad vigesimam: i. e. xxvii. grad.

Nonaque summa] Sup. accedens ad vigesimam: i. e. xxix. grad.

464 *Tu quoque contactu primo, &c.*] His 5. vss. docet in leone gradus esse noxios, I. IV. X. XIII. XXII. XXV. XXVIII. XXX.

Nemeæe] Leo, II. 178.

467 *Et tribus appositis vitium* [*junctim*] Sup. summæ vigesimæ secundæ: i. e. xxv. grad.

Totidemque secutis] Sup. ad summam vigesimam quintam: i. e. XXVIII. grad.

469 *Erigones nec pars prima, &c.*] His 4. vss. explicat in virgine noxios esse gradus istos, nimirum I. VI. XI. XIV. XVIII. XXI. XXIV. XXX.

470 *Nec quarta*] Sup. ad decimam: i. e. XIV. grad.

Nec octava] Sup. ad decimam: i. e. XVIII. grad.

471 *Proxima viginti*] I. e. XXI.

Et quæ ter decimam claudit sors ultima partem.
At quinta in chelis, et septima inutilis æstu.
Tertia et undecimæ, decimæque et septima juncta:
Quartaque bis denis actis, et septima; et ambæ
Quæ numerum claudunt nona et tricesima partes.
Scorpios in prima reus est, cui tertia par est,
Ut sexta, et decima est, et quæ ter quina notatur:
Undecimam et geminans, et quæ vicesima quinta est,

nat tricesimam summam. In libra quintus et septimus gradus sunt noxii: et qui septimus jungitur cum undecimo, et qui tertius jungitur cum decimo: et quartus post peractos viginti, et septimus post eosdem viginti actos: et duo gradus, nimirum nonus post viginti, et tricesimus, qui terminant summam graduum libræ. Scorpius noxius est in priori suo gradu, cui gradui tertius est similis, et sextus, et decimus, et qui etiam signatur decimus quintus: et qui duplicat undecimum: et qui numero est vicesimus quintus, et qui vicesimus est cum octavo numero, qui vinctum est.' Stoeb.—473 Scal. Delph. et vulg. *Et .... esto.* '*Esto* a Scal. venit: libri omnes *æstu.* At Venet. *at quinta.* Repone ergo: *At q. i. c. e. s. i. æstu.* Æstu; scil. una ex illis, quas (vss. 412. et 499.) 'ignis exusserit:' aliæ vel frigore, vel humore aut siccitate peccant.' *Bent.* 'Cod. Paris. et Regiom. *Et.* Addit Paris. *actis,* qui etiam hunc vs. sequenti postponit.' *Stoeb.*—474 Vulg. *Septima et undecima est.* 'Scribe: *Septima et undecimæ, decimæque et tertia juncta.* Etiam fere ita Gemblac.' *Scal.* et sic Delph. 'Hæc lectio numerat partem XVIII. ante XIII. Repone igitur mutato ordine *Tertia e. u. d. q. e. septima j.*' Bent. 'Cod. Paris. et Lips. itemque Regiom. *Septima et undecima est decumæque et tertia juncta.* Cod. Lips. et Regiom. in fine repetunt *est.*' Stoeb.—476 Vulg. *nec non tricesima.* Correxit Scal. ex Gemb. Lips. *non ex tricesima.* Paris. et Regiom. *nec non tricesima.*—477 Vulg. *pars est.* Correxit Scal. ex Gemb.—478 Scal. Delph. et vulg. *Et sexta et decima et quæ ter quoque q. n.* 'Ab omnibus libris abest *quoque;* quod Scal. induxit: non admodum concinne *quoque quina.* Malim hiatum in cæsura relinquere quam sic supplere. Lego, *Ut sexta, et decima est, et q. t. q. n.*' Bent. 'Cod. Paris. et Regiom. qui cum Lips. vs. præced. legunt *pars* pro *par,* h. l. pergunt, *Et sexta.* Mox iidem *ter quinta,* pro *quina.* Cod. vero Lips. *quater quina* vel *quinta.*' Stoeb.—479 Scal. Delph. et vulg. et sic Paris. et Regiom. *Undecimam gemi-*

NOTÆ

grad. Is enim proxime sequitur post viginti.

Et quarta] Suppl. proxima viginti: i. e. XXIV. grad.

473 *At quinta in chelis, &c.*] His 4. vss. docet in libra noxios esse gradus, V. VII. XIII. XVIII. XXIV. XXVII. XXIX. XXX.

Chelis] Libra, I. 178.

474 *Tertia* [*Septima*] *et undecimæ . . . juncta*] I. e. XVIII. grad.

475 *Quartaque bis denis actis*] I. e. XXIV. grad.

Et septima] Suppl. bis denis actis: i. e. XXVII. grad.

476 *Nona*] Suppl. bis denis actis: i. e. XXIX. grad.

477 *Scorpios in prima, &c.*] His 4. vss. ait in scorpione noxios esse gradus istos, I. III. VI. X. XV. XXII. XXV. XXVIII. XXIX.

Octavoque manet numero, nonumque capessit.
Si te fata sinant, quartam ne selige partem
Centauri, fuge et octavam: bis sexque peractis,
Octo bis aut denis metuendus ducitur aër.
Cumque iterum duodena refert, aut terna decemque,
Aut septena quater, vel cum ter dena figurat.
Nec pars optanda est capricorni septima: nona
Consentit, decimamque sequens quam tertia signat:
Et tribus, aut una quæ te, vicesima, fraudat:

simus tenet præterea nonum numerum. Si fata tibi permittant, ne eligas quartum gradum sagittarii: evita etiam octavum: cælum quoque timendum fertur in gradibus sagittarii qui sunt duodecimi absoluti, vel sexti decimi, vel vicesimi: et quando sagittarius reddit gradum vicesimum quartum; vel bis tres, et bis decem; vel viginti octo: vel quando format triginta gradus. Neque septimus gradus capricorni est exoptandus; nonus est huic similis: atque ille qui sequitur decimum, quem tertius insuper notat: et qui frustret te, o vicesime gradus, vel

nans. 'Melius *Undecimam et geminans.*' Bent.—480 Vulg. Paris. et Regiom. *votumque capessit.* Correxit Scal. ex Gemb. 'Cod. Lips. *notumque.*' Stoeb.—481 Scal. Delph. et vulg. *delige.* 'Lege ex tribus vetustis *selige.* Voss. ut solet, mendose *vel elige*, pro *ne selige.*' Bent. '*Ne selige* Cod. Lips. *ne dilige* Cod. Paris. et Regiom. Idem vs. seq. *Centauri:* recte: non *Centaurum*, quod vitiose fertur in Ms. Paris.' *Stoeb.*—483 Scal. Delph. et vulg. *dicitur.* 'Repone *ducitur*, ut inf. 499. 'Hæ partes sterilem ducunt et frigore et igni Aëra.'' *Bent.* 'Omnium librorum consensu legere poteris *dicitur.* Nec te ejus pœnitebit.' *Stoeb.*—485 '*ter dena figurat*] Sic plane Regiom. *duodena* Cod. Paris. *figurant* Cod. Lips.' *Idem.*—486 Scal. et vulg. *nonæ.* 'Immo *nona* consentit *septimæ.* Lege ergo et distingue, *Nec p. o. est c. septima: nona Consentit.*' Bent.—488 'Sic omnino Regiom. quoque legit. Codd. Paris. et

NOTÆ

480 *Octavoque manet numero*] Sup. vicesima: i. e. XXVIII. grad. Qui enim gradus vicesimus est cum octavo numero, is est XXVIII.

Nonumque capessit] Sup. vicesima: i. e. XXIX. grad. Quæ enim pars vicesima tenet adhuc nonum numerum, ea pars est vicesima nona.

481 *Si te fata sinant, &c.*] His 5. vss. docet in sagittario gradus esse noxios istos, IV. VIII. XII. XVI. XX. XXIV. XXVI. XXVIII. XXX.

482 *Centauri*] Sagittarii, I. 270.

Bis sexque peractis] I. e. in duodecimo gradu.

483 *Octo bis*] I. e. in sextodecimo gradu.

Aut denis] Sup. bis: i. e. in vicesimo gradu.

484 *Iterum duodena*] I. e. XXIV. grad.

Aut terna decemque] Sup. iterum: i. e. XXVI. grad. Bis enim 10. et bis 3. sunt 26.

486 *Nec pars optanda est, &c.*] His 4. vss. recenset qui gradus in capricorno sint noxii; notatque istos, VII. IX. XIII. XVII. XIX. XXV. XXVI.

487 *Decimamque sequens, quam tertia signat*] I. e. XIII. grad.

Quæve auget quinta, numero vel sexta feretur.
Pars est prima nocens humentis semper aquarî:
Damnanda et decimæ succedens prima peractæ,
Tertiaque et quinta, et numero quæ condita nono est:
Et post viginti prima, et vicesima quinta;
Cumque illa quartam accumulans vicesima nona.
Tertia per geminos et quinta et septima pisces,
Undecima, et decimæ metuenda est septima juncta,
Et quinta in quinos numeros revocata, duasque

tribus, vel uno: vel qui te augeat quinque gradibus: vel quæ erit sexta loco post viginti. * * * *Gradus qui primus sequitur decimum absolutum est noxius, et qui tertius succedit decimo, et qui quintus succedit decimo, et qui nono loco positus succedit decimo: et primus post vicesimum: et vicesimus quintus: et vicesimus nonus, qui cum illo vicesimo quinto superaddit quatuor gradus. Tertius gradus piscium, et quintus, et septimus, undecimus, et septimus additus decimo est timendus: atque etiam ille, qui quinquies in quinque ducitur; et qui insuper capit adhuc duos nume-*

Lips. *aut unam quæ, &c.*' Stoeb.—489 ' Sic Gemblacensis: at Venetus *sexta refertur*. Lipsiensis vero et Vossianus, *vel septima fertur*. Quis in his nugis veram lectionem scire vel curet vel possit?' *Bent.* ' *Quinta*] Sic Cod. Lips. *quinto* Paris. et Regiom. Mox, libri omnes, *vel septima fertur*.' Stoeb.—490 ' In scriptis editisque deerat versus aquarii nomen notans, et relicta erat cum asteriscis lacuna. Nos forte fortuna in illum incidimus, et reduximus in sedem antiquam. Deerraverat post versum libri secundi 232. sed prodigiose depravatus in omnibus scriptis, *Parsque marina nitens fundentis s. a.* Repone, *Pars est prima nocens humentis s. a. Humentis*, ut v. 444. ' Sed regione means Cepheus humentis aquarî.' Aptissime vero hic *humentis*; ut sciamus hujus partes damnandas non siccitate, sed humore peccare. Vide versus 413. et 500.' *Bent.* ' Magis opportune hoc loci versus iste legitur, quam supra II, 232. Regiom. uti jam ibi observavimus, lacuna defectum versus notat. In Cod. Paris. nullum prorsus indicium defectus.' *Stoeb.*—491 Scal. Delph. et vulg. *Damnanda est*. ' Reperto vs. superiore, apparet jam legendum esse *Damnanda et decimæ*.' Bent.—492 ' Codd. Paris. et Lips. *est num*. Regiom. utrumque delet. Terni iidem consensu legunt *non est*.' Stoeb.—494 ' Cod. Lips. *accumulant*. Cod. Paris. et Regiom. *accumulat*.' Idem.—

NOTÆ

491 *Damnanda et, &c.*] His 4. vss. docet in aquario gradus esse noxios, XI. XIII. XV. XIX. XXI. XXV. XXIX. Porro ante hunc versum desideratur unus aut alter versus, qui primas aliquas aquarii noxias partes notet, ipsumque designet aquarium, cujus ceteras partes noxias recenset his 4. vss. Stellulas apposuimus in ejus loco.

492 *Tertiaque*] Suppl. succedens decimæ: i. e. XIII. grad.

Et quinta] Suppl. succedens decimæ: i. e. XV.

Numero quæ condita nono est] Suppl. succedens decimæ: i. e. XIX. grad.

495 *Tertia per geminos, &c.*] His 4. vss. enumerat denique quos gradus noxios habeant pisces, scilicet istos, III. V. VII. XI. XVII. XXV. XXVII.

497 *Et quinta in quinos, &c.*] I. e.

Accipiens ultra summas, metuenda feretur.
Hæ partes sterilem ducunt et frigore et igni
Aëra, vel sicco, vel quod superaverit humor
Seu rapidos Mavors ignes jaculatur in illum,
Saturnusve suam glaciem, Phœbusve vapores.
  Nec te perceptis signorum cura relinquat
Partibus: in tempus quædam mutantur, et ortu

ros erit quoque timendus. Hi gradus reddunt cœlum infæcundum vel glacie, vel igne, vel eo quod siccitas vel aqua vicerit. * * * *Neque oportet ut labor deserat te, postquam observaveris gradus omnes signorum; sunt enim quædam signa, quæ variantur in certum tempus, et quæ in prima sua ascensione ducunt peculiares*

496 Scal. Delph. et vulg. *metuenda et.* 'Libri omnes *est.*' Bent.—500 Vulg. et sic Paris. et Regiom. *vel siccum.* et sic Delph. Vid. Not. inf. 'Gemb. recte, *vel sicco*, i. e. siccitate: sterilem siccitate] vel humore.' *Scal.*—501. 502 Scal. Delph. et vulg. *Si rapidus Mavors* i. j. i. i. *Saturnus sumet glaciem Phœbusque calores.* 'τὸ *sumet*,' inquit Scal. 'suspectum. Quin et hi duo de planetis versiculi, ut ingenue loquar, non sunt Manilii.' '*Sumet* quidem jure suspectum; sententiam enim ita conturbat, ut tota sine sensu sit. Intercedo tamen, quo minus pro spuriis e textu abjiciantur, quod a Fayo factum est. Libri veteres *Phœbusve*, et Voss. *labores*. Repono: *Seu rapidos M.* i. j. i. i. *Saturnusve suam g. Phœbusve vapores.* Dico hos Auctoris esse, et illos liberali causa manu assero. Aër, inquit, in his partibus damnandis vel igni vel frigore vel sicco vel humore peccat: seu in illum aëra Mars jaculetur suos ignes, seu Saturnus suam glaciem, seu Phœbus suos vapores, qui et humidi et sicci sunt. Quippe vocabulum *vapor*, cum humorem significat, tum sæpius apud veteres calorem et siccitatem. Exemplis nihil opus est. Ergo ignis harum partium a Marte venit, frigus a Saturno, siccitas et humor a Sole.' *Bent.* 'Cod. Paris. consentiente Lips. *Si rapidus Mav.* Regiom. *Sed rapidus M.* Cod. Paris. accedente Lips. et Regiom. *Saturnus sumet glac.* Quod sequitur, *Ph. que vapores.* Cod. Lips. *Ph. ve colores.* Cod. Paris. et Regiom. *Ph. que*

NOTÆ

XXV. grad. Quinquies enim 5. dant 25.

498 *Ultra*] Sup. viginti quinque: i. e. XXVII. grad.

499 *Hæ partes, &c.*] His 2. vss. concludit hos esse gradus per singula signa noxios: quippe qui vel frigore, vel igne, vel siccitate, vel humore suo male afficiant cœlum et aëra. Sic supra vs. 412. et seqq. Interim observabis me post hos duos versus apposuisse stellulas, loco duorum versuum, quos aut Manilianos non suspexeris, aut ad rem, qua de agitur, nihil facientes. Æquus sedeas judex. Hi sunt: *Si rapidus Mavors ignes jaculatur in illum, Saturnus sumet glaciem, Phœbusque calores.*

500 *Sicco* [*siccum*] Gemb. bene. Suppl. quod: i. e. vel quod siccum, vel quod humor superaverit. Scalig. *sicco*, in ablativo; minus bene.

503 *Nec te perceptis, &c.*] His 3. vss. monet non satis esse noxias in signis partes observasse: sed operæ pretium quoque esse varios signorum ortus annotare. Alia enim primo suo exortu alias dotes referunt. Quæ omnia sigillatim observanda sunt in signis singulis.

Accipiunt proprias vires, ultraque remittunt.
Namque ubi se summis aries extollit ab undis,
Et cervice prior flexa, quam cornibus ibit;
Non contenta suo generabit pectora censu,
Et dabit in prædas animos, solvetque pudorem.
Tantum audere juvat. Sic ipse in cornua fertur,

virtutes, et deponunt eas extra illam. Etenim cum aries v. g. assurgit ab imis aquis, et cum prius vadet a collo curvato, quam a cornibus, progignet tunc corda, quæ non solis suis dotibus gaudere satis habebunt; sed creabit mentes in rapinas, et tollet omnem verecundiam timidam. Placet audere tantas res. Ita ipse aries

---

calores.' Stoeb.—505 Vulg. *ultroque.* 'Et sic Paris. et Regiom. ut II. 859. 'accipiunt vires ultroque remittunt.'' *Stoeb.* 'Gemb. et textus Bonincontrii recte, *ultraque.*' Scal.—507 Vulg. *Ex c. prior flexis quoque.* 'Interpolata sunt. Legendum ex Gemblacensi, *Et c. prior flexa, quam c. i.* Arietis σχεδιογραφία sua terga respicientis. Alibi: 'Et sua respiciens aurato vellere terga.' Ergo flexa cervix prior oritur, quam cornua.' *Scal.* Et sic Delph. Vid. Not. inf. 'Cod. Paris. *prius*, et in margine, 'alii *prior*.' pro *flexa, quam* Cod. Paris. *flexaque a cornibus.* Regiom. *flexis quoque corn. ib.*' Stoeb.—510 Vulg. *Tantum audire j.* 'Gemblac. *Tanta.* Legendum vero *audere*: est ἐπιφώνημα. Bonin-

NOTÆ

505 *Ultraque*] Sup. ortum suum.

506 *Namque ubi se summis aries, &c.*] His 13. vss. notat quas dotes proprias in proximo suo exortu dat aries. Scilicet supra vs. 124. et seqq. docuit quos mores quæve studia reddit aries per se et ex natura sua: hic autem docet quos præterea in mores, quæve in studia ducat idem, cum primum ascendere in cœlum, et exoriri terris incipit. Quia vero exoritur aries prior cervice flexa, quam cornibus, ideo dabit etiam animos in prædas; primumque solvet pudorem, qui nos retinere solet, ne quid insolitum audeamus. Sic enim vult ipse ferturque in cornua. Dabit et studium peregrinandi, novumque mare scrutandi. Sic enim olim aurato vellere vexit per Hellespontum in Colchida Phryxum, lib. II. 34. Igitur in primo suo exortu aries dat audaces, impudentes, inconstantes, prædandi, peregrinandi, navigandique cupidos: dat et otiosos inter placidas curas.

Summis ab undis] Veteres enim solem et sidera e mari emergere fabulati sunt, dum terris oriuntur.

507 *Cervice prior flexa, quam, &c.*] Aries inter sidera caput obvertit ad taurum, sicque prior cervice flexa exoritur, quam cornibus, II. 245. Quod videre est in fig. pag. 82. Quod et Manilius satis notat I. 263. et II. vs. 212. Male ergo vulg. *Et cervice prior, flexis quoque cornibus ibit.* Porro aries, leo, virgo, libra, scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius, et pisces, oriuntur ab anterioribus partibus: taurus vero, gemini, et cancer, a posterioribus, lib. II. 198. 199. 200.

508 *Suo . . . censu*] I. e. dotibus illis, quas per se dat, vs. 124. not. *census* autem, i. e. opes, bona, divitiæ, I. 12.

Ut ruat aut vincat. Non illos sedibus ïsdem
Mollia per placidam delectant otia vitam;
Sed juvat ignotas semper transire per urbes,
Scrutarique novum pelagus, totius et esse
Orbis in hospitio. Testis sibi laniger ipse,
Cum vitreum findens tranavit pectore pontum;

ferit cornibus, et impetu fertur, et variat, nec manet idem in ullis locis. Desidia quidem iners placet inter tranquillas solicitudines: sed placet peregrinari perpetuo per diversas civitates incognitas, et tentare novum mare, et versari in hospitio totius orbis terrarum. Aries ipse tibi dat exemplum, quando scindens Hellespontum

contrii textus *Tantum haurire*. Quod ipse innovavit.' *Scal.* 'Vetusti quidem tres, *Tanta:* sed Voss. cum recentioribus, *Tantum*. Omnino recte: *Tantum juvat τὸ audere:* non vapide *juvat audere tanta.*' Bent. 'Hoc *audire* ceteri omnes habent.' *Stoeb.*—511. 512 Scal. Delph. et vulg. *Et ruit et mutat non ullis sedibus idem. M. p. placidas deludunt otia curas.* 'Gemb. cum Lips. et Venet. *Ut ruat et vincat:* Voss. *ut vincat.* Repone, *Ut ruat aut vincat.* Ut aut vincatur, aut vincat: nihil est medium. Tot verbis misere corruptis accessit prava distinctio. Aries, aiunt, mutat non illis sedibus idem. Qualis ergo est, si non *idem:* an pro ariete hircus fit? *Deludunt otia:* quid hoc? est ἀφομιλήσασθαι Græcorum. Ergo *deludere otia*, est cœtus hominum fugere. Atqui nec verba hunc sensum efficiunt, nec sensus cum versibus sequentibus consentit. Pro *idem* Vossianus *isdem:* mox Venetus *placidam*. Pro *deludunt*, Gemblacensis *deludant;* Vossianus *delectant*, et pro varia lectione Lipsiensis. Denique Gemblacensis, Venetus, et Lipsiensis, *curam*. Repone et distingue, *Ut ruat aut vincat. Non illos s. ïsdem M. p. placidam delectant o. vitam: Sed juvat ignotas, &c.* Sententia clara. Non juvat in iisdem sedibus placidam vitam degere, sed semper peregrinari et solum mutare. *Vita* et *cura* ob totidem utrimque ductus non raro in scriptis permutantur. Lucretius v. 1121. et alibi: 'Ut fundamento stabili fortuna maneret, Et placidam possent opulenti degere vitam.'' *Bent.* 'Cod. Paris. et Regiom. *Et ruit et mutat.* Cod. Lips. *Et ruat* (supern. *ruit*) *et vincat.* Cod. Paris. et Regiom. versum sic legunt, *M. p. placidas delectant o. curas.*' Stoeb.—513 'Sic ex Cod. Gemblac. Scaliger. Tutius erit sequi Cod. Paris. et Regiom. qui legunt, *S. j. ignotum s. t. per orbem.*' Idem.—515 Scal. Delph. et vulg. *tibi.* 'Placet Gemb. *sibi.*' Bent. 'Cod. Paris. et Regiom. connivente Ms. Lips. Scaligero patrocinantur, qui vulgavit *tibi.*' Stoeb.—516 *C. v. f. aurato vellere p.* 'Gemb. vitiose *auravit*. Tanquam luce aurei velleris etiam ipsum mare afficeret. Sed vulgata lectio ut melior, ita longe elegantior.' *Scal.* 'Alteruter ex his sine dubio mendosus est: *Que* enim post *orbatum* redundat. Unde est, quod vetusti quattuor habent, *auravit vellere*. Quasi effluviis sui velleris totum mare inauraverit. Sane *auro, auras* Prisciano memoratur, et onomastico veteri. Sed et verbum obsoletum, et hyperbola nimis audax. Neque quicquam ad sententiam præsentem confert, auratum necne fuerit vellus; cum de peregrinatione tantum, non divitiis agatur. Repone, *tranavit pectore p. Cum tranavit vitreum pontum, findens pectore.* Noster iv. 80. 'Et pontum tra-

NOTÆ

516 *Cum vitreum findens, &c.*] Hanc fabulam retulimus i. 263. not.

Pontum] Hellespontum, i. 263. not.

Orbatumque sua Phrixum per fata sorore
Phasidos ad ripas et Colchida tergore vexit.
At quos prima creant nascentis sidera tauri,
Fœminei incedunt. Nec longe causa petenda est,
Si modo per causas naturam quærere fas est.
Aversus venit in cœlum, divesque puellis,

crystallinum portavit ad littora Phasidis, et in Colchida supra dorsum suum, et supra lanam suam auream, Phryxum, qui amisit sororem suam in medio mari. Sed oportet ut ii, quos prima pars signi tauri exorientis generant, sint effœminati. Neque ratio altius repetenda est, (si tamen licitum est investigare naturam per suas causas.) Etenim ascendit in cœlum a posterioribus partibus, et locuples est virgi-

---

nare potest:' et v. 43. 'totumque volet tranare profundum.' *Findens pectore;* id enim faciunt natantes. Virgilius Æn. IX. 102. 'qualis Nereia Doto Et Galatea secant spumantem pectore pontum.' Boni vero librarii nec arietem sine vellere, nec vellus sine auro memorari volebant.' *Bent.*—518 Vulg. *regna revexit.* 'Innovatum ex alia vitiosa scriptura, *et Colchida tergo revexit.* Facili errore: nam scripsit Poëta, *tergore vexit.* Semper hic poëta dicit *tergus* pro *tergo;* quod tamen negarent grammatici, qui *tergum, νῶτον, tergus τὸ νώτειον δέρμα* interpretantur. Sane vero est *tergus* et *terginum* pro *corio* usurpari, ut Lucilio: 'dum salvo tergo et tergino licet.' Sed et *tergus* pro *tergo* vetus Sotadeus versiculus dixit: 'Galli timidi semineces tergora vertunt.'' *Scal.*—520 Scal. Delph. et vulg. *jaceant.* 'Mendosa et absurda lectio. Gemblacensis sic, *Feminea iace . . . nec:* Lipsiensis, *Feminea iaceat nec:* Venetus, *iacet nec:* Vossianus, *Feminea inceat.* Repono, *Feminei incedunt. Inceat, incedt;* sic compendio scribere solent. *Incedunt* autem idem est quod *sunt:* sic Virgilius Æn. I. 50. 'Ast ego quæ Divum incedo regina:' et Æn. V. 68. 'Aut jaculo incedit melior levibusve sagittis.' Sed et proprie dictum *incedunt* de his cinædis; ut v. 152. 'Femineæ vestes; nec poscunt tegmina plantis, Sed speciem: fractique placent in mollia gressus: Naturæ pu-

NOTÆ

517 *Sua . . . . sorore*] Helle scilicet, I. 263. not.

518 *Phasidos*] Phasis, -idos, fluvius est Colchorum, de quo Lucan. III. 'Colchorum qui rura facit ditissima Phasis.'

Colchida] Colchis, -idos, regio est Asiæ juxta Pontum, Medeæ patria, Æetæ regis olim regnum; clauditur Corace monte ad septemtrionem; Iberia ad ortum; Phaside fluvio ad meridiem; Euxino ponto ad occasum.

519 *At quos prima creant, &c.*] His 7. vss. docet taurum in primo suo exortu dare cinœdos, effœminatos, et agricolas, præter ceteras dotes quas per se dat, vs. 140. et seqq. not.

522 *Aversus venit in cœlum*] I. e. exoritur a posterioribus partibus, quod videre est in fig. pag. 82. quod et notat Poëta, I. 264. et præsertim II. 198.

Divesque puellis] Nimirum taurus in armo suo refert pleiades, in vultu vero hyades, ut bene notatum est I. 371. quod et videre est in eadem fig. pag. 82. in qua pleiadum sidus glomerabile notavimus in armo tauri, litera P. hyades vero in vultu et ore, litera H. Quas pleiades et hyades virgines fuisse fabulantur. Ibidem.

Pleiadum parvo referens glomeramine sidus.
Accedunt et ruris opes; propriaque juvencum
Dote per inversos exercent vomere campos.
Sed geminos æqua cum profert unda tegitque

nibus, portans constellationem Pleiadum conglobatam in exiguo spatio. Fruges etiam agrorum addentur; et ornat bovem peculiari munere inter agros eversos aratro. At quando aqua maris ostendit et occultat ex æquali parte duos geminos, tri-

det.'' *Bent.*—523 Scal. Delph. et vulg. *glomerabile.* 'Deest τῷ *parvo* suum substantivum. Scribe cum acutissimo Fred. Gronovio, *glomeramine.* Vide ad I. 221.' *Bent.* 'Vetus et constans omnium librorum lectio est *glomerabile.* Est autem *glomerabile* id quod glomeratum: sicut *pars habitabilis* dicitur pro habitato, I. 238. Videsis etiam not. ad I. 221. *parvo,* supple, spatio.' *Stoeb.*—524 Scal. Delph. et vulg. *Accedent.* 'Melius Gemb. *Accedunt.*' Bent.—525 Scal. Delph. et vulg. *exornat.* 'Quid, malum! vel quis *exornat* juvencum? saltem oportebat *exornant.* Sed lectio mendosa est. Repone, *exercent. Exercent,* qui sub hujus sideris ortu nascuntur, *juvencum propria dote, per campos vomere inversos. Exercent,* ut Virgilius Georg. I. 210. 'Exercete, viri, tauros: serite hordea campis.'' *Bent.* 'Libri omnes *exornat,* scil. juvencum, non *campos,* quos dicit *vomere inversos.* Flaccus simpliciter 'campos eversos' Argon. VII. 75.' *Stoeb.*—526 Vulg. *Sed geminos æqua profert cum vincula cogit Parte.* 'Quam multa delirare cogimur, ubi sine ope manuscriptorum profligatos locos, cujusmodi iste est, emaculare volumus. Gemblacensis diversam lectionem ostendit ab ea, quam olim proferebamus. Habet enim, *quum vincla tegitque Parte:* quæ proxime absunt a vero. Lege ergo, *Sed geminos æqua quum profert unda tegitque Parte.* In hoc scriptore, ut in aliis codicibus, non raro literæ *cl* coaluerunt, et contra litera *d* divulsa; quare *unda, vincla* invicem commutantur apud hunc, et item *sedis, seclis.* Hoc in omnibus manuscriptis accidere sciunt, qui in illorum lectione accurate versantur.' *Scal.* 'Cod. Paris. *æqua profert cum undat egitque.* Sic alia manus unum forte vitium corrigens, peperit alterum. Legendum omnino *unda tegitque.* Regiom. alio plane sensu, *Sed geminus æqua profert cum vincula legis.* Sed legum peritiam sub libra natis tribuit supra vs. 219. Quapropter malim sequi lectionem a Bentleio vulgatam, quam Cod. Paris. ex nostra emendatione, præ reliquis tuetur: *æqua cum profert unda tegitque Parte,* id est, cum æqualiter uterque geminorum oriri incipit, *unda profert et tegit,* q. d. cum prima pars geminorum oritur ab oceano, et reliqua eorum corpora teguntur. Scilicet utriusque pedes primi oriuntur æquali partu, i. e. æqua-

NOTÆ

526 *Sed geminos æqua, &c.*] His 5. vss. docet geminos in primo suo exortu dare literatos, studiosos, facetos, cantores, fidicines, acres et acutos. Hinc vix alias artes, non alios mores aut alia studia dat in primo suo exortu, quam per se et ex natura sua tribuit, vs. 152. et seqq. not.

Æqua cum profert, &c.] Cum æqualiter ambo gemini oriri incipiant. Itaque cum unda profert et tegit, i. e. cum prima pars geminorum oritur ab oceano, et reliqua eorum corpora teguntur. Scilicet amborum geminorum pedes primi oriuntur æquali partu, i. e. æqualiter: non autem capita, ut male notat hic Scaliger. Sic enim Poëta II. 199. 'et geminos pedibus, testudine cancrum Surgere,' &c.

Unda] Ita castigandum. Male enim alii, *vitta.* Pessime J. Bitur. *vincula*

Parte, dabit studia, et doctas producet ad artes.
Nec triste ingenium, sed dulci tincta lepore
Corda creat: vocisque bonis citharæque sonantis
Instruit, et dotem cantus cum pectine jungit.
At niger obscura cancer cum nube feretur,

buet amorem literarum, et generabit homines ad doctas disciplinas. Nec generat mæstam mentem, sed dat pectora imbuta suavi venustate; et ornat natos tunc temporis dotibus vocis et lyræ sonoræ, et maritat voces cum læta mente. Sed quando cancer subobscurus ascendet a parte suæ opacæ nebulæ, quæ languescit quasi stella

liter; non autem ambo capita. Cf. Nostr. II. 199.' *Stoeb.*—529 Vulg. *et voce bonos citharaque sonanti.* Interpolatitia sunt. Correxit Scal. ex Gemb. 'Cod. Paris. et Regiom. *et voce bonos citharaque sonanti Instruit, &c.* Plane sic Ovidius Metam. XI. 316. 'Nascitur e Phœbo (namque est enixa gemellos) Carmine vocali clarus citharaque Philammon.'' *Stoeb.*—530 Scal. et vulg. *et dotes alto cum pectore jungit.* Delph. *Voces læto.* 'Vulg. bene. Notat enim facetos et urbanos.' 'Non sanus est locus. Gemb. lectio etiam exulcerata est, *et dotes saltus.* Fortasse, *et dotes salium cum pectore jungit*: urbanos, et salibus abundantes: ut supra, 'tincta lepore corda.' In vulg. fortasse latet veritas, *et voces læto cum pectore jungit.* Quod putamus verum esse.' *Scal.* 'Quomodo *alto pectore?* hoc reliquis dotibus repugnat. Vidit hoc Scal. et locum non sanum esse pronuntiat. Gemb. Venet. Lipsiensis, *dotes saltus.* Unde Scaliger, *et dotes salium cum pectore jungit. Salium*, jocorum, facetiarum. Sed quid erit *pectore* nude positum? Idem aliter tentat; *et dotes læto cum pectore jungit.* Sed hoc et a vetustis nimium aberrat, et prioribus nihil novi addit. Repono, *vocisque bonis citharæque sonantis Instruit, et dotem cantus cum pectine jungit. Bonis vocis et citharæ*; ut Ovid. Met. X. 563. 'Laude pedum, formæne bono præstantior esset:' et Art. Am. II. 112. 'Ingenii dotes corporis adde bonis.' Variat sententiam, ut ubique in his solet; et bis eandem rem cum incremento dicit; quale illud Virgilii Æn. VI. 165. 'Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.' *Voci* hic respondet *cantus, citharæ pecten. Jungit*; nam et voce et cithara simul canere solebant. *Dotem cantus*, ut Ovid. de Sirenibus, Met. V. 562. 'Ne tamen ille canor mulcendas

NOTÆ

cohi, pro *unda tegitque.* Et vulg. *vincula cogit.* Quis enim sensus?

531 *At niger obscura cancer, &c.*] His 5. vss. docet cancrum in primo suo exortu generare cæcos, atque ita natis sub se dare duplicem mortem; alteram, quæ cum ceteris mortalibus est ipsis communis; alteram, qua vitæ usu præcipuo privantur, dum oculorum lumine orbantur. Cujus rei aliquam reddit rationem, II. 259. scilicet quia, 'Lumina cancro desunt.'

Obscura cum nube feretur, &c.] I. e. cum a testudine exorietur, quæ, quia stellis clarioribus non micat, nubes obscura dicitur, quæ Phœbeis ignibus orba est, et totum cancri sidus quasi caligine fuscat. Scilicet cancri sidus constat quidem stellis 32. quorum tamen nulla est primæ ac secundæ magnitudinis; tertiæ mag. sunt tantum duæ, quarum altera in articulo forcipis sinistri anterioris; altera in minori forcipe sinistro posteriore est; quartæ magn. sunt qua-

Quæ velut extinctus Phœbeis ignibus ignis
Deficit, et multa fuscat caligine sidus;
Lumina deficient partus, geminamque creatis

quæ privaretur solaribus flammis, et quæ obscurat signum illud cancri magnis tenebris, oculi deerunt tunc temporis nascentibus, et fata dabunt duplicem mortem iis,

natus ad aures, Tantaque dos oris linguæ deperderet usum.' Silius XI. 435. 'Imprimis dulcem, Pœno lætante, per aures Nunc voce infundit Teuthras, nunc pectine cantum.' Val. Flac. V. 100. 'mixtoque sonantem Percutit ore lyram.'' *Bent.* 'Cod. Paris. ac Regiom. *et dotes alto cum pectore jung.* Poteris *altum pectus* de affectu amoris accipere, quicum illas musicæ dotes jungit. Amor enim docet musicam. Tale pectus Maro tribuit illi Tityo, qui amavit Latonam, ideoque Apollinis sagittis confixus est, Æn. VI. 599. 'Habitatque sub alto Pectore,' &c. Aliter Statius I. Silv. 4. 48. 'sic itur in alta Pectora, sic mixto reverentia fidit amori.' Ubi *alta pectora* sunt profunda, humilia. De pectine, musicæ instrumento, vide pluribus Barth. ad Stat. Theb. V. 341. p. m. 177. fin. Pro *alto* Cod. Lips. *saltus*, retento tamen *pectore*. Quod ineptum et absurdum, nisi legas cum Heringa, *Et dotes saltus cum pectine jungit.* Per *dotes saltus* intelligit V. C. artem saltandi, uti per *vocis dotes*, artem cantandi. Illamque putat recte cantui citharæque a Manilio addi, cum saltatio *εὔρυθμος* æque ac altera ad musicos pertineat.' *Stoeb.*—532 Vulg. *Q. v. extinctis.* 'Qui hæc sine codice emaculare voluerit, cæcior erit, quam ii, quos hæc nubes producere dicitur. Gemblacensis: *Q. v. exutus Ph. i. i. Ignis exutus Phœbeis ignibus* est luna deficiens privata solis lumine, quo illustratur. Idem ad verbum de eadem re Aratus: Οἷον ἀμαλδαὐονται, ὅτε σκιάῃσι κατ' ἰθὺ Ἱσταμένη γαίης τε καὶ ἠελίοιο σελήνη; quæ haud dubium in animo habebat Manilius.' *Scal.* 'Sic tres vetusti; et Vossianus *exsutus*. Repone, *extinctus*. Fugit autem Scal. ratio, cum *exutus* adscivit, et sic explicavit: '*Ignis exutus Phœbeis ignibus*, est luna deficiens,' inquit, 'privata solis lumine quo illustratur.' Hoc enim sine exemplo, ut *ignis* absolute positum lunam notet; tum præsertim cum deficit, neque ignem aut lucem in se habet. *Ignem* hic de foco accipe; qui solis radiis verberatus ita deficit, ut statim lumine privetur. Hoc quotidie experimur omnes. Ovid. Art. Am. II. 440. 'Ut levis absumptis paulatim viribus ignis Ipse latet, summo canet in igne cinis. Sed tamen extinctas admoto sulfure flammas Invenit, et lumen quod fuit ante redit.' Extinctus dicitur ignis, cum lucere desiit; etsi sub cinere adhuc vivat.' *Bent.* 'Recte habet *Quæ velut*, scil. nubes, quacum testudo comparatur, ex qua cancer oritur. (vid. II. 199.) Quæ quia stellis clarioribus non micat, *nubes obscura* dicitur, quæ Phœbeis ignibus orba est, et totum cancri sidus quasi caligine fuscat.' *Stoeb.*—533 '*Deficit*] Recte, non *defuit*, ut in Gemblacens. Quæ nubes, inquit, deficit, velut deficere solet ignis exutus ignibus solis, luna privata fraterno lumine.' *Scal.*—534 Vulg. *artus.* 'Lego *ortus*, hoc est, partus; vel *ortos*, quod melius. In cancri nebula orti cæci

NOTÆ

tuor; quintæ, sex; sextæ, viginti. At in ipsa testudine, qua terris exoritur primum, nulla est, nisi una quintæ aut sextæ magnitudinis. Hinc testudo cancri, seu camera, quæ a parte posteriori clauditur, et qua parte posteriori tota clauditur, et qua parte eadem nullis micat stellis clarioribus, a Manilio vocatur 'nubes obscura, Quæ velut exutus Phœbeis ignibus ignis Deficit,' &c. Quod autem a testudine exoriatur, jam docuit II. 199.

534 *Lumina deficient, &c.*] Cancer

Mortem fata dabunt: se quisque, et vivit, et effert.
  Sed cui per summas avidus produxerit undas
Ora leo, et scandat malis hiscentibus orbem,
Ille patri natisque reus, quas ceperit ipse,
Non legabit opes, censumque immerget in ipso:
Tanta fames animumque cibi tam dira cupido

qui tunc nascentur. Etenim qui tunc natus est et vivit, et celebrat funus suum. Si leo vorax protulerit rictus suos supra superiores aquas oceani dum quis nascitur, et ascendat in terras ore hiante; is, inquam, qui tunc nascetur, ingratus erit et parenti suo et liberis suis, nec relinquet divitias, quas ipse perceperit, et absorbebit totum suum patrimonium. Adeo magna fames, et tam sæva aviditas epularum tenet

erunt. Veteres etiam astrologi in genitura Œdipodis prodiderunt, eo nascente horoscopum et lunam in cancri *νεφέλιον* incidisse. Nam *τὰ νεφελοειδῆ* in signis sunt *ὑπαίτια*, hoc est, *σινώδη, καὶ τοῦ σώματος πηρωτικά.* Græci: *τοῖς νεφελοειδέσι συνάπτουσα σελήνη ὀφθαλμὸν πηροῖ.*' *Scal.* 'Gemb. *artus*, ceteri tres *arctus*. Lege *partus*, ut passim.' *Bent.*—535 Scal. Delph. et vulg. *et vivit*. 'Libri omnes *et vivit*. Sententia quidem constat, cæcum hominem esse vivum funus, sibi superstitem. Œdipus apud Senecam, Œd. 950. se excæcaturus, 'quæratur via, Qua nec sepultis mixtus, et vivis tamen Exemptus erres.'' *Bent.* 'Hoc *effert* sensu solemni de sepultura intelligendum: Cæcus et vivit et effert se funus quotidie. Mortuus enim vivens est. Propterea ait, *cæcis* genitis *geminam mortem dari*. Nam et vita quam vivunt mors est, quia sine luce: et mors altera, omnibus communis, eos quoque manet. *malis hiscentibus*] dictum pro ore leonis hiante.' *Stoeb.*—536 Vulg. *Si quis*. 'Lego, *Si quoi*. Gemb. *Si qui*, quæ sunt vestigia veri.' *Scal.* 'Immo *Sed cui*: ut 519. 'at quos;' et 526. 'sed geminos.'' *Bent.*—537 Scal. Delph. et vulg. *scandet*. 'Libri omnes *scandat*, ut 'produxerit.' *Scandet* in Scal. editionem incuria irrepsit.' *Bent.*—539 '*Censuque immergit in ipso*] Lege, *censumque immerget in ipso*, ut etiam habet Gemblac. *In ipso*, in se ipso. Manilianum.' *Scal.*—540 '*Tanta fames animumque sibi*] Lege, *animumque cibi*.' Idem. '*Tanta fames et tam dira cupido cibi:* hoc est, fames famesque. *Corripit*, loco *τοῦ corripiet*, ut ante 'legabit,' 'immerget.' *Animumque:* illud *que* loco alieno est; nec exemplo ullo excusari potest. Quid vero est *capiet semet?* Ex-

NOTÆ

enim cæcos creat. Igitur *artus*, i. e. natos. Rom. *artus*, i. e. corporis membra. Idem sensus.

Geminam mortem, &c.] Ut explicavi vs. 531. not.

535 *Se quisque, et vivit, et effert*] Verbum *effero* dicitur de funere; est enim *efferri*, celebrari funus, dum cadaver sepelitur, quasi extra urbem ferri. Solebant enim veteres extra urbem sepeliri, nisi qui magistratus gessissent: viri tamen honestiores sepeliebantur circa vias. Liv. Itaque *se efferre*, vel *efferri*, i. e. mori. Cæci autem quia lumine orbati, luceque privati, vivunt quasi mortui jam essent.

536 *Sed cui per summas, &c.*] His 7. vss. ait Poëta leonem in primo suo exortu creare helluones, prodigos, gulosos. Oritur autem leo ab ore, vs. 507. not.

539 *Censumque immerget in ipso*] I. e. patrimonium omne suum deglutiet et absorbebit. *Censum* enim, i. e.

Corripit, ut capiat semet, neque compleat unquam,
Inque epulas funus rediget pretiumque sepulcri.

ejus mentem, ut absorbeat seipsum, neque tamen unquam satiet se; et ut reducat pompam suam funebrem, et pretium suæ sepulturæ in cibos. Cum virgo, quæ gu-

plicet hoc qui audebit. Nimirum hi versus irreptitii sunt, et inficeti. Aliud voluit Auctor; non ut fame canina et bulimia suas opes abligurriat, sed luxuria et profunda gula.' *Bent.* 'Codices Mss. et impressi veteres *sibi.* Si alterum malis, dic quæso, quonam sensu vel tropo *fames* ventrem torquens ad animum referatur. Quid item discriminis inter *famem* et *cibi cupidinem?* Retinendum omnino *sibi*, et verborum ordo ita concinnandus: *Tanta fames sibi*, scil. est, *animumque tam dira cupido* scil. rerum *corripit, ut, &c. Sibi* dictum pro *ipsi*, non metri magis quam varietatis caussa, quod hæc, *ipse* et *in ipso*, proximis versibus præcedunt. Quam quidem alternandi veniam si tam es rigidus, ut optimo scriptori negare velis, in te latam esse putes sententiam Barthii Advers. XII. 18. Cf. Laur. Vallam de Recip. cap. 8. *Dira cupido*, Servio interprete ad Æneid. VI. 373. est, 'Deorum ex ira veniens, aut certe magna.'' *Stoeb.*—541 'Cod. Paris. *et capiat;* dictum videtur pro, et licet capiat. Ita prior sententia, *Tanta fames...corripit*, epicrisis erit præcedentis *censumque immerget in ipso.* Putamus autem legendum esse, *ut capiat semper, neque* (vel *nec* Cod. Lips.) *compleat unquam.* Duplex erit antithesis, eoque fortior atque elegantior, *capiat, nec compleat: semper* et *numquam.* Sed dederit sane Poëta *semet.* hoc tamen admodum inepte τῷ *capiat* jungi videtur: quin distinctione (,) transposita, quæ non Auctoris sed imperiti librarii est, versum ita constituendum existimamus: *tam d. c. Corripit, ut capiat* (,) *semet neque compleat unquam.* Sensus non minus facilis et apertus, quam acutus, si quidem τῷ *capiat* vel tacite addas *quantumvis*, vel, quod hoc *unquam* validius reposcit, *semper*, ac si dedisset Auctor: ut semper capiat, semet tamen non compleat unquam, sive animum spectes, sive corpus. His compara, quæ de Erisichthone cecinit Ovidius Metam. VIII. 838. sqq. 'Quo copia major . . . Est data, plura petit; turbaque voracior ipsa est. Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani Accipiunt, poscuntque simul. Cibus omnis in illo Caussa cibi est: semperque locus fit inanis edendo.'' *Stoeb.*—542 Scal. Delph. et vulg. *revocet.* 'Pro *revocet*, Gemb. *retitet;* ut et Lips. qui pro var. lect. *revocet:* Voss. *revocat.* Repono, *rediget. Rediget* in epulas pecuniam, quæ funeris et sepulcri impensis erat servanda. Vide nos, si vacat, ad Horat. Epod. II. 69.' *Bent.* 'Non admittendus hic Cod. Lips. qui tenet, *epulæ, fumus, reticet*, hem portenta lectionis! Nec Gemblac. qui, legente Bentleio, non item Scaligero, habet *retitet.* Cod. Vossianus legit *revocat*, pro quo rectius omnino Scaliger vulgavit *revocet*, quod Cod. quoque Paris. et impressi præstantiores tuentur universi. Latinitatem vocis, vel hac etiam in constructione, nemo erit fortasse qui in dubium revocabit. Conf. Nostr. II. 900. et alibi passim. Quin eam ad filum orationis ejusque dignitatem pertinere, illa, genuina nimirum Manilii verba, *ut capiat, neque compleat*, uno quasi ore loquuntur. Sensus eodem redit. Bentleium si audias, 'rediget ille

NOTÆ

patrimonium, reditum, II. 12.

541 *Ut capiat semet, &c.*] Alludit ad Erisichthonis gulam, qui, bonis omnibus consumtis, venditaque propria filia, ipsum se vivum devoravit membratim, adeo fame premebatur. Ovid. Metam. VIII.

542 *Inque funus, &c.*] Alludit pariter ad eos gulosos homines, qui vivi suas opes ita funditus deglutiunt, ut nihil sibi mortuis supersit ad pompam funeris.

Erigone surgens, quæ rexit sæcula prisca
Justitia, rursusque eadem labentia fugit,
Alta per imperium tribuit fastigia summum:
Rectoremque dabit legum jurisque sacrati,
Sancta pudicitia Divorum templa colentem.
Sed cum autumnales cœperunt surgere chelæ,
Felix æquato genitus sub pondere libræ,
Judex examen sistet vitæque necisque;

bernavit æquitate antiqua tempora, et quæ iterum deseruit ea, cum corrupta essent, incipit exoriri per summum caput, dat supremam potestatem in alios: dabit etiam conditorem legum et juris sacri, qui veneretur sacras ædes Deorum sua puritate. Sed quando libra autumnalis incipit oriri, natus sub justo examine libræ fortunatus erit, et sedebit arbiter ultimæ vitæ et mortis; et dabit grave jugum servitutis

---

gulo in epulas pecuniam, quæ funeris et sepulcri impensis erat servanda.' Pluribus ille videndus in suis ad Horat. notis Epod. II. 69. Cf. Scaliger ad loc. præs. At quonam jure illud *servare pecuniam in funus* ab homine postulatur, cui omnis in gula voluptas, et cui de funere tumuloque in mentem venire nunquam potest? Quocirca cum modo dixit Auctor, 'Non legabit opes,' &c. nonne jam significavit, heluonem suum ne assem quidem relicturum? Nonne otiosa foret ejusdem sententiæ, mutatis tantum verbis repetitio? Quapropter id potius dicere Poëtam voluisse putamus: Tam furit in illo epulandi ardor, ut eadem cum pecuniæ profusione epulas instruat, qua alii funeris pompam suis, sepulcrique ornamenta, procurant.' *Stoeb.*—547 'Hæc quo minus ablativo casu efferantur, metri ratio intercedit. Cod. Paris. Regiom. ceterique, *Sancta pudicitiam, &c.* quorum illud ad *templa*, hoc ad *colentem* omnino referendum. Dixit Auctor per metonymiam adjuncti pro subjecto: dabit juris sacrati pudicitiam colentem sancta Divorum templa, i. e. sacerdotes castos atque pudicos.' *Idem.*—550 Scal. Delph. et vulg. *extremæ*.

NOTÆ

543 *Erigone surgens, &c.*] His 5. vss. tradit virginem in primo suo exortu creare magistratus, legum interpretes, et sacerdotes. Oritur autem a capite virgo, vs. 507. not.

Quæ rexit sæcula prisca, &c.] Ad Hesiodi et Arati mentem; quorum ille Erigonen Jovis ex Themide; hic Astræi ex Aurora natam scripsit. Fabulati sunt autem poëtæ hanc aureo sæculo e cœlis in terram delapsam rexisse populos justitia; sed e terris in cœlos tandem sceleribus mortalium indignatam rediisse, I. 266. Ovid. Metam. I.

545 *Alta per . . . fastigia*] Sup. surgens. I. e. dum exoritur a capite. Ita enim in cœlis conditur virginis sidus, ut caput ejus prius attollatur, quam reliquum corpus.

547 *Pudicitia templa colentem*] Castum pudicumque sacerdotem.

548 *Sed cum autumnales . . . chelæ, &c.*] His 6. vss. docet sub primo libræ exortu creari judices, vitæ ac necis arbitros, imperatores, legislatores, &c. Adulatur autem Augusto Cæsari, quem natum diximus II. 509. IX. Kalendas Octob. In quod tempus cadit libræ initium.

Chelæ] Libra, I. 207. 609.

Imponetque jugum terris, legesque rogabit.
Illum urbes et regna trement, nutuque regentur
Unius, et cœli post terras jura manebunt.
Scorpios extremæ cum tollit lumina caudæ,

regionibus, et feret leges. Civitates et provinciæ metuent illum, et gubernabuntur ex ejus unius arbitrio, et munera cæli tribuentur ei post terras. Quando scor-

‘Quid, quæso, est *extremæ vitæ necisque?* Certe ‘extrema vita’ idem est quod nex. Quid autem *sistet* absolute? ‘Erit,’ inquiunt, ‘stabit.’ Immo repone, *J. examen s. v. q. n. q. Sistet*, ponet, *examen*, trutinam, vitæ et necis.’ *Bent.* ‘Pro hoc *examen* Codices nostri constanter *extremæ*, nec nisi Lips. in diversum abit, legendo *extranea*, quod nullius saporis. Editi Ald. et Rom. interpunctione sensum omni, si qua est, difficultate liberant: *Judex extremæ sistet* (,) *v. que n. que. Extremæ* scil. caussæ, quæ est vitæ ac necis. *sistet*, vox ad judicia proprie pertinens, hunc complecti sensum videtur: Judex erit, qui sistet suo judicio extremæ caussæ reos, et statuet de capite plectendis vel absolvendis. Scaliger ad h. l., et totidem verbis Taubmannus ad Plaut. Capt. IV. 2. 13. illud *sistet* absolute dici putant pro *erit*, cujus exemplum petunt e lib. III. 533. ‘Tempora quod sistunt,’ &c. et Curcul. II. 3. 8. ‘capite sistet in via de semita.’ At in priore loco meliores Codd. legunt *Tempora consistunt*, *&c.* Et, si vel maxime genuina lectio Gemblac. esset, a Scaligero vulgata, nihil sani nobis diceret interpres his: Tempora sunt carentia propriis signis. Cf. quæ supra diximus ad illum locum. Magis sinistre viris summis accipitur illud Plauti dictum, ‘capite sistat,’ quod est, cervice deorsum suspendatur, prouti ipse Taubmannus, quasi se revocaturus, ex Laberio docet. Alterum e Capt. IV. 2. 13. locum produxit Scaliger, quem sic potius reddas, ‘cadet in os, a me valide pugnis cæsus.’ Plenius Terent. Adelph. III. 2. 18. ‘Sublimem medium arriperem, et capite primum in terram statuerem.’’ *Stoeb.*—553 ‘Hæc de apotheosi Augusti intelligunt Interpretes fere omnes. Quibus sane non inviti accederemus, si ad libram illius referri genitura posset, quam capricorno Noster adscripsit supra, II. 509. Itaque rectius de quovis alio judice et legislatore ista accipies, de quo venusta quidem allusione canere Vates potuit, cæli eum jura manere. Sed non minus probabilis videtur nobis lectio Cod. Paris. *Et c. p. t. vita manebit.*’ Idem.—554 ‘Dixisse potuit pro *lumina*, *acumina;* ut Ovid. Fast. IV. 163. ‘Scorpios elatæ metuendus acumine caudæ.’ Cum tamen Hyginus dicat ‘scorpion in acumine ipso duas stellas habere,’ non sollicito illud *lumina;* præsertim cum mox in capricorno ‘acumine caudæ’ habeamus.’

NOTÆ

551 *Imponetque jugum terris*] Imperabit.

Legesque rogabit] Legesque statuet. Solebat enim apud Romanos rogari populus, utrum ratam vellet legem, quæ ab senatu, aut consule, aut imperatore statueretur, A. Gell. I.

553 *Cœli post terras jura manebunt*] Apotheosis sane Cæsaris Augusti, quæ, teste Scaligero, contigit annum circiter quartum post hunc librum scriptum. Sic I. 446. ‘Cæsar nunc terris, post cœlo maximus auctor.’

554 *Scorpios extremæ, &c.*] His 7. vss. tradit Poëta sub primo scorpionis exortu nasci urbium conditores pariter et destructores. Porro scorpio non oritur a cauda, sed a chelis: sed quia pars prima scorpionis, quas chelas vocant, libræ sidus constituunt, hinc cum loquatur Poëta de sidere scorpionis, dixit, ‘extremæ cum tol-

Si quis erit stellis tum suffragantibus ortus,
Urbibus augebit terras; junctisque juvencis
Mœnia succinctus curvo describet aratro:
Aut sternet positas urbes, inque arva reducet
Oppida, et in domibus maturas reddet aristas.
Tanta erit et virtus, et cum virtute potestas.
Nec non arcitenens prima cum veste resurgit,
Pectora clara dabit bello, magnisque triumphis
Conspicuum patrias victorem ducet ad arces:
Altaque nunc statuet, nunc idem mœnia vertet.

pius attollit stellas ultimæ suæ partis, quæ cauda est, si quis tunc erit natus sub faventibus illis stellis, is amplificabit terras oppidis, et cinctus togam junget tauros jugo, et signabit curvato vomere muros urbium, vel destruet condita oppida, et rediget urbes in agros, et restituet spicas maturas in loco domorum. Adeo magna potestas illius erit, et cum potestate potentia. Sagittarius etiam, quando ascendit a prima sua chlamyde, creabit corda insignia bello, et conducet ad arces patrias victorem insignem magnis triumphis: et modo condet magnos muros urbium, modo

Bent.—564 Scal. Delph. et vulg. *nunc condita m. v.* 'Rectius vetusti quattuor, *nunc idem m. v.* Certe et *alta* et *condita* pueri foret, non poëtæ.' *Bent.*

NOTÆ

lit lumina caudæ:' i. e. cum incipit oriri cauda scorpionis, quæ totum condit et format sidus ipsum scorpionis. Scilicet scorpios in duo sidera totus extenditur, ut bene notavi I. 268. 609. et alibi.

557 *Mœnia succinctus describet aratro*] Notat modum condendi urbes apud Romam. *Succinctus* igitur, i. e. rejecta in tergum toga, ut una lacinia revocata cingeret hominem, more scilicet Gabino. Quo habitu induebantur ii, qui mœnia urbis novæ designarent. Induebantur et ad bellum ituri Consules Romani. Virg. Æn. VII. 612. Luc. I. et Liv. VIII. *Aratro*, eo quippe describebatur ambitus urbium condendarum. Describebatur autem in orbem, unde urbs dicta fuit ab orbe: vel ab urbe aratri, quæ pars est aratri, quo muri designabantur, inquit Isidor. XV. etym. 2. Sic Virgil. Æn. V. 755.

558 *Inque arva reducet Oppida*] Sic Isidor. Etym. XV. 2. 'urbs aratro conditur, aratro evertitur.' Sic Horat. I. Od. 16. Propert. II. El. 9. Ovid. Her. I. 51. 'Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant, Incola captivo quæ bove victor aret. Jam seges est ubi Troja fuit,' *&c.*

561 *Nec non arcitenens, &c.*] His 8. vss. docet sagittarium in primo suo exortu creare bellatores, victores, triumphatores, atque urbium pariter conditores et eversores: sed quos omnes manet dura sors infelixque fortuna.

Prima veste] Prima chlamyde. Oritur quippe sagittarius a parte anteriori, quæ hominis est chlamyde induti. Quæ quidem chlamys duplices alarum appendices imitatur, quarum altera *borealis*, quæ ad Boream; altera *meridionalis*, quæ ad meridiem spectat: *borealis* autem secunda est; *meridio-*

Sed nimium indulgens rebus fortuna secundis,
Invidet in facie, sævitque asperrima fronti.
Horrendus bello Trebiam, Cannasque, Lacumque
Ante fugam tali pensabat imagine ductor.

condita destruet. Verum fortuna, quæ nimis favet rebus prosperis, tandem invidet capiti, et crudelissima furit in vultum. Sic Hannibal ille victor timendus in bello repræsentabat sibi in animo sub tali specie fallaci fortunæ Trebiam, Cannas, et

568 Vulg. *talis pensabat in agmine.* 'Ineptissimam hanc lectionem eludit fides Gemblacensis codicis, *tali pensabat imagine victor.* Et olim ita edidimus. Tali exitu, inquit, compensavit clades Cannensem et Trebianam Annibal antequam fugeret a patria. Horrenda nimirum erat species et imago fortunæ ejus, quæ tantum ab illa veteri mutaverat.' *Scal.* 'Male J. Bitur. *magmine,* quasi *magmento,* quod sacrificii genus est, quo Diis mactatur.' *Delph.* 'Hoc vero inusitatum, ut *victor* dicatur, qui *fugerit. Horrendus bello victor:* sic Scaliger accipit; quasi Hannibal ob fugam et adversam fortunam exemplo esset aliis, et ob id horrendus. Huc adactus est vir magnus; quia recepta lectio erat *victor.* Repone, *pensabat imagine ductor. Ductor horrendus bello,* qui, quod boni ducis est, victoriis potitur; *victor horrendus bello,* qui partis victoriis crudeliter et inhumane utitur. *Ductor* et *victor* sæpe a librariis immutata sunt. *Ductor* de Hannibale passim, Silius Italicus.' *Bent.* 'Editum antiquis, *talis pensabat in agmine victor.* Nec aliter Cod. Paris. Alteram vero Gemblac. et, quod videtur, Lips. Codd. tuentur, nisi quod his quoque rectius legitur *victor* pro *ductor.* Tertium enim victor Hannibal fuit *ante fugam,* i. e. ante *exilium,* qui Sempronium Longum apud Trebiam, Flaminium apud Thrasymenum lacum, Paulum et Varronem apud Cannas superavit, parique fortuna usus adversus P. Scipionem apud Ticinum. Vide Plinium de Viris Illustr. cap. 42. p. m. 82. Hanc autem fortunam *tali imagine,* nimirum in-

NOTÆ

malis prima. Igitur per *primam vestem* intellige meridionalem chlamydis partem, qua exoritur sagittarius.

566 *Invidet in facie, &c.*] Notat victores illos, et fatalem sortem eorum, quos tandem sors infortunata manet. Cujus rei jam dat in exemplum Hannibalem, vers. seqq.

567 *Horrendus bello, &c.*] His itaque 2. vss. notat Hannibalem, qui licet antea victor, tamen nescio quo fato fortuna invidit victoriae ejus anteactas. Is enim I. apud Trebiam fluvium in Gallia Cisalpina, ex Apennino monte in Padum fluentem, profligavit occurrentem sibi T. Sempronium Coss. II. Fudit Flaminium Cos. ad lacum Thrasymenum, cæsis 15000. Romanorum. III. Devicit Coss. P. Æmilium et Tit. Varronem apud Cannas, cæsis Romanorum peditum 40000. equitum Rom. 2500. Sed tandem a P. Scipione victus apud Zamam Africæ oppidum, fugit ad Antiochum regem, deinde ad Prusiam Bithyniæ regem confugit, cujus levitatem suspectam habens, hausto veneno mortem sibi conscivit. Hunc scilicet sors hæc infortunata manebat. Porro jam supra mentio facta est de Trebia, Cannis, et Thrasymeno lacu, 27. 38. &c.

568 *Tali pensabat imagine*] I. e. vel sub tali specie fortunæ mutatæ sibi fingebat in animo: vel, interprete Scaligero, compensabat tali infortu-

Ultimus in caudæ capricornus acumine summo
Militiam ponto dictat, puppisque colendæ
Dura ministeria, et vitæ discrimen inertis.
Quod si quem sanctumque velis, castumque, probumque,
Hic tibi nascatur cum primus aquarius exit.
Ne vero sit te primos producere pisces.

lacum Thrasymenum, ante fugam suam. Extrema pars capricorni, quæ est in supremo aculeo suæ caudæ, indicat bellum in mari, et laboriosa munera regendæ navis, et periculum vitæ desidiosæ. At si cupis aliquem virum et sanctum, et pudicum, et bonum, is orietur tibi, cum prima pars aquarii surgit terris. Neque autem cupias

videntis ac sævientis, compensavit.' *Stoeb.*—570 Vulg. *M. in p. d.* 'Totum hunc locum ita legit Gembl. *M. ponto dictat, puppisque colendæ Dira ministeria.* Quæ sequimur.' *Scal.* '*puppisque colendæ*] Ita Gemblac. *pubesque* Cod. Lips. *puppisque colendas* Cod. Paris. et Editi vetusti, qui etiam addunt (,:) Illud autem *puppis,* antiqua terminatione pro *puppes,* cum additur *colendas,* scil. dictat, naves præcipue bellicas instruere et regere.' *Stoeb.*—571 'Sic Cod. Paris. et Regiom. cum Editis ceteris. Scaliger ex Gemblac. *Dira,* cui Lips. subscribit, varians tamen in voce *ministerio.* De sensu vocis *dira* vide Serv. supra ad vs. 540. nobis excitatum, et statues an hujus loci ille sit, necne. Sensum, salvo rectiore judicio, sic cape: Militiam sequi in ponto, puppesque colere *dura* sunt *ministeria,* et quæ longissime distant a vita inerti.' *Idem.*—573 Scal. Delph. et vulg. *nascetur.* 'Cum *si quem velis* dixerit, sequitur ut dicat *nascatur.*' Bent. 'Libri omnes, *nascetur,* quod retineri citra solœcismum potest. Quod enim præcedit *si velis* perinde est ac *Quodsi vis,* illud autem frequentius pariter ac venustius.' *Stoeb.*—574 Scal. Delph. et vulg. *Neve sit in primos animus procedere pisces.* Hæc absurda sunt. *Neve;* hoc rite venit post aliud quid ejusdem generis, vel virtutis vel vitii. Atqui sub primo aquario nasci, optimum: sub primis piscibus, pessimum. Quid ergo hic facit *neve?* Quale vero illud, *ne sit animus procedere?* Qui sensus?

NOTÆ

nio. Ita autem Gemb. bene. Sed male vulg. *tali pensabat in agmine.* Male et J. Bit. *magmine,* quasi *magmento,* quod sacrificii genus est, quo Diis mactatur.

569 *Ultimus in caudæ capricornus, &c.*] His 3. vss. tradit sub primo capricorni ortu nasci eos, quos navalis pugnæ, navaliumque rerum studium tenet. Itaque, 'ultimus capricornus in summo cacumine caudæ,' id est pars anterior capricorni, qua oritur. Quæ enim pars capricorni ultima seu extrema est in suprema seu superiori parte illius caudæ, pars est anterior ipsius capricorni, quæ in asterismis dicitur πάρουρον, quasi extra caudam. Verum pars posterior potius capricorni, quæ in piscem desinit, hos mores, hæcve studia belli navalis deberet dare. Sed ita datum est a fatis. Hæc igitur ita necesse fuit interpretari. Loquitur enim Poëta tantum de primo cujusque signi exortu. *Ultimus, a, um,* promiscue sumitur pro quavis cujusque rei extrema parte. Itaque hic ultimus capricornus, i. e. pars anterior capricorni.

572 *Quod si quem, &c.*] His 2. vss. docet sub primo aquarii exortu nasci sanctos, castos, virosque probos.

574 *Ne vero sit te primos, &c.*] His 12. vss. tandem docet sub primo pis-

Garrulitas odiosa datur, linguæque venenum
Verba maligna novas mussantis semper ad aures.
Crimina per populum populi seret ore bilingui.
Nulla fides inerit natis, sed summa libido
Ardentem medios animum jubet ire per ignes.
Scilicet in piscem sese Cytherea novavit,

nasci sub prima parte piscium: invisa enim loquacitas tribuitur, et virus linguæ, quæ suggerat continuo sermones maledicos ad novas aures: et qui ferat ore iniquo per populum scelera ipsius populi: neque genitis sub ea piscium parte ulla erit fides, sed libidinosa voluptas: juvat scilicet mentem flagrantem libidine vadere per medias flammas libidinis. Nimirum Venus mutavit seipsam in piscem, quando projiciens

Quis possit procedere in pisces, si animus ita ferret? Gemblacensis veterrimus cum Veneto, *Neve sit et primis producere p.* Lipsiensis cum Vossiano, *Neve sit et primis animus procedere p.* Vides illud *animus* ab interpolatore profectum esse, quo versus pede mutilus fulciretur. Dabo tibi Auctoris manum; *Ne vero sit te primos producere p.* Lectorem, ut passim alias, alloquitur; *Ne vero sit primos pisces producere te;* absit, ut tu sub primis piscibus nascaris. *Ne vero* recte versum inchoat: ut I. 292. 'Nec vero solidus stat.' et I. 194. 'Nec vero tibi natura admiranda videri.'' *Bent.* 'Cod. Paris. *Ne ve sit ut primos animus procedere pisc.* Lips. *et primis anim. proced.* Regiom. omnium optime: *Neve sit ut primos aveas procedere p. Neve sit ut aveas* dictum pro *Ne vero aveas*, cum paulo ante *si velis*, h. l. elocutionis variandæ causa dicere voluit, Noli vero cupere,' &c. *Stoeb.*—576 '*mussantis*] Sic Regiom. qui tamen *mus.* Reliqui impressi *mussantis.* Codd. vero Gemblac. Paris. et Lips. constanter *mutantis*, i. e. qui *mutat* sermonem cum ad alias atque alias aures ipsi loquendum est.' *Idem.*—577 Scal. Delph. et vulg. *fert ore maligno.* 'Non est Manilii. Est ineptissimus.' *Scal.* 'Scaliger hunc pro spurio habuit: et ex priore quidem editione delevit; in alteram recepit tandem, sed incuria et festinatione corruptum; omnes enim libri *bilingui* habent, non *maligno:* iidem quoque *ferre* pro *fert.* Repone, *seret ore bilingui. Seret,* inquam, proprie hic dictum. Virg. Æn. VII. 339. 'Disjice compositam pacem, sere crimina belli.' Tacit. Annal. XII. 4. 'Serere crimina in Silanum.' Crimina populi per populum, hoc est, omnium per omnes seret, communis accusator et delator.' *Bent.* 'Codd. Paris. et Lips. *ferre,* scil. *datur,* ex vs. 575. Malim vero sequi Regiom. qui dedit *feret*, sensu minime incongruo, nedum obscuro. Aliud est *serere crimina* in locis a Bentleio excitatis, Virgil. Æneid. VII. 339. 'sere crimina belli,' i. e. causas belli suborna, pace rupta. Ita nec Tacitus eam quæ in præsenti loco ei tribuitur notionem admittit: 'Serere crimina in Silanum.' Ann. XII. 4.' *Stoeb.*—579 Scal. Delph. et vulg. *libet.* '*Libet animum ire*, prorsus barbarum. Lege *jubet.*' Bent. 'Libidini magis convenire videtur hoc *libet*, quod Codd. Ms. pariter ac impressi omnes tuentur. Absolute positum, nec tam barbare jungendum, ac voluit Bentleius, *animum lubet, &c.* Quis vero excusaverit hunc nexum, *inerit sed jubet* pro *jubebit?*' Stoeb.—580 *novavit*] 'Hoc magis probo, ac illud

NOTÆ

cium exortu creari garrulos, maledicos, susurrones, infidos, libidinosos, gemellos, gemellas, et gemellorum partuum parentes.

579 *Ardentem*] Suppl. libidine.

Medios per ignes] Sup. amoris libidinosi.

580 *Scilicet in piscem sese Cytherea,*

Cum Babyloniacas summersa profugit in undas,
Anguipedem alatis humeris Typhona furentem,
Inseruitque suos squamosis piscibus ignes.
Nec solus fuerit, geminis sub piscibus ortus:
Frater erit, dulcisve soror, materve duorum.
  Nunc age diversis dominantia sidera terris

se in aquas Babyloniacas evitavit Typhona furentem, qui habebat pedes serpentis, et humeros pennatos; et immiscuit suas flammas cum piscibus squammeis. Neque autem unicus erit partus sub duobus piscibus, sed aut frater erit, aut grata soror, aut genitrix gemellorum. Jam vero agedum, accipe quæ signa præsunt variis terra-

---

notavit, quod est in Mss. Lips. et Paris. ac Editis vetustis. Est enim *novare* Latinitatis probæ Auctoribus *mutare*. Ovid. Metam. xv. 185. 'Fitque quod non fuerat: momentaque cuncta novantur.' Adde Virgil. Æn. v. 604.' *Idem.*—581 'Cod. Paris. *ad und.* Sic de eadem Ovid. Fast. II. 463. 'Venit ad Euphratem comitata Cupidine parvo.' Sed illud *submersa* requirit *in undas.*' Idem.—582 Vulg. *alatos ungues.* 'Falsum alatos ungues habuisse: immo joculare. Gemb. legit *alatis humeris:* quod reponendum. Titanes, gigantes, et Saturnus alatis humeris pingebantur: quod nemo nescit.' *Scal.* 'Libri veteres, *Anguipedem alatos humeros T. ferentem.* Sed spurius est, et ex vs. 802. sumptus, 'Cum fugeret Typhona Venus.' Sed 'fugere Typhona' recte dicitur; at 'profugere Typhona in undas,' prorsus barbare. Nec Typhon aut gigantes *alatis humeris* erant: frustra enim montes montibus imposuissent, si recta illuc evolare potuissent.' *Bent.* 'Cod. Lips. *Anguip. alatos humeros Typh. ferentem.* Cod. Paris. *allatos* (pro *alat.*) *anguis typh. ferentem.* Regiom. et excusi ceteri, *Anguip. alatos unguis Typh. ferentem.* Putamus verba sic esse legenda et disponenda: *profugit Typhona ferentem alatos humeros.* In quibus nihil est certe, quod Latinas lædere aures possit. Neque enim Columella scribere dubitavit I. 3. 'sedes suas profugiunt.' Nec Mela de Situ Orbis III. 9. prope med. 'Et Eudoxus quidam avorum nostrorum temporibus cum Lathurum regem Alexandriæ profugeret, Arabico sinu egressus,' &c. Quin et alia id genus verba transitive, Poëtis præsertim, usurpantur. Virgil. Æn. v. 438. 'Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.' Id est, adnotante Servio, *vitat*, *declinat*. Idem XI. 750. 'vim viribus exit.' Vide Macrob. Saturn. VI. 6.' *Stoeb.*—584 Sublata distinctione (,) sensus optime constabit tibi. Male Cod. Paris. *fuerat*, et mox, Lips. quoque, a manu licet secunda, *erat*. Ceterum ad has genituras, quas exposuit hactenus Poëta, conferre omnino juvat, quæ Viri Docti notarunt ad

NOTÆ

&c.] Alludit ad fabulam Veneris. Fabulati sunt enim Venerem, ut Typhonis gigantis furorem fugeret, in Euphratem, Babyloniæ fluvium, se immersisse, atque in piscem se mutasse. Hygin. II. Vide quæ supra de his annotavimus, II. 874. 879.

Cytherea] Venus, II. 33.

581 *Babyloniacas*] Euphratis scilicet aquas, qui Babyloniæ fluvius est.

582 *Anguipedem Typhona, &c.*] Cujus pedes in draconum volumina desinebant, I. 874.

583 *Suos ignes*] Sup. libidinosi amoris.

585 *Frater erit, &c.*] Sub piscium enim exortu primo nascuntur gemelli, aut gemellæ, gemellorumque parentes.

586 *Nunc age diversis, &c.*] His 2. vss.

Percipe. Sed summa est rerum referenda figura.
Quatuor in partes cœli describitur orbis,
Nascentem lapsumque diem mediosque calores
Teque, helice. Totidem venti de partibus isdem
Erumpunt, cæcumque gerunt per inania bellum.
Asper ab axe ruit Boreas; furit Eurus ab ortu;

rum partibus. Sed ut hoc capias, exhibenda est prius brevis imago rerum. Globus terrarum vulgo partitur in quatuor partes cœli, scilicet in diem orientem, et in occasum, et in meridianos ardores, et in te, o helice. Totidem venti exeunt ex iisdem illis partibus, et faciunt sibi invicem bellum per aëra. Ferox Aquilo erumpit ab

Petron. Satyr. c. 39. versus finem.' *Idem.*—587 '*Summa figura rerum*, ut summa cutis. Sed Gemb. *sed summa est rerum referenda figuris.* Nihil mutandum. Sic in secunda Institutione dixit, 'summumque colorem,' in eundem sensum.' *Scal.*—589 Vulg. *Nascentemque ipsumque d.* 'Andreas Melvinus Scotus eximie doctus ante viginti sex annos ita legebat, *Nascentem lapsumque d.* Quod laudamus et sequimur.' *Scal.* 'Codd. manu exarati atque typis descripti hanc referunt lectionem: *Nascentemque* (,) *ipsumque d.* &c. ubi *ipsum* valet *perfectum, absolutum.* Quodsi vero corrigendum, legere malim *ictumque diem*, quod magis Manilianum, et Codicum scripturæ propius accedit. Advertendum autem, optimum Regiomontani exemplar lacuna hic esse notatum, luculento certe indicio, versum excidisse, aut legi tum non potuisse, quem tamen sequentia, *Teque, Helice*, omnino requirunt.' *Stoeb.*—591 Scal. Delph. et vulg. *secumque.* 'Repone *cæcumque.* Virg. Æn. IX. 518. 'nec curant cæco contendere Marte Amplius audaces Rutuli.' *Bent.* 'Restituenda vetus et proba lectio: *secumque gerunt per inania bella. Per inania*, i. e. in regione aëris, quam dixit 'inania mundi,' I. 200. Conf. observata ad I. 153. et V. 444.' *Stoeb.*—592 Scal. Delph. et vulg. *fugit.* 'Quo-

NOTÆ

monet se jam disputaturum de variis terræ regionibus, quibus signa singula præsunt. Quod ut præstet, prius brevem totius orbis terrarum descriptionem instituit.

587 *Rerum*] I. e. totius orbis terræ.

588 *Quatuor in partes, &c.*] His 8. vss. primum docet totum terrarum orbem in quatuor cœli partes dividi, in ortum, occasum, meridiem, et septemtrionem. Deinde monet ab hisce quatuor parentibus erumpi totidem ventos, scilicet ab ortu Eurum; ab occasu Zephyrum; a meridie Austrum; a septemtrione Boream: interque hos quatuor præcipuos ventos ait binas auras seu binos ventos expirare, quorum tamen nomina silet; sed nos ea referemus jam. Interea notabis alia sortiri nomina quatuor illos cardinales ventos apud nautas. Is enim qui ab ortu flat dicitur, non Eurus, sed Solanus; qui ab occasu, non Zephyrus, sed *Favonius;* qui a meridie, Auster; quique a septemtrione, Boreas pariter. Hinc intermedii venti octo sunt, scilicet inter Solanum et Austrum Eurus et Notus: inter Austrum et Favonium Africus et Zephyrus: inter Favonium et Boream Circius et Caurus: inter Boream et Solanum Aquilo et Vulturnus.

589 *Nascentem . . . diem*] Ortum.

Lapsumque diem] Occasum.

Mediosque calores] Meridiem.

590 *Te, Helice*] Septemtrionem. Est enim *Helice* ursa major, quam versat circum se axis septemtrionalis, I. 218. 296.

Auster amat medium solem, Zephyrusque profectum.
Hos inter binæ mediis e partibus auræ
Expirant, similes mutato nomine flatus.
Ipsa natat tellus pelagi lustrata corona,
Cingentis medium liquidis amplexibus orbem:
Inque sinus pontum recipit, qui vespere ab atro

arctico polo: Eurus autem venit ab oriente: Auster amat meridianum solem; et Zephyrus solem occiduum. Inter hos quatuor quosque ventos, duo venti efflant ex mediis partibus, et pares sunt venti, immutato solum nomine. Terra autem ipsa fluctuat cincta ambitu oceani, qui circumdat fluidis suis amplexibus globum terrarum, qui jacet in medio: et ipsa terra excipit in sua viscera mare illud, quod

modo *fugit* ab ortu qui inde spirat? Repone *furit*.' Bent. 'Hoc nusquam Auctorum legeris. Repone, *fugit Eurus ab ortu*. Ita versum quoque recitat Stewech. ad Veget. IV. p. 478. *Fugit*, i. e. non continet se in latibulis; sed vel leni spiramine in auras profugit.' *Stoeb.*—596. Vulg. *notat*. 'Legebamus olim *natat*, haud absurda sententia. Terram enim in medio oceani, magni navigii instar, vectari et agitari veterum quosdam scripsisse et memineram, et alibi annotaveram. Sed alio nos vocat Gemb. qui habet *Ipsa vacat tellus:* longe melius. Ipsa tellus nuda est et extans in medio oceani.' *Scal.* 'Olim editum est *Ipsa notat;* unde Scaliger in priore editione fecerat *natat:* in altera *vacat* substituit, Gemblacensis auctoritate inductus. Atqui recte prius conjecerat *natat;* et sic plane Venetus, Lipsiensis, et Vossianus.' *Bent.* 'Optima hæc est lectio, quam ipsissimis ferunt literis Codd. Paris. et Lips. *vacat*, quod est in Gembl. magis probatum Scalig. *notat* im-

NOTÆ

592 *Ab axe*] Sup. septemtrionali. Sic Ovid. 'Qui gelidam sparsit ab axe nivem.'

Boreas] Sic dictus ἀπὸ τοῦ βοῇ καὶ ῥεῖν, i. e. *propter ejus violentiam*. Vel ἀπὸ τῆς βορᾶς, *a nutrimento*, quippe qui corpora sanet et alat, A. Gell. II. 2. Dicitur et *Aquilo*, quasi instar aquilæ feratur.

Eurus] Græcis sic dicitur; Latinis vero *Vulturnus:* siccus est ventus, æstate calidus, hyeme frigidus.

593 *Auster*] Alio nomine *Notus*.

Zephyrus] Latinis *Favonius:* Græcis *Zephyrus*.

594 *Binæ . . . auræ, &c.*] Intermedii duo venti. Quanquam non desunt, qui unicum collateralem ventum inter hos quatuor cardinales interserunt. Alii non duo solum, sed et septem. Hinc ventos numero 32. statuunt diversos, quos nautæ præcipue observant, et quorum hæc sunt nomina, hicque ordo ab ortu initio facto. *Eurus*, Hypereurus, Subsolanus, Hypeurus, Syriacus, Hyperphœnicias, Phœnicias, Hypophœnicias. *Auster*, Hyperlibonotus, Libonotus, Hypolibonotus, Garbinus, Hyperafricus, Africus, Hypafricus. *Zephyrus*, Hypercaurus, Caurus, Hypocaurus, Mæstrus, Hypercircius, Circius, Hypocircius. *Boreas*, Hyperaquilo, Aquilo, Hypaquilo, Græcus, Hypercœcias, Cœcias, Hypocœcias.

596 *Ipsa natat tellus, &c.*] His 2. vss. monet terram undique cingi oceano, atque natare aquis.

Pelagi] Oceani.

598 *Inque sinus pontum recipit, qui,*

Admissus, dextra Numidas Libyamque calentem
Alluit, et magnæ quondam Carthaginis arces;
Littoraque in Syrtes revocans sinuata vadosas,
Rursum usque ad Nilum directis fluctibus exit.
Læva freti cædunt Hispanas æquora gentes;
Teque in vicinis hærentem, Gallia, terris;

ingrediens ab nigro occasu irrigat a parte dextra Numidas, et Libyam ardentem, et arces Carthaginis, quæ olim magna fuit: et quod reducit oras suas in syrtes plenas brevibus, et iterum erumpit inde impulsis undis suis versus Nilum. Sinistra pars illius maris verberat fluctibus suis æquatis nationes Hispanas: et te, o

pressis nostris Vett. minus apte legitur.' *Stoeb.*—600 Scal. Delph. et vulg. *Abluit.* 'Immo cum Voss. *Alluit.* Virg. Æn. VIII. 149. 'Et mare quod supra, teneant, quodque alluit infra.' *Bent.*—602 Scal. Delph. et vulg. *Rursusque.* 'Redundat illud *que.* Repone, *Rursum usque.*' Bent.—603 Scal. Delph. et vulg. *æquore.* 'Immo cum Voss. *æquora.* 'Æquora freti,' ut Lucret. Virg. aliique, 'æquora ponti.'' *Bent.* 'Libri nostri omnes, *æquore*, quod

NOTÆ

&c.] His 5. vss. prioribus recenset terras, quas mare Mediterraneum alluit ad dextram, habita scilicet ratione occasus, qua parte in medias terras erumpit illa pars oceani, quod vulgo mare Mediterraneum vocamus. Alluit autem hoc mare ad dextram totius Africæ littora ab Herculeo freto, ad Ægypti extrema littora.

Pontum, qui vespere ab atro, &c.] Mare Mediterraneum, quod ab occasu per fretum Herculeum admittitur in medias terras.

599 *Dextra*] Habita quippe ratione partis, qua irrumpit in medios terræ sinus, ut monui.

Numidas] Africæ populos, Græcis *Nomades*, vulgo, *Royaume d'Alger:* quæ pars est Africæ, quæ inter Mauritaniam Cæsariensem et Carthaginiensem includitur.

Libyamque] Africæ regionem, quæ nonnunquam pro tota Africa sumitur.

600 *Carthaginis*] Africæ urbis olim celeberrimæ.

601 *Littoraque in Syrtes, &c.*] Duo sunt Syrtes in mari Mediterraneo ad oras Libycas: altera Carthagini propior, quæ minor est Syrtis, vulgo *Golphe de Capes:* altera in Cyrenaicam vergens, quæ major est, vulgo, *Golphe de Sydra,* ou *Seiches de Barbarie.* Sunt autem duo sinus periculosissimi, propter arenas et brevia.

Sinuata] Quippe a Tuneto ad Nili ostia mare flectitur quasi recta ad meridiem semel aut bis, ubi duas illas syrtes efficit.

602 *Nilum*] Ægypti fluvium notissimum, qui per septem ostia in mare Mediterraneum influit, I. 44.

603 *Læva freti, &c.*] His 28. vss. explicat Poëta quas terras alluit Mediterraneum mare ad sinistram partem, scilicet ab Herculeo freto ad ipsam Asiam. Alluit autem 1. Hispaniam, 2. Galliam, 3. Italiam fere totam hinc inde, 4. Dalmatiam, 5. Peloponnesi urbes, 6. Ponti Euxini oras, 7. Asiæ minoris populos maritimos; denique Asiæ majoris gentes nonnullas, donec ad Nilum pervenerit.

Italiæque urbes, dextram sinuantis in undam
Usque canes ad, Scylla, tuos, avidamque Charybdin.
Hac ubi se primum porta mare fudit, aperto
Emicat Ionio, laxasque vagatur in undas.
Et prius in lævam se effundens circuit omnem

Gallia, quæ adjacet in proximis terris: et oppida Italiæ, quæ excurrit paulatim in aquam dextram maris usque ad canes tuos, o Scylla, et usque ad voracem Charybdim. Sed postquam illud mare pulsavit se ab ea porta, fluctuat in mari Ionio, et dilabitur in amplas aquas: et expandens se primum in sinistram partem circum-

Scal. etiam magis placuit.' *Stoeb.*—605 '*Sinuare* non legitur absolute. Sed Manil. scripsit *insinuantis*.' Scal. Et sic Delph. Reposuit Bent. ex vulg. *sinuantis*.—607. 608 Scal. et Delph. *Ac . . . ab illa Enatat, &c.* Vulg. *Et natat.* 'Gemb. *Enatat*, ut etiam nos olim: exspatiatur libere, cum tamen revera pontus non natet, sed in eo natetur. Sic Tertull. 'ignis coquitur.'' *Scal.* '*Ab illa* in vetustis omnibus desunt. Pro *ac* Vossianus *hac*. Repone, *Hac . . . aperto Emicat, &c.* ubi hac porta prorupit, *emicat* sive ostendit se, exultat in *aperto Ionio*. *Emicat* eo sensu passim Virgilius.' *Bent.* 'Hoc de stellis valet, non de mari. Lege ex Codd. Gembl. et Paris. *Enatat*. Sic etiam Regiom. et eo posteriores. Cod. Lips. *Et natat*, cui consentit utique Cod. Venet. legente Gronov. Observ. III. 15. pag. 563.' *Stoeb.*—609 Scal. Delph. et vulg. *in læva se fundens*. 'Veteres omnes, *in lævas effundens*. Repone, *in lævam se effundens*.' Bent. 'Gembl. legeute Scalig. *in læva se fundens*. Paris. et Lips. *in lævas effundens*, pro quo lubuit aliquando legere *exundans*: sed nihil immutandum nunc existumo. *Effundens*, absolute positum, Maronianum est ex Æneid. VI. 245. 'Talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat.' Ubi certe illud *sese* non ad hoc *effundens*, sed ad hoc *ferebat* pertinet. Neque tamen altera phrasis Auctoribus probis est inusitata. Pomp. Mela de Pado, II. 4. 'mox aliis amnibus adeo augescit atque alitur, ut se per

NOTÆ

605 *Dextram sinuantis in undam*] Habita quippe ratione Italiæ, quæ quasi in mare extremam suam ocream, quam vocant, immergit versus meridiem, usque ad Siciliam.

606 *Usque canes ad, Scylla, &c.*] I. e. usque ad Pelorum, dictum vulgo *Faro*. Scylla enim saxum est in mari Siculo oppositum Charybdi gurgiti, naufragiis infame, quod procul visentibus muliebrem formam exhibet, inferius vero speluncas habet monstris maximis refertas: ad cujus saxi rupes allisi maris fluctus fremunt, et canum latratum imitantur. Hinc fabulati sunt Scyllam fuisse Porci filiam, cujus inferiores partes a Circe incantatrice mutatæ fuerint in rictus caninos. Virg. Ovid. Met. VII.

Charybdin] Supra vs. 421.

607 *Porta*] A Petoro: ab eo freto, quo Siciliam inter et Italiam extremam erumpit mare. Hac enim sibi fecit portam mare, cum antea Sicilia Italiæ adhæreret. Virg. Æn. III. 414. et seqq.

608 *Ionio*] Sup. mari. Ionium enim mare pars est ea Mediterranei maris, quæ supra fauces Adriatici Siciliam inter et Cretam expanditur. Plin. IV. 11. Alii utriusque maris, Ionii et Adriatici, terminum ponunt Peloponnesum. Alii Ionium mare terminant Pylichno fluvio et urbe Dyrrachio.

Italiam, Adriaco mutatum nomina ponto,
Eridanique bibit fluctus: dehinc æquore lævum
Illyricum, Epironque lavat, claramque Corinthon,

cingit universam Italiam, et sequitur mare Adriam de nomine, et epotat undas Eridani, et aquis suis planis scindit partem sinistram Illyrii, et alluit Epirum; et

septem ad postremum ostia effundat.' *in lævas*] supple partes vel oras.' *Stoeb.* —610 Scal. Delph. et vulg. *atque Adriam comitatur nomine pontum.* 'Vetusti quattuor *ponto.* A Veneto et Vossiano abest *atque.* Totum sic Vossianus, *Italiam Adriā cōmutatus nomine ponto.* Unde sponte exsurgit vera emendatio, quam Gronovius præripuit, Observ. III. 15. *Adriaco mutatum nomina ponto.*' Bent. 'Vide quid de hac mutatione præceperit Gronov. Observ. loco ad vs. 608. citato. Cod. Paris. cumque illo Regiom. et impressi Vett. *Adriam comitatus nomine pontum.* Ubi si scriptum esset *Adrio* vel *Adriæ comitatur,* non video quid in hac lectione magno sit opere desiderandum. *Adria* mox oppidum ejusque regionem notat, uti Pomp. Melæ loco modo cit. p. m. 37. 'Hucusque Adria, hucusque Italiæ latus alterum pertinet.' Mox pro Adriaco mari ponitur. Lucan. II. 625. 'Cum totas Adria vires Movit,' &c. Conf. Cellar. Geogr. Antiq. II. 9. pag. 637.' *Stoeb.*—611 Vulg. *secat æquore velum.* 'Lege, *secat æquore lævum Illyrium.* Similem mendam olim in Tibullo sustulimus, 'Permisit læva ministro.' Nos, *Permisit velu ministro.* Gemblacensis habet *secat æquore bellum.* Nihil aliud est quam *bellum* pro *lebum,* et *lebum* pro *levum,* id est, lævum.' *Scal.* '*Secat* sine nexu *Illyrium, lavat Epirum;* iners verborum turba, cum unum sufficiat. Denique si *secat* Illyrium, intrat et medium dividit; quod falsum. Sagacissimus Gronovius, ad versum 609. *Et prius in lævam,* Cur, inquit, *Et prius,* cum nihil posterius infertur? Legit ergo, *Ut prius.* Sed alibi mendum latebat. Repone, *dehinc æ. lævum Illyricum Epironque l. cl. que Corinthon. Epiron, Corinthon;* quia versu 690. vetusti omnes habent *Epiros.* Sed pro *lævam Illyrium,* vetusti omnes *bellum Illyricum.* Accipimus *Illyricum:* sic enim Latini scriptores de regione ipsa.' *Bent.* 'Malo Codicis Paris. lectionem sequi: *secat æ. velum Illyricum* (,) *Epirumque lavat claramque Corinthum.* Ita fere legunt atque distinguunt Editi Ald. Rom. Prukn. A quibus non longe, rectius tamen, abire videtur Regiom. *secat æquora velum, &c. Velum* pro nave instructa tam est usitatum Poëtis, quam *secare æquor,* et per enallagen *æquora,* pro ipsa navigatione. Conf. infra vs. 620. sqq. Vult ergo dicere Auctor: mare Ionium quod ab Adria nomen assumit Adriacum, maxime frequentari navibus Illyricis, quod 'Adria-

NOTÆ

610 *Adriaco*] I. e. mare Adriaticum, Pomp. Mela l. II. Lucan. l. v. Quod mare dictum est olim Romanis Mare Superum. Protenditur autem a Lacinio Italiæ promontorio ad Venetias, Italiam inter et Dalmatiam.

611 *Eridani*] Eridanus Italiæ fluvius est, alio nomine Padus dicitur, vulgo *le Po,* qui in Adriaticum mare se exonerat.

Lævum Illyricum] I. e. a læva parte alluit Illyrium, quæ regio est Europæ satis ampla, hodie *Dalmatia* dicitur. Sic Ovid. Trist. I. 4. 19. 'Nam procul Illyriis læva de parte relictis.'

612 *Epironque lavat*] Est enim Epirus Græciæ regio, quæ I. Molossia. II. Chaonia. III. Epirus. IV. Denique jam Albania dicta est, mari Ionio adjacens.

Corinthon] Achaiæ oppidum in medio Peloponnesi olim clarissimum.

Et Peloponnesi patulas circumvolat oras.
Rursus et in lævum refluit, vastoque recessu
Thessaliæ fines, et Achaica præterit arva.
Hinc intra juvenisque fretum mersæque puellæ
Truditur invitum, faucesque Propontidos arctas

circuit insignem Corinthum et lata littora Peloponnesi. Et iterum recurrit in sinistram partem, et per longum secessum prælerlabitur terminos Thessaliæ, et campos Achaicos. Ibi Hellespontus et mare adolescentis et puellæ demersæ protruditur quasi per

tici latus Illyris occupat,' ut scribit Mela I. 3.' *Stoeb.*—613 'Sanus nullus poëta dixit mare *circumvolare* terram, sed *circumluere*. Malim igitur *circumluit*. Sed nihil mutandum. Sic enim Priscianus Dionysii interpres: 'Finibus à Siculis Cretæum provolat æquor.'' *Scal.*—616 Scal. Delph. et vulg. *Hic pontus*, et sic Regiom. Cod. Paris. *Hic pontum*. 'Quid hic pontus faciat, aut quo referatur, concipere non possum. Repono, *Hinc intra juvenisque, &c.* *Hinc* mare (a vs. 607.) invitum truditur intra fretum Phryxi et Helles, sive Hellespontum.' *Bent.*—617 Vulg. *Traditur invisum*. 'Lego, *Truditur invitum f. q. P. arctæ*. Sed et Gemblacensis habet diserte *Truditur*. Neque multum laborandum fuit ad hæc divinanda. Sed et textus Bonincontrii habet *invitum*, ut nos olim emendavimus.' *Scal.* 'Pro *artæ* libri veteres *aptò*. Lego *fauces artas*, ut mox *angustas*.' Bent. 'Gemb. *Truditur*, consentiente, uti videtur, Lips. *Traditur* est in Cod. Paris. a Regiom. quoque et ceteris Editoribus adoptatum, quos sequi nolim. Mox, pro *artas*, vel, quod Scaligero visum, *artæ*, Codd. Paris. et Lips. *apto*, Euxino ponto, sic dicto postquam hospitalior fac-

NOTÆ

613 *Peloponnesi*] Peloponnesus totius Europæ nobilissima insula est, Ægæum inter et Ionium mare; Gallice *la Morée*.

614 *Rursus et in lævum, &c.*] His 6. vss. seqq. notat illas oras, quas iterum ad lævam partem reflexum mare a Peloponneso alluit, donec ad paludes Mæotidos pervenerit. Alluit autem Achaiam, Thessaliam; deinde per Hellespontum, quem vulgo vocant *le détroit de Gallipoli, ou le bras de S. George*, decurrit in Propontidem, vulgo *mer de Marmara*: postea per Bosphorum Thracium, vulgo *le détroit de Constantinople*, intruditur in pontum Euxinum, Gallice *le Pont Euxin, ou Mer Noire*: denique a ponto Euxino per Bosphorum Cimmerium, quem vulgo dicunt *le détroit de Caffa*, delabitur in paludes Mæotidos. Hoc videre est in mappis.

615 *Thessaliæ*] Ea est Græciæ regio, quæ Peneum fluvium inter et Thermopylas ad Ægæum mare extenditur.

Achaica .... arva] Achaia regio est Peloponnesi, cujus caput est Corinthus.

616 *Hinc*] Scilicet ubi has prætériit oras, et ad Hellespontum pervenit.

Juvenisque fretum, &c.] I. e. Hellespontus, qui ab Helle Phryxi sorore in illud fretum delapsa nomen habet, ut monui vs. 515.

617 *Truditur invitum*] Namque quasi invitum truditur mare in Propontidem per Hellesponti fauces.

Fauces Propontidos] Nempe Bosphorum Thracium, qui quasi porta est ponti Euxini.

Propontidos] Propontis illud est mare, quod Archipelagum inter et

Euxino jungit ponto, et Mæotidos undis,
Quæ tergo conjuncta manet, pontumque ministrat.
Inde, ubi in angustas revocatus navita fauces
Hellespontiacis iterum se fluctibus effert,
Icarium Ægæumque secat, lævaque nitentes

vim in terras, et conjungit ostia angustæ Propontidos cum ponto Euxino, et cum aquis Mæotidos, quæ a tergo connexa est cum ponto Euxino, et format mare alterum. Hinc postquam nauta reductus ex undis Hellesponti confert se rursus in arctas angustias maris illius, scindit mare Icarium et Ægæum, et ad sinistram partem admiratur

tus, cum ante *Axenus* audiret. Auctor gravissimus Mela I. 19. fin. 'Olim ex colentium sævo admodum ingenio Axenus, post, commercio aliarum gentium mollitis aliquantum moribus, dictus Euxinus.' Adde sis Plin. Hist. Nat. IV. 24. cujus verba recitabimus infra ad vs. 626. et Ovid. Trist. v. 10. ubi totus est in asperrimis Scytharum moribus describendis, vs. 13. sq. ait: 'Quem tenet Euxini mendax cognomine littus, Et Scythici vere terra sinistra freti.'' *Stoeb.*—618 Vulg. *jungi.* Correxit Scal. ibid. Scal. Delph. et vulg. *Mæotis et undis.* '*Mæotis* casu genitivo. Hoc vero incredibile est; ut, cum vs. priore dixerit *Propontidos*, non hoc dicat *Mæotidos* sed *Mæotis.* Repone *E. j. p. et Mæotidos undis.* Sane vero infra vs. 680. iterum casu patrio venit 'Mæotisque lacus.' Sed is vs. spurius reperietur.' *Bent.*—620 Vulg. *Inde ubi in angustas iterum se navita partes.* Scal. ex Gemb. et Delph. *navita fauces.* 'Quid portenti hoc est, *effert se in angustas fauces?* Immo potius *infert.* Mitto alia, quæ jure culpanda sunt. Ter quaterque tentatus hic locus me frustrabatur; tandem bona horæ parte consumpta, nequissimum mendum deprehendi. Repono, inverso duorum verborum ordine, *I. ubi in a. revocatus n. fauces H. iterum se fl. e. Inde ubi mercator*, qui Euxinum intraverat, *revocatus in* Propontidem, utpote domum rediturus, *iterum se effert* ex Hellesponti faucibus, Icarium et Ægeum secat. Librarius, memoriæ fidens, et versus modulo utrimque recto deceptus, versus hos jugulavit.' *Bent.* 'Ex optimis Codd. sic videntur restituendi: *I. ubi in a. iterum se n. partes H. revocatus fl. e.* Pro *partes*,

NOTÆ

Pontum Euxinum jacet, ut monui vs. 614. not.

618 *Euxino*] Mari Nigro, quod a Bosphoro Thracio ad Mæotidos paludes extenditur. Primum dictus pontus Axenus, Græcis Ἄξενος, i. e. *inhospitalis*, propter incolarum immanitates et latrocinia. Deinde *Euxinus*, Græcis Εὔξεινος, id est, *bene hospitalis.* Ovid. Trist. IV. 54. 'Frigida me cohibent Euxini littora ponti, Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.'

Mæotidos] Palus est Scythiæ, quam ab Euxino ponto discernit Bosphorus Cimmerius, et in quam Tanais fluvius recipitur.

619 *Quæ tergo conjuncta*] Ita enim sita est palus Mæotidos, ut quasi a tergo Euxini ponti jaceat.

Pontumque ministrat] Palus enim illa ad instar maris extenditur.

620 *Inde, ubi in angustas, &c.*] His 11. vss. reliquis pergit Poëta notare ceteras maris Mediterranei oras ab ipso Bosphoro Thracio, ad ipsius Nili ostia per Asiatica littora.

622 *Icarium*] Sup. mare, quod est pars Ægæi maris, sic dictum vel ab Icaria ejusdem maris insula non procul a Chio, Samum inter et Myconum sita, unaque e Cycladibus; vel, si fabulis credere est, ab ipso Icaro Dæ-

Miratur campos Asiæ, totidemque tropæa
Quot loca, et innumeras gentes, taurumque minantem
Fluctibus, et Cilicum populos, Syriamque perustam,
Ingentique sinu fugientes æquora terras;

claras gentes Asiæ minoris, et tot tropæa huic mari adjacentia, quot sunt loca; et nationes infinitas, et oras formatas in arcum, quæ minitentur undis maris; et gentes Cilicum, et Syriam calidam, et terras, quæ per vastum fretum recedunt ab ipso

Gembl. *fauces*, quod malim.' *Stoeb.*—623 Scal. Delph. et vulg. *populos Asiæ.* 'Cur *nitentes* populos? quis sic loquatur? an ob vestium nitorem? Sed cur *populos*, cum, versu sequente, habeamus *gentes*, et tertio rursus *populos?* Repone, *M. campos A.* Sic Virgilius Georg. I. 153. 'interque nitentia culta Infelix lolium et steriles dominantur avenæ:' et Æn. VI. 677. 'ante tulit gressum, camposque nitentes Desuper ostentat.' *Campus* et *populus* sæpe confunduntur. Vide nos ad Horatium Epist. I. 6. 59.' *Bent.* 'Libri omnes clamant *populos.* 'Cur autem *nitentes?* Quis sic loquatur? An ob vestium nitorem?' Audisti ipsum Bentleium. Quasi vero canis ille perpastus apud Phædr. III. Fab. 7. veste indutus nitente fuisset, cui macie confectus lupus: 'Unde sic, quæso, nites? Aut quo cibo fecisti tantum corporis?' Vides vim atque usum vocabuli *nitere.* Plura non addo.' *Stoeb.*—624 Scal. Delph. et vulg. *arcumque m.* 'Codex Vossianus *Aurum m.* Unde Vossius ipse ad Catullum, *Taurumque m. Fl.* Rectissime. Promontorium Tauri montis pelago ibi impendet.' *Bent.* 'Sic emendandum olim putavit Vossius e vestigiis codicis sui, qui habet *aurumque.* Sed ex iisdem vestigiis alter, multo forte facilius, legeret *arcumque*, quod posterius Codd. Paris. et Lips. cumque his probatissimum Regiom. exemplar ceterique vett. impr. tuentur. Jam vero ex Tabb. Geograph. constat, Taurum, sive montem sive promontorium, tametsi arcus formam satis lucide refert, non tamen adeo prope mari adjacere, ut ejus fluctibus minari, vel eos morari aut coërcere videatur. Quapropter satius erit inveteratam retinere lectionem, *arcumque* maris intelligere, qui sinuoso flexu arcum format, *fluctibusque* suis terræ adjacenti, montiumque adeo jugis ruinam minari videtur. Hic autem *arcus maris* vel parum oculato se ostendit ad Pylas Syrias, quo suum Auctor lectorem manu quasi ducit.' *Stoeb.*—626 Vulg. *fulgentes æquore.* 'Nos olim, *fugientes æquora.* Ita etiam Gemb.'

NOTÆ

dali filio, qui e Creta ceratis alis evolare tentans in illud mare cecidit. Ovid. Trist. III. 4. 22. 'Icarus immensas nomine signet aquas.'

Ægæum] Archipelagum, qui sinus est maris Mediterranei ab Isthmo Corinthiaco ad Hellespontum extensus.

623 *Campos Asiæ*] Sup. minoris; huic enim littori adjacent Troja, Smyrna, Halicarnassus, &c. quæ Asiæ minoris sunt urbes.

Totidemque tropæa] Quæ scilicet Romani post victorias in iis littoribus Asiaticis erexerant.

624 *Taurumque* [*arcumque*] *minantem Fluctibus*] Notat illam terrarum partem, quæ quasi rectum angulum signat in mari Halicarnassum inter et Rhodum. Longius enim in mare terra protruditur.

625 *Cilicum populos*] Cilicia regio est in Asia minori, proxima Syriæ, ad radices Tauri montis.

Syriamque perustam] Syria minoris quoque Asiæ regio est quæ ad ortum Euphrate; ad occasum Mediterraneo mari; ad septemtrionem Cilicia; ad

Donec in Ægyptum redeunt curvata per undas
Littora, Niliacis iterum morientia ripis.
Hæc medium terris circumdat linea pontum,
Atque his undarum tractum constringit habenis.
Mille jacent mediæ diffusa per æquora terræ.
Sardiniam in Libyco signant vestigia plantæ:
Trinacria Italia tantum præcisa recessit:

mari, usquedum oræ iterum sinuatæ in dextram revertantur per aquas ad Ægyptum, ubi rursus desinant in littoribus Nili. Hic ambitus circumcingit mare quod medium est in terris, et quasi his loris coërcet effusiones aquarum istarum. Mille insulæ sunt mediæ in hoc extenso mari. Calceamenta pedum formant Sardiniam in mari Africo: Sicilia recedit solum ab Italia quatenus ab ea separata est: Græ-

Scal. 'Sic ex Gemblac. Scaliger restituit. Minus enim recte nostri *fulgentes* legunt. Similem in modum Plin. Hist. Nat. iv. 24. de Ponto Euxino: ' Dein vastum mare, Pontus Euxinus, qui quondam Axenus, longe refugientes occupat terras, magnoque litorum flexu, retro curvatus in cornua, ab his utrimque porrigitur, ut sit plane arcus Scythici forma.' Cur quondam Axenus? docet Gabbem. ad Catull. iv. 9. qui ' trucem Ponticum sinum ' appellat. Cf. not. ad vs. 616.' *Stoeb.*—627 Scal. Delph. et vulg. *redeant.* ' Immo *redeunt*, cum vetustis quattuor.' *Bent.*—628 Vulg. *verum.* ' Lege *iterum morientia.* Et ita Gemb.' *Scal.* ' Hoc *iterum* ex Gemblacensi est. Non refragatur Lips. At forte lectoris, non librarii scribæ, errori tribuendum. Sive enim illud *iterum* pro *rursus* vel *altera vice* accipias, elegans illa metaphora vereor ne futura sit admodum insulsa. Nonne satis est vel semel moriendo vivere desiisse? Neque etiam de illis litoribus constat, ubi locorum primum moriantur. Rectius itaque cum nostris libris legeris: *Niliacis, verum, morientia ripis.* Sic autem distinguendum illud *verum* putamus, positum quippe pro, *quod verum est.* Non enim modo res ita *vere* se habet, verum etiam *æquum est*, ut maris litora, fortissima illa naturæ repugnacula, quæ undarum tractum arenis constringunt (vs. 630. coll. not. ad loc.) cum in Nili terminantur ripis pariter ac hæ, Nilo exundante, *moriantur*, et aquis submersa quasi sepeliantur.' *Stoeb.*—630 Vulg. *harenis.* ' Lege *habenis.* Sæpe apud auctores hæc mutantur *harenis, habenis.* Vera lectio hæc.' *Scal.* ' Libri nostri, scripti juxta cum impressis principibus *harenis* vel *arenis*, quibus sane magis ac *habenis* utuntur litora, ad æstuantes maris fluctus coërcendos. *Arenis*, numero multitudinis prolatum, pluribus exemplis contra Gellii sententiam xix. 8. defendit Cas-

NOTÆ

meridiem Arabia terminatur. Hanc autem *perustam* dicit, quia vicina est Arabiæ, et ad æquinoctialem lineam magis accedit.

629 *Medium terris pontum*] Mare Mediterraneum.

631 *Mille jacent mediæ, &c.*] His 12. vss. notat insulas fere omnes, quæ sunt ubique per mare Mediterraneum dispersæ.

Per æquora] Per mare Mediterraneum, quo de agitur hactenus.

632 *Sardiniam in Libyco*] Sardinia est in ea maris Mediterranei parte, quæ Libycum mare dicitur. Dicta olim fuit *Sandaliotis* ab effigie soleæ, quam imitatur: Græcis σανδάλιον *calceamentum.* Dicta fuit et *Ichnusa* ab voce Græca ἴχνος, *vestigium pedis.*

633 *Trinacria*] Sicilia. *Trinacria* dic-

Adversa Euboicos miratur Græcia montes,
Et genetrix Crete civem sortita Tonantem:
Ægypti Cypros pulsatur fluctibus amnis.
Totque minora sola, et tamen emergentia ponto,

cia e regione posita stupet montes Euboicos, et Creta parens, quæ dignata est habere Jovem incolam, miratur quoque illos montes: tota insula Cypri verberatur ab undis Ægypti. * * * *Quid memorem et tot oras, quæ inferiores terræ con-*

tal. in Rutil. I. 181.' *Stoeb.*—635 'Rectius cum secunda vocali *genetrix* scribitur, quam cum tertia, tametsi hoc ferunt Cod. Paris. et Regiom. Sic Lucret. edente Creechio, in ipso limine carminis: 'Æneadum genetrix, alma Venus.' Consule de prisca et vera illius vocis scriptione modo laudatum Castal. pag. 41. *Crete*, Græca forma, *genetrix* dicitur *Jovis*, quem ibi natum finxerunt. Audiendus hac de re Ovid. Amor. III. 10. 19. sq. 'Cretes erunt testes, (nec fingunt omnia Cretes,) Cretes, nutrito terra superba Jove, Illic, sideream mundi qui temperat arcem, Exiguus tenero lac bibit ore puer.'' *Idem.*—636 Vulg. *Pulsatur Cypros Ægyptia.* 'Non frustra de vitio suspectus nobis olim locus iste. Gemb. *Ægyptia Cypros pulsatur.* Lege, *Ægypti Cypros p. fl. omnis.*' Scal. 'Quid hoc est? *omnis Cypros*, an *omnis Ægypti?* Quidve illud *fluctibus Ægypti?* Repone, *Æ. C. p. f. amnis. Ægypti amnis*, id est, Nili; ex Homero Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο. Vide Plinium aliosque. Cypros, inquit, opposita est Nili ostiis, et ejus fluctibus pulsatur.' *Bent.* 'Restituenda vetus, scripta pariter ac vulgata, lectio, *P. Cypros Ægyptia fl. omnis. Cypros Ægyptia*, non eo quod e regione ostiorum Nili posita, id enim justo longius petitum; sed quia Cyprus Ægyptiorum fuit, ex quo eam Jul. Cæsar Arsinoæ largitus est. Vide Meurs. in Cypro II. 20. Hinc Arsinoë nomen reginæ Ægyptiæ, idemque urbis in septentrionali latere Cypri sitæ. Consule Cellar. tom. II. p. 267. *Cyprus omnis*, i. e. tota qua patet. Hoc non tibi, sed magno Bentleio, curiosius sciscitanti: 'Quid hoc est? *omnis Cyprus*, an *omnis Ægypti?*' Cyprus autem tota, qua insula, *pulsatur fluctibus*, vel circumluvione tenetur, *non amnis Ægypti* seu *Nili*, qui centum fere milliaria Germ. distat, *nec* unius solum *maris Ægyptii*, in quo falsus est Meursius, qui corrupta seductus lectione, illam in Nostro opinionem reprehendit I. Cypr. 6. Circumfluit autem illam mare Mediterraneum hinc inde varia nomina sortitum, quæ ex Veterum descriptione tradit Meurs. l. c. quocum confer, si videtur, Tab. Geogr. Cellar. T. c. paginæ 2. annexam.' *Stoeb.*—637 'Deesse versum ante hunc et pueri fatebuntur, nedum doctiores, qui in hanc sententiam concipiendus vide-

NOTÆ

ta a vocibus Græcis τρία *tria*, et ἄκρα *promontoria*. Scilicet quæ tribus suis angulis tria notissima habeat promontoria, Pachynum, Lilybæum, et Pelorum. Dicitur et *Triquetra*, ab triangulari sua figura; sed de his fusius vss. 792. ubi dicitur qua ratione præcisa fuerit ab Italia.

634 *Adversa*] Sup. Siciliæ.

Euboicos montes] Insulas ipsas in Ægæo mari assurgentes, scilicet Eubœam ipsam et Cycladas omnes, atque alias Ægæi maris insulas.

635 *Genetrix Crete*] Candia, in qua natus fingitur Jupiter. Virg. Æn. III. 104. 'Creta Jovis magni medio jacet insula ponto, Mons Idæus ubi, et gentis cunabula nostræ,' &c.

Tonantem] Jovem.

636 *Ægypti Cypros, &c.*] Cypros insula est in extremo Mediterraneo mari, e regione ostiorum Nili posita. Hæc autem Veneri sacra fuit.

637 *Totque minora, &c.*] Ante hunc

Prætereo; Ægæas Cycladas, Delonque, Rhodonque,
Aulidaque, et Tenedon, vicinaque Corsica tristi

tinenti exsurgunt tamen e mari; et Cycladas æquatas in orbem, et Delon et Rhodon, et Aulida, et Tenedon, et oras Corsicas, quæ proximæ hærent terræ Sar-

tur: Quid loquar tot urbes? Qui hoc negarit, ineptissime negarit.' *Scal.*—637. 638 Scal. Delph. et vulg. *Totque m. solo tamen e. p. Litora et æquales C. D. q. R. q.* ''Deest,' inquit Scal. 'versus in hanc sententiam: Quid loquar tot urbes?' Insulas, opinor, voluit. Et sane, aut hæc mendosa sunt, aut deesse aliquid necesse est. Quid ergo est *litora minora solo?* An *litora* sunt insulæ? Quid quod *litora* alterum abhinc versum inchoat? Repono: *Totque m. sola, et tamen e. p. Prætereo; Ægæas Cycladas, D. q. R. q.* Gemb. et Lips. *sola. Prætereo tot sola minora et tamen emergentia ponto*, ut insulæ sint. Sic I. 165. 'Emersere fretis montes, orbisque per undas Exiliit.' Ovid. Trist. I. 11. 8. 'Cycladas Ægæas obstupuisse puto.'' *Bent.* 'Hæc in scriptis et vulgatis exemplaribus uno protelo antecedentibus junguntur. Nec factu opus, ut vel integer versus, quod Scaligero visum, vel hoc *Prætereo* suppleatur, quod de suo largitus est Bentleius, quemadmodum illa quoque *et tamen*, quæ præter rem addita. Lips. quidem Codex et, Bentleio legente, Gemblac. habent *sola*. In hoc autem Scaliger non tam obsequentem sibi habuit variarum Indicem lectionum, quam Bentleius (neuter autem horum illustrium virorum ipsum Codicem oculis usurpavit). Ille enim legit *solo*, quod uti metro convenit magis, ita alterum, *sola*, crassioris vitii arguit. Itaque Cl. D'Orvillius cum ad Charitonem vere suum pag. 283. Nostri hunc locum sub examen revocaret, priore versu *tamen* mutavit *taceo*, et pro *æquales*, substituit *inæquales*. Quæ quidem emendatio tametsi majori veritatis specie gaudet, nec tam licentiosa est, quam Bentleiana, Codicum tamen Ms. fide destituta, nobis quidem eo minus probare se potuit, quo rectior et ad intelligendum facilior visa est vetus et constans lectio Cod. Paris. et Exempl. Regiom. cum quibus editi ceteri ad amussim conveniunt. Sic enim habet: *Totque m. solo tamen emergentia ponto Litora, et æqualis Cyclades* (pro *æquales Cycladas*,) *&c.* Cum metri legibus obtemperans Vates et variandæ locutionis gratia accusativis utitur, interpreti minus grave erit, quam fastidioso correctori, verbum modo præcedens, quod activæ formæ, vel tacite repetere: *Pulsat fluctibus æquor*, seu mare Ægæum, *etiam tot alia litora*, vel insulas, easque longe *minores solo*, i. e. terræ spatio, supple *quam Cyprum*, quæ *tamen emergentia ponto* navigantibus visuntur. Recenset eas Mela II. 7. In hac cum Cypro instituta comparatione pergens Auctor dicere omnino potuit *et æquales Cycladas*, quæ quidem simul sumptæ, vel in unam, si fieri posset, insulam coactæ, Cyprum spatii magnitudine æquant: vel, Cycladas salutare visum *æquales*, quod sibimet invicem, maximo certe numero, æquales sunt.' *Stoeb.*—639 Scal.

NOTÆ

vs. desideratur unus aut alter. Id enim satis indicant accusativi casus sequentes. Hinc in ipsa interpretatione nostra addidimus 'quid memorem,' ut aliqua verborum constructio maneret. Quæ igitur vocat littora *minora solo*, ipsæ sunt omnes Ægæi maris insulæ, quæ ita multæ sunt, ut non insulæ intercisæ, sed quasi continens solum, seu terra videantur.

638 *Cycladas*] Cyclades insulæ sunt numero 53. sic dictæ quia in orbem sitæ sunt. Strabo X. Plin. IV. 12.

Delonque] Insulam Ægæi maris, Cycladum omnium clarissimam, in qua Latona Dianam et Apollinem enixa fertur. Cic. in Verr.

Rhodon] Insulam Carpathii maris, Cariæ adjacentem.

639 *Aulidaque*] Aulis, -idos, regiun-

Littora Sardiniæ, primumque intrantis in orbem
Oceani victricem Ebusum, et Balearica rura.
Innumeri surgunt scopuli, montesque per altum.
Nec tantum ex una pontus sibi parte reclusit

diniæ ; et Ebusum insulam, quæ prima victrix est oceani, qui intrat in terras, et insulas Baleares. Infiniti scopuli et montes eminent per mare Mediterraneum. Neque solum ex una parte mare aperuit sibi terras aditibus abscissis. Etenim

Delph. et vulg. *Corsica terræ.* ' *Terræ* dedit Scal. ' Terra,' inquit, ' Sardinia, ut terra Gallia, terra Italia.' An et poëtis sic loqui concessum est? Libri omnes *terris ;* quod sic scribitur in membranis, *tris.* Repone, *tristi. Tristis Sardinia,* infamis scilicet ob insalubre et pestilens cælum. Respicit quoque Auctor ad Sardonium risum proverbio notatum. Silius xii. 37. de eadem, ' Sed tristis cælo, et multa vitiata palude.'' *Bent.* ' Hæc quidem dici *tristis* eatenus potest, quod Mela scribit : ' Sardinia Africum pelagus attingens . . . ut fecunda, ita pene pestilens.' Sed de hoc non videtur Auctor cogitasse, qui luculentis testibus Libris Mss. dedit *terris,* quod mutatum esse nolim. Tabula Geographica veritatem lectionis et rei ad oculum demonstrat. Vide et Melam ii. extrem.' *Stoeb.*—640 Vulg. *primaque intrantis in orbem.* ' Lege *primamque.*' Scal. Et sic Delph. et recentiores. ' Vetusti omnes, *primumque.* Recte. *Primum intrantis ;* ut i. 256. ' primumque canentur Quæ medium ;' et alibi.' *Bent.* ' Cod. Lips. *primumque intr. in orbe.* Paris. et Editi omnes *primamque,* respiciens Ebusum, quæ Cod. Paris. vocatur *ebusus,* Ptolemæo Ἔβυσσος, aliis Ἔβουσος. Est Pityusarum major, quæ cum Oceanus, Atlantis opus, claustra, scilicet montium, ad fretum Herculeum perrupisset, et terras inter Africam et Europam, ubi nunc Mare est Mediterraneum submersisset, ab Oceano vinci aut submergi non potuit. Hinc Nostro illa dicitur *prima victrix Oceani intrantis in orbem* scil. terrarum. Conf. mox vs. 644.' *Stoeb.*—641 Scal. Delph. et vulg. *regna.* ' Vetusti quattuor melius, *rura.* Ut infra vs. 767. ' Dorica rura.'' *Bent.* ' Hoc *rura* defendunt Codd. Gembl. et Lips. quorum tamen posterior vitiose *Belearica* legit. Cod. Paris. *Balearia regna,* sed et *Balearica regna* recte vulgatum Regiom. et ceteris. Sicuti ' Balearica funda' apud Ovid. Metam. ii. 725. ita h. l. *regna Balearica* legit Gevart. ad Stat. Silv. i. pag. 184. Idem *Ecosum* pro *Ebusum,* et illius penult. corripi ex Servio notat ibid.' *Stoeb.*—643-4 Vulg. *sibi parte reclusus Faucibus abruptis orbem.* ' Lege : *Nec tantum ex una pontus sibi parte*

NOTÆ

cula est Bœotiæ, in qua oppidum est ejusdem nominis, et portus, in quem Græcorum classis convenit olim Trojanis bellum illatura. Virg. Æn. iv.

Tenedon] Tenedos Ægæi maris insula, Lesbum inter et Hellespontum. Virg. Æn. ii.

Corsica . . . littora] Corsica insula est maris Ligustici, quæ nunc pertinet ad Remp. Genuensem ; non procul a Sardinia sita est.

640 *Sardiniæ*] Quæ insula est in mari Libyco vicina Corsicæ.

641 *Ebusum*] Ebusus insula est in Balearico mari, altera scilicet Pityusarum : quæ duæ sunt primæ insulæ a freto Gaditano, infra Hispanias, quas vulgo dicunt *Majorque* et *Minorque,* aut *Iles, Baléariques.*

642 *Per altum*] Per mare Mediterraneum.

643 *Nec tantum ex una, &c.*] His 4. vss. præfatur Poëta non in unum mare Mediterraneum infundi oceanum ; sed et in alia maria, sinusque alios.

Objicibus ruptis orbem (nam littora plura
Impulit oceano) potius sed montibus altis
Est vetitus, totam ne mergeret æquore terram.
Namque inter borean ortumque æstate nitentem,

mare induxit in oceanum ipsum plures oras: (attamen impeditum est per excelsos montes, ne suis aquis superaret totum orbem terrarum.) Namque inter aquilonem

reclusis Faucibus abrupit orbem.' Scal. 'Sic locus a Scal. constitutus est; nam libri universi: *Reclusus Faucibus abreptis orbem. Abrupit orbem* nec sensui nec metro satisfacit. Repono: *N. t. e. u. p. s. p. reclusit Objicibus ruptis orbem.* Virg. Georg. II. 479. 'Unde tremor terris: qua vi maria alta tumescant Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant.' Non ex una tantum parte, freto Gaditano, aperuit sibi orbem, ruptis objicibus, sed et freto Caspio, Persico, Arabico.' *Bent.* 'Cod. Paris. *ex ima:* qua confusione sæpius peccatum. Idem vero cum Lips. et Editis omnibus, *reclusus Faucibus abreptis:* pro quo solus Paris. *arreptis orbem.* Male mutavit *urbem* Ed. Rom. sed nec *orbem* satis bene. Legendum forte *orbe* vel *orbi abruptis.* Nisi conjungere fas sit *reclusus orbem* pro *in* vel *per orbem:* aut passiva extremitate activam significationem habet, cujus rei plura exempla recitavit Popma de Usu Ant. Loc. I. 11. Restituendum omnino *Faucibus,* quod temere mutatum. *Fauces* enim sunt terræ arctæ et breves, quibus peninsulæ terræ cohærent. Livius XLV. 28. 'Isthmus, duo maria ab occasu et ortu Solis finitima, arctis faucibus dirimens.' Et Cicero de Lege Agrar. XXXII. 'Corinthus erat posita in angustiis atque *in faucibus* Græciæ, sic, ut terra claustra locorum teneret, et duo maria maxime navigationi diversa pæne conjungeret, cum pertenui discrimine separentur.'' *Stoeb.*—645 Vulg. *potius.* 'Sane legendum: *Impulit Oceano Pontus.* Est elegans repetitio τοῦ *pontus.*' Scal. et sic Delph. et mox 646. pro *mergeret,* Scal. Delph. et vulg. *vinceret.* '*Pontus* a Scaligero est. 'Sic legendum,' inquit, 'et est elegans repetitio τοῦ *pontus.*' Hæccine elegans? Haud vidi magis. Libri universi *potius.* Repone et distingue, *Nec tantum ex una pontus sibi parte reclusit Objicibus ruptis orbem (nam littora plura Impulit oceano) potius sed montibus altis Est vetitus, totam ne mergeret æquore terram.* Ne mireris, inquit, quod pontus ruptis objicibus penetraverit in terras tribus quattuorve locis: hoc potius mirandum, quod non totam terram merserit; mersurus utique, nisi montes alti obstitissent. *Vinceret* aliquo modo ferri potest. Verum in auctore tam prodigiose a librariis corrupto, non prodest timide agere vel superstitiose. Quod melius est, id et verius existimemus. Repone igitur, *totam ne mergeret æquore terram.* Vide quantillum in scriptura veteri intersit, *uiceret, mgeret.* Noster infra de oceano versu 832. 'sic quondam merserat urbes.'' *Bent.* '*nam litora plura Impulit oceano potius* (:) Sic distinguunt Editi meliores. Scaliger et Fayus malunt legere *pontus. potius* quod in Ms. et vulgatis anterioribus, idem ac *potentius* apud Perott. in voce. *Mergeret*] Libri omnes *vinceret,* quod elegantius. Quemadmodum paulo supra! Ebusum vicissim oceani *victricem* dixit, quæ submersa non est.' *Stoeb.*—647 Vulg. *pontumque.* 'Merito hanc lectionem olim improbavimus. Gemb. certe, *ortumque. Ortum æstate nitentem,* ortum

NOTÆ

647 *Namque inter borean, &c.*] His 4. vss. seqq. notat mare Caspium, *Mer Morte,* quod oceanus intulit in medias terras, scilicet meridiem et septemtrionem. Hoc autem mare a meridie habet Persidem; a septem

In Corum angusto penetrabilis æquore fluctus
Pervenit, et patulis tum demum funditur arvis,
Caspiaque Euxini pelage facit æmula ponti.
Altera sub medium solem duo bella per undas

et orientem æstivum, unda maris, quæ facile trajici potest præ arcto tractu aquarum, perducitur in longum, et tandem expanditur in amplos campos, et æqualis ponto Euxino format mare Caspium. Oceanus indixit terris duo alia bella per

æstivum. Sane Caspium est inter Borean et ortum æstivum.' *Scal.* 'Sic Scalig. ex Gemblac. cui subscribere Lips. videtur. Cod. Paris. diserte *portum*, ex quo Editores veteres fecere *pontumque*. Optime correxit Regiom. *Namque inter boream partemque æstate nitentem;* h. e. inter septemtrionalem et australem terræ partem.' *Stoeb.*—648 Scal. Delph. et vulg. *In longum.* 'Inter borean, inquit, et ortum solstitialem, sive æstivum (ut enim II. 236. *exortum* absolute *nitentem* appellat, ita hic per *æstate nitentem* designat ortum æstivum) fluctus pervenit *in longum.* Quid sibi vult *in longum?* Quo versus pervenit? Hoc dici oportebat. Unde vero scire Auctor potuit, utrum *in longum* an *breve?* cum regiones istæ ignotæ essent; et falsum postea inventum sit, Caspium ab oceano procedere. Repono, *In Corum a. In Corum*, hoc est versus occidentem. Silius IX. 493. 'Eurique et Boreæ parent, Corique Notique.' Virgilius Georg. III. 277. 'Diffugiunt (non, Eure, tuos, neque solis ad ortus) In Borean Caurumve.'' *Bent.* 'Scripti nostri vulgatique omnes, *In longo ang.* Scaliger ex Gemblac. *In longum, &c.*' Stoeb.—650 Scal. ex Gemb. et Delph. *Caspiaque Euxini similis f. æquora ponti.* Vulg. *C. q. exigui.* 'Recte. Nam comparatione Mediterranei est exiguum. Sed Gemb. lectio anteferenda *Euxini*. Instar Euxini esse ait. Imo Clitarchus dixit esse non minus Euxino mari, et fauces efficere instar Cimmerii Bosphori, et dilatari, instar Mæotidos paludis. Quare merito Manil. dixit esse instar Euxini ponti.' *Scal.* 'Multa hic peccantur. *Æquore* vs. abhinc secundo habuimus; neque Auctor hic repetisset *æquora*. Quæ deinde constructio? *Fluctus similis Euxini ponti facit Caspia æquora.* Hoc volebat interpolator, Facitque Caspia æquora similia ponto Euxino. Repone *C. q. Euxini pelage facit æmula ponti. Pelage* plurale neutrum, ut Virg. 'Frigida Tempe,' 'Immania cete;' Lucret. 'pelageque severa;' Catull. 'truculentaque pelage.' Cum semel negligens librarius *æquora* scripsisset pro *æmula*, consequens

NOTÆ

trione, Tartariam desertam; ab ortu, Tartariam majorem; ab occasu, Armeniam.

Borean] Aquilonem, qui ventus pro ipso septemtrione sumitur.

Ortum æstate nitentem] Non ortum cœli, non meridiem, sed eam cœli partem quæ ortum inter et meridiem intercedit, qua parte scilicet sol terris oritur sub cancro.

650 *Euxini pelage, &c.*] Quanquam mare Caspium latius extenditur, quam pontus Euxinus; neque ullo Bosphoro jungitur, aut cum mari Mediterraneo; sed medium jacet terris.

651 *Altera sub medium, &c.*] His 8. vss. seqq. notat duos illos sinus, quos oceanus infundit terris Persicis et Arabicis. Hinc alter sinus Persicus, alter Arabicus dicitur. Primis 4. vss. sinus Persicus, vulgo *Golfe de Balsora:* 4. vss. posterioribus sinus Arabicus, vulgo *Mer Rouge*, notatur.

Sub medium solem] Versus meridiem, scilicet sub ipso æquatore.

Intulit oceanus terris. Nam Persica fluctus
Arva tenet, titulum pelagi prædatus ab isdem
Quæ rigat ipse locis, latoque infunditur ore.
Nec procul in molles Arabas, terramque ferentem
Delicias variæque novos radicis odores,
Leniter affundit gemmantia littora pontus;
Et terræ mare nomen habet: media illa duobus.

MULTA DESUNT.

Quondam Carthago regnum sortita sub armis,

*suas aquas versus meridiem. Etenim unda occupat agros Persicos, assumens sibi nomen maris ab iisdem regionibus, quas ipsa alluit, et intruditur in amplas terras. Nec longe, mare infert leniter oras coruscantes gemmis in effœminatos Arabes, et in terram, quæ fert delicias, et novos odores variarum herbarum, et istud mare ducit nomen ab illa terra. Quæ terra jacet inter duos sinus maris. * * * Carthago olim arma gerens assecuta erat regnum illius terrarum partis, quando ardens*

erat ut barbarus aliquis *similis* sententiæ donaret.' *Bent.* 'Vetus est scriptura: *C. que exigui similis, &c.* pro, *similes. exigui* tametsi probavit Scaliger in notis, tamen Gemblac. auctoritas potior ipsi fuit, qui legit *Euxini.* Longius autem distat similitudo *exigui* ponti, et *Euxini.*' Stoeb.—654 Vulg. *Quæ regit.* 'Lege, *Quæ rigat.* Sed et Gemb. habet *regat*, vestigium veri.' *Scal.* 'Quum dixit Noster oceanum *vicisse* terram, (vs. 646. coll. not.) par est credamus, eum continuata metaphora h. l. dedisse, *Quæ regit*, i. e. quibus locis ceu victor dominatur. Huic lectioni Codd. omnes patrocinantur.' *Stoeb.* ibid. Scal. Delph. et vulg. *orbi.* Et sic Paris. et Regiom. 'Doctissimus Huet. sic mavult, *lato qua infunditur orbi.* Sed vetusti omnes, *orbe:* unde facilis correctio, *latoque infunditur ore. Lato ore,* contra ac Caspium quod angusto. Virg. Æn. II. 482. 'et ingentem lato dedit ore fenestram.'' *Bent.*—657 Vulg. *geminantia.* Correxit Scal. ex Gemb. 'Unius hæc lectio Gemblacensis fide et auctoritate nititur. Ceteri omnes *geminantia* pro *geminata.* Litus enim utrumque latus tenet: *gemmantia* id quod *radiantia* infra vs. 866.' *Stoeb.*—659 'Deest versus ante hunc, qui

NOTÆ

655 *Arabas*] Populi sunt Asiæ Judæam inter et Ægyptum. Triplex autem distinguitur Arabia, Felix, Petræa, Deserta. Petræa vicina est Ægypto: Deserta ad Euphratem extenditur: Felix mari Indico adjacet.

658 *Terræ nomen habet*] Scilicet ab Arabia dicitur Arabicus sinus, vel mare Arabicum. Quanquam vulgo dicitur mare rubrum, *Mer rouge.*

Media illa duobus] I. e. terra illa, scilicet Arabia, continetur inter duos illos sinus. Ita interpretari libuit has voces, quæ cum sequentibus nullam habent concordiam. Scilicet desunt unus aut alter versus, aut plures, quibus et alios sinus maris, et ipsius terræ partes aliquas notaret Poëta. Videtur enim vss. seqq. Africam ipsam describere: quæ una pars est e veteribus tribus terræ partibus; et quam tamen non nominat, cum postea et Asiam et Europam notet, 672. 682.

659 *Carthago*] Vetus Africæ urbs, quæ olim totius Africæ tenuit impe-

Ignibus Alpinas cum contudit Hannibal arces,
Fecit et æternum Trebiam, Cannasque sepulcris
Obruit, et Libyen Italas infudit in urbes.

Hannibal percussit Albanas turres, et reddidit Trebiam immortalem nomine, et operuit Cannas tumulis, et intulit quasi totam Africam in civitates Italas. Auctor

continebat nomen Libyæ. Manifesta est lacuna. Bonincontrius dicit Carthaginem esse mediam inter mare Mediterraneum et Indicum. Propinqua sane loca, quæ una Carthagine disjungantur. Tam vicina esse putavit Indum mare et Mediterraneum. Acute. Non carebit tamen sectatoribus, neque admiratoribus.' *Scal.* 'Sic explicant: *Illa*, h. e. Arabia, media est duobus sinubus, Persico et Arabico, de quibus modo loquebatur. Nimirum putarunt V. D. post hæc verba unum vel alterum versum deesse, cujus tamen defectus indicium plane nullum apparet. Quin potius videtur nobis, hæc cum sequentibus esse connectenda. Et ab hac sententia, nec precibus nec minis movemur, ut abeamus. Etenim provocabulum *ille* non semper respicit antecedens, sed de persona, vel loco, vel re insigni, et cujus pervagata est dignitas, usurpatur. Sic Cicero in Verr. I. 66. 'M. Catonem illum sapientem, clarissimum virum, &c.' Nepos Aristid. I. 2. 'a Themistocle labefactatus testula illa exilio decem annorum mulctatus est.' Male utatur otio, qui plures hujus rei producere testes velit. Itaque, deleta post hoc *duobus* interpunctione, non inconcinne verba sic nectes: *Carthago illa*, nostræ hem! urbis æmula, *media duobus, sortita quondam regnum, &c.* Dicitur autem Carthago *media* duobus non maribus, sed promontoriis, quibus interjecta est, vel quod hinc mari, inde lacu maxima sui parte cingitur. Vide Strabonem apud Cellar. Geogr. Antiq. VI. De Africa propria cap. 4. pag. 152. et 156.' *Stoeb.*—660 Delph. *Igneus*. 'Sic restituendum: i. e. ardens, bellicosus. Vulg. *Ignibus*, minus bene.' Dein Scal. Delph. et vulg. *Albanas*. 'Venet. et Lips. *Albinas.* Voss. recte *Alpinas;* ex historiæ ordine, ante Trebiam et Cannas. Horat. Carm. IV. 24. 12. 'et arces Alpibus impositas tremendis.'' *Bent.*—661 Vulg. *æternis*. Scal. et Delph. ex Gemb. *æternam.* 'Immo *æternum;* ut lucri faciamus ὁμοιοτέλευτον. Trebia, Τρεβίας, genere masculino. Silius IV. 645. 'Magnas, o Trebia, et meritas mihi, perfide, pœnas Exsolves, inquit; lacerum per Gallica rivis Dispergam rura.' *Æternum;* ut idem XI. 140. 'Ut Trebiæ ripas æterno nomine famæ Tradiderit.'' *Bent.* 'Legendum utique *æternam*, i. e. Trebiæ memoriam, insigni notatam clade, æternitati mandavit. Itaque prævalent, adstipulante sententia, Gemblacensis et Lips. Codicibus ceteris, qui legunt *æternis*, quod cum hoc *sepulcris* necti posset, nisi duo illa verba, *fecit* et *obruit*, impedimento essent.' *Stoeb.*—662 Scal. ex Gembl.

NOTÆ

rium, Romæ æmula. Satis igitur constat Poëtam Africæ descriptionem instituisse.

660 *Alpinas* [*Albanas*] *arces*] Romanas, aut a Romanis conditas. *Alba* enim antiqua in Latio fuit urbs, ad Albani montis radices, ab Ascanio condita, quæ 300. an. regni fuit caput. Justin. XLIII. Hinc orti Romani. Virg. Æn. I. 6. 'Inferretque Deos Latio: genus unde Latinum, Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.'

Hannibal] Hamilcaris filius, dux Carthaginiensis, qui Romanos tribus in præliis vicit, ut dictum est vss. 37. 38.

661 *Fecit et æternum Trebiam*] Victoria scilicet, quam apud hunc fluvium de Romanis retulit, vss. 37. 38. 660.

Cannasque, &c.] Apud quas vicit quoque Romanos, vss. 37. 38. 660.

662 *Libyen*] Africam.

Huic varias pestes diversaque monstra ferarum
Concessit sæclis natura infesta futuris.
Horrendos angues, habitataque membra veneno,
Et mortis pastu viventia, crimina terræ,
Et vastos elephantas habet, sævosque leones
In pœnas fœcunda suas parit horrida tellus;

naturæ dedit huic parti terrarum diversos partus, et varia portenta ferarum, quæ futura erant noxia in bellis venturis: scilicet habet immanes serpentes, et artus animalium plenos veneno, et fœtus leti, et viventia vitia terræ, et ingentes elephantos; et illa terra, fertilis in sua supplicia, generat crudeles leones, et ludit in

Delph. et vulg. *Lybian.* 'Immo *Libyen:* quod et Huet. vidit.' *Bent.* Vett. Edd. *Italicas.*—663 Vulg. *Hic varias species.* 'Cod. Lips. *Huc var.* Paris. et Impressi Vett. *Hic concessit* scil. *esse.* Scaliger, superstitiose magis ac vere, *Huic* scil. parti terrarum *concessit var. pestes*, quo nomine Manilio omne noxium et cum maxime lethiferum venit.' *Stoeb.*—664 Scal. Delph. et vulg. *bellis.* 'Quid illud est *infesta bellis futuris?* nullus, quantum video, subeat sensus. Repone, *Concessit sæclis n. i. f.*' Bent. 'Lege cum Codd. *bellis futuris*, i. e. quæ contra Romanos Pœni erant suscepturi, et sequentibus etiam temporibus gesserunt.' *Stoeb.*—666 Scal. Delph. et vulg. *partus.* 'Male hic *partus*, cum *parit* mox sequatur. Quid vero est *mortis partus?* cur *viventia crimina?* Libri omnes *partu.* Repone et distingue, *Et m. pastu v., cr. t. Viventia pastu mortis*, argute, ut ubique solet; hoc est, viventia pastu venenosarum herbarum, quæ aliis animalibus mortem inferrent. Virgilius Æn. II. 471. 'Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus.' Plin. Hist. VIII. 41. 'Testudo, cunilæ pastu, vires contra serpentes refovet, mustela rutæ.' Vide supra III. 655. ubi *pastumque* dedimus, cum libri omnes, ut hic, habuerint *partum.*' Bent. 'Huic insipidæ correctioni omnes Libri adversantur. Lege absque interpunctione, *Et mortis partus v. cr. t.* i. e. fera atque venenata animantia, quæ *mors ipsa peperit*, sibi quasi ministra, quæ cum moribunda deberent esse, *vivunt* tamen illa *crimina terræ.* Vides antitheseos vim et elegantiam, quam ubivis fere Noster venatur. Ceterum uti *siderum partus* supra, et Titanes *terræ partus*, ita hæc animalia *partus mortis.*' Stoeb.—667 'Versus spurius. *Habet*, et mox *parit*, ignave et otiose. Elephanti et leones etiam alibi nascuntur.' *Bent.*—668 Vulg. *h. bella.* 'Legendum vel: *h. tellus:* vel *bello.* Quis non videt vitiosam esse lectionem vulgatam? Apollonius lib. IV. dixit Λιβύη θηροτρόφος. Quod Varro Atacinus vertit: *Fœta feris Libye.*' Scal. Et sic Delph. 'Scal. bene *h. tellus;* desiderabatur enim nominativi casus. Rom. *horrida bella:* sed sic interpungit: *I. p. f. suas: p. h. b.*' 'Magis placet scriptum et anti-

NOTÆ

663 *Huic*] Sup. terrarum parti, nempe Africæ, quam describit Poëta.

Monstra ferarum, &c.] Elephantos et serpentes, quos fert præsertim Africa. His autem feris, elephantis scilicet, primo usus est Pyrrhus in prælio adversus Romanos; nempe, contra Valerium Lævinum Cos. Romanum, dum Tarentinis adversus Romanos suppetias ferret, Justin. XVIII. 1. Secundo serpentibus pariter novo commento usus est idem Pyrrhus adversus Eumenem, quos in fictiles lagenas vivos conjici jusserat, ut inter præliandum mitterentur a suis in hostium naves. Justin. XXIII.

Et portentosos cercopum ludit in ortus,
Ac sterili pejor siccas incestat arenas,

fœtus monstrosos cercopum, et deterior, cum sterilis est, inficit arenas suas aridas, us-

quitus vulgatum *bella*, eaque non elephantibus et leonibus, sed Carthagini asserenda. Videtur ludere in voce *pœnas*, ob affinitatem cum nomine *Pœni*.' Stoeb.—669 Vulg. *Cyclopum*. 'Itane Africa mater Cyclopum, quæ homines vescos et exuctos producit, quæ, ut ipse Manilius dicit, suo pulvere exiccat populos? Sane neque Cyclopas et immania corpora parere, est ludere, (hoc enim majus est, quam ludere,) neque Africa ullos unquam Cyclopas tulit, sed angues, scorpiones, et feras, de quibus omnibus jam dixit. Gembl. non *Cyclopum*, sed *Cecropum* habet, pro *Cercopum: Et portentosos Cercopum ludit in ortus*. Cercopes sunt simiarum genus omnium turpissimarum. Cercopas homines fraudulentos in simias conversos Pithecusis insulæ nomen dedisse habes apud Ovidium, item Eustathium 'Οδυσσ. τ. Non solum, inquit, sævit Libya gignendo feras noxias et serpentes, sed etiam ludit producendo ridicula animalium portenta simias, et Cercopas. Apud Festum quoque potest legi: 'Cercops, genus simiarum;' et verum est, ut et vera lectio Maniliana, quam reposuimus. In Glossis legitur nomen mihi ignarum Κέρκωψ ζῶον, *Hasder*. Nam constat esse ζῶον, et quidem simiam. Inde Cercopes homunciones turpes, quales ut plurimum Libyes. Marcellin. lib. XXII. de Imp. Juliano. 'Ridebatur enim, ut Cercops, homo brevis, &c.' Sane Cyclops verus erat, qui illum egregium locum contaminaverat. Quod si poëtæ finxissent etiam in Libya Cyclopas nasci, tamen non de fabulis, sed de natura hic sermo est.' *Scal*. Et sic Delph. Vid. not. inf. 'Quidnam ergo portenti habet *cercopum ortus?* Hoc dicere magnus Scaliger debuit, qui primus mutavit hoc *Cyclopum*, quod Libri nostri simul omnes tuentur. Solus Cod. Lips. illius favere correctioni videtur, qui habet *Cecropum* et superne *Cicr*. Illud vero *portentosos* majus quid ac cercopas innuit. Nec modo quæritur adhuc, quosnam animantium fœtus Africa ferat alatque; sed *Cyclopum* mentionem fecit Auctor, vel quod fabricam ærariam invenisse et Vulcani in Sicilia ministri dicuntur; vel ob confinitatem quandam terrarum, licet non, admodum propinquam. Hanc Nasonis calamo describere lubet, ut clarius patescat, quomodo ad Africæ delineationem Cyclopum mentio pertineat. Fastor. IV. 287. sqq. verba hæc sunt: 'Hinc mare Trinacrium, candens ubi tingere ferrum Brontes et Steropes Acmonidesque solent: Æquoraque Afra legit, Sardoaque regna sinistris Prospicit a remis, Ausoniamque tenet.'' *Stoeb*.—670 Huet. *Ac sterilis p. s. infestat a*. 'Libri omnes, *Ac sterili pejor:* quod secutus est Scal. sed sensum non cepit. Postquam dixit Manil. tam noxia monstra Africam ferre, addit, non tantum sterilem esse, sed sterili pejorem, ut quæ siccas suas ac infecundas arenas feris illis et damnosis serpentibus infestas reddat.' Scal. Delph. et vulg. *infestat*. '; '*Infestat*,' inquit Huetius, 'hoc est, infestas reddit.' Atqui *infestare* non illud est; sed vexare, molestia, damno afficere: nec video, quo pacto arenæ possint infestari. Repone, *incestat*. *Incestat* sic-

NOTÆ

669 *Cercopum*] Cercopes enim sunt simiarum genus omnium turpissimarum. Ovid. Met. XIV. Vulg. *Cyclopum*, male; neque enim Africa fert Cyclopas. Deinde verba sequentia non ferunt, ut de Cyclopum partu intelligantur. Quis enim crederet Africam ludere in ortus Cyclopum, quorum sunt immania corpora? Bene autem ludere dicitur in ortus simiarum, quarum tota vita ludere est.

Donec ad Ægypti ponat sua jura colonos.
Inde Asiæ populi, divesque per omnia tellus,
Auratique fluunt amnes, gemmisque relucet
Pontus: odoratæ spirant medicamina sylvæ.
India notitia major, Parthisque vel orbis
Alter, et in cœlum surgentis culmina Tauri.
Totque illum circa diverso nomine gentes
Ad Tanaim Scythicis dirimentem fluctibus orbes:

que dum collocet sua imperia ad incolas Ægypti. Deinde sunt gentes Asiæ, et terra locuples in omnibus rebus, et fluvii aurei labuntur, et mare micat lapillis preciosis: sylvæ odoriferæ exhalant medicamenta. Est et India notissima omnium; sunt Parthi, qui fuerunt quasi alter orbis terrarum ab orbe Romanorum; sunt et alti muri montis Tauri, qui ascendit in cœlum: et tot populi diverso nomine circa illum habitantes. Porro ad Tanaim fluvium, qui dividit oppida Scythica suis aquis,

cas arenas, influxu nefario fecundas reddit; ideoque pejor, quam si esset sterilis. Virgilius Æn. x. 389. 'Anchemolum thalamos ausum incestare novercæ.'' *Bent.* 'Repone, meliorum consensu Librorum, *infestat*, non armis, sed pedum plantis. Silius xvi. 505. 'Hesperon infestat sua per vestigia pressum.'' *Stoeb.*—675 Scal. Delph. et vulg. *Parthique.* 'Immo *Parthis*, ἡ Παρθὶς, ut infra versu 803. 'Magna jacet tellus, magnis circumdata ripis, Parthis, et, &c.' ubi iterum codices, *Parthi sed.* Sic versu 750. *Persis*, et Virgilius *Persidis*.' Bent.—676 Scal. Delph. et vulg. *mœnia.* 'Quænam ista *mœnia?* Repono, *culmina*. Statius Silv. i. 1. 'Quæ super ingesti portaret culmina montis.'' *Bent.*—677 Scal. Delph. et vulg. *divisæ.* '*Divisæ nomine* vix quid sit intelligo. Vetusti quattuor *diviso*. Repono, *diverso*. *Diverso nomine*, id ipsum est, quod *diversis nominibus*.' Bent.—678 Vulg. *At tantum.* 'Non potest esse locus mendosior. Lege: *Ad Tanaim Scythicas dirimentem fluctibus*

NOTÆ

672 *Inde Asiæ populi, &c.*] His 10. vss. seqq. descriptionem Asiæ instituit: superioribus autem vss. descripsit Africam.

673 *Aurati amnes*] Puta Gangetem in India, qui volvit aureas arenas.

674 *Pontus*] Oceanus scilicet Arabicus et Indicus, cujus utriusque littoribus arenæ nitent quasi gemmæ: immo gemmæ veræ micant.

Odoratæ sylvæ] Quales sunt in Sabæa et Arabia.

675 *India*] Totius Asiæ regio notissima ad ortum.

Parthisque vel orbis alter] Parthia enim Assyriæ regio amplissima, de qua sic Justin. xli. 'Parthi, penes quos, vel divisione orbis cum Romanis facta, nunc orientis imperium est,' &c.

676 *Culmina Tauri*] Taurus mons altissimus in Asia, qui varia sortitur nomina pro variis regionibus, quibus late respondet. Plin. v. 2. et 27. Scilicet mons iste pertinet ab insulis Chelidoniis in mari Pamphylico ad Indicum mare, totamque Asiam in duas partes secat, quorum quæ ad septemtrionem dicitur Asia intra Taurum: quæ ad meridiem Asia extra Taurum vocatur.

678 *Ad Tanaim, &c.*] His 4. vss. postremis notat terminos Asiæ ab Europa. Tanais igitur fluvius est,

Mæotisque lacus, Euxinique aspera ponti
Æquora, et extremum Propontidos Hellespontum

et ad paludes Mæotidos, et ad frigidas aquas ponti Euxini, et ad ultimum Hellespon-

---

urbes. Etiam Gemb. habet *dirimentem.*' Scal. Et sic Delph. 'Quænam illæ sunt *Scythicæ urbes;* cum Scythæ non urbibus, sed agris et campis diversi degerent? Voss. et alter *orbes.* Repone, *Ad Tanaim Scythicis dirimentem fl. orbes. Orbes,* Asiæ scilicet et Europæ; ut Virg. Æn. VII. 228. 'quibus actus uterque Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis.'' *Bent.* 'Hunc vs. ita repræsentant Codd. nostri: *Ac tantum scythicas dirimentes fl. urbes.* Scriptionis compendium *tm* in errorem duxisse librarios videtur, ut darent *tantum* pro *Tanaim,* quod omnino probandum. Pro *urbes* Cod. Lips. *orbes,* retento tamen *scythicas,* quod nequaquam congruum. Ejusdem mendi nobis est suspectus Vossianus Cod. ex quo uti et altero (Lipsiensi forte) hoc *orbes* Bentleius produxit. Ceterum cum, recte V. C. monente, frustra quæsiveris *urbes* apud Scythas, 'quibus nulla collimitia, nullæ domus, qui pabulo et pecori, non arvo student, et in plaustris agunt fere, unde et Hamaxobiorum appellatio prorepsit;' quæ et alia gentis instituta copiosius exposuit Rhodig. Lect. Ant. XVIII. 24. tum vero antequam in pejus verba mutes, videndum, annon saniorem concipere sensum possis ex hac lectione: *Ac Tanaim Scythicas dirimentes fl. urbes.* Præsertim ubi cum Scaligero ad vs. 718. *Scythicas urbes* capias pro *Scythia,* quemadmodum *Italicas urbes* pro *Italia.* Vel ad hanc quoque sententiam revocari verba possunt: Ac Tanaim circa sunt multæ urbes dirimentes (pro diremptæ) fluctibus Scythicas gentes (quod ex vs. præced. repetendum). Quodsi magis placeat *dirimentem,* sensus minus erit impeditus ut intelligas, Tanaim dirimere Asiaticas urbes ab Europeis. Sic Dionys. Perieg. vs. 14. Εὐρώπην δ' Ἀσίης Τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει. ubi vide Eustathium.' *Stoeb.*—679. 680. 'Posteriorem ex his versum ejecit ex textu Scaliger, ut adulterinum. Nempe hic *Propontis* primam producit; cum, ut ubique apud alios, ita et apud Nostrum bis alibi corripiat. Recte. Huetius tamen, Scaligero semper iniquus, in textum revocat, hac correctione, *Æquoris extremumque Propontidos Hellespontum.* Vide, invidia aut favor quam transversos agat viros cetera egregios! Hac lectione, aut *ponti æquoris* junctim habemus; aut *æquoris Propontidos,* conjunctione etiam *que* alieno loco posita. Ego vero, non posteriorem modo, sed utrumque spurium puto; ut proximo versiculo ostendetur. Nec enim *Mæotis* casu patrio, nec *Euxinique aspera ponti* absolute, ut Scaliger accipit, concoquere possum.' *Bent.* 'Ita ad verbum uterque versus legitur in scriptis pariter ac veteribus impressis. Habes optimos eorum interpretes Eustath. ad Dionys. l. c. Paullum Oros. apud Cellar. Geogr. Ant. III. 1. qui, 'Asia,' inquit, 'regio, vel, ut proprie dicam, Asia minor absque orientali parte, qua ad Cappadociam Syriamque progreditur, undique circumdata est mari: a septentrione Ponto Euxino, ab occasu Propontide atque Hellesponto, a meridie mari

NOTÆ

qui decurrens in Mæotidos paludes Asiam dirimit ab Europa. Sic Lucan. III. 'qua vertice lapsus Riphæo Tanais diversi nomina mundi Imposuit ripas, Asiæque et terminus idem Europæ, mediæ dirimens compendia terræ,' &c. Male igitur Vulg. *tantum* pro *Tanaim* habet.

Scythicis] Scythia enim media dirimitur a Tanaide fluvio in duas partes, Europæam et Asiaticam.

679 *Mæotisque lacus*] Paludes Mæotidos, vs. 617.

Euxini ponti] Vs. 620.

680 *Propontidos*] Vs. 619.

Hellespontum] Vs. 619.

Hunc Asiæ metam posuit natura potentis.
Quod superest Europa tenet, quæ prima natantem
Fluctibus excepitque Jovem, taurumque resolvit,

tum Propontidos, ad hæc, inquam, loca auctor naturæ collocavit finem Asiæ potentissimæ. Quod autem restat, Europa occupat illud, quæ quidem prima et recepit Jovem tranantem aquas maris, et detexit illum latitantem sub forma tauri, dum

nostro.' Adde his, qui suo ceteros antecedit jure, Melam I. 3.' *Stoeb.*—681 Scal. Delph. et vulg. *Hic.* 'Gemblacensis et Lipsiensis *hanc.* Junge versum abhinc tertium, et repone, *Ad Tanaim Scythicis dirimentem fluctibus orbes: Hunc, &c. Hunc,* nempe Tanaim. Dionysius Periegetes; Εὐρώπην Ἀσίης Τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει. Possis etiam legere *hanc*, eodem sensu. Tanaim Europæ atque Asiæ terminum a veteribus plerisque poni, quis nescit? Etsi alii Mæotida et pontum ei addiderint, ut Mela I. 3.' *Bent.*—683 'In codicibus sequitur hic vs. *Pondere passa suo signi onerique juvavit.* Jure, opinor, hunc versiculum ejecit Scal. Nam Voss. in imo margine habet, non in contextu. Interdicit iterum Huet. et sic reformat, *taurumque resolvens Quærere passa sibi est ignisque onerisque juvamen.* Sed medicina fit mortuo; et quot alii sunt irreptitii, quos Scal. intactos reliquit.' *Bent.* 'Et hic quoque versus non est, nisi Cercopis alicujus, et cujus nisi ejusdem, qui superiorem infarserat? Nam et hic quoque putavit imperfectam esse orationem. Putavit, inquam, τὸ *resolvit* suspensum esse, nisi adderetur nomen in sexto casu. At *resolvere pondere* quis unquam Latine sciens dixerit? Quid denique volunt illa σολοικίζοντα, *signi onerisque juvavit?* Editio Lugdunensis agnoscit barbarismum quidem: sed pro eo supposuit *juvamen* non meliori sententia, neque emendatiore locutione. At bene Manilio dictum, *resolvit taurum,* hoc est, Jovem exuit taurina forma: quemadmodum in prima institutione taurus indutus Jovem dicebatur. Non est cujusvis notas versibus spuriis apponere: non cujusvis agnoscere.' *Scal.* 'His subjicitur, omissa post hoc *resolvit* interpunctione, versus, quem Cod. Paris. ita legit: *Pondere passa suo signoque onerique juvavit.* Qui quidem, tametsi prima facie minus bene se commendat, non tamen illico tamquam cercopis alicujus fœtus erat eliminandus. Vide autem quam illi vindicando et emaculando opem ferant libri vetusti, postque illos interpretes recentiores. Cod. Lips. *signi* (,) *onerique juvavit.* Regiom. *sui signique onerique juvavit.* Ald. Rom. Prukn. *signo* (.) *signique* (,) *on. juvav.* Fayus tentavit: *Condere passa sibi signisque humerisque juvantem?* Quæ sic ille παραφράζει, 'dum scilicet permisit illum monentem et signis et humeris subjicere sibi.' Nihil dicit. Molinius sic locum constituit: *Taurumque resolvit Pondere passa suo, signique onerisque juvamen.* Huetius tan-

NOTÆ

681 *Natura*] Deus, auctor naturæ.

682 *Quod superest Europa tenet, &c.*] His 15. vss. seqq. describit Europam, et ejus varias regiones notat. Hæc autem tertia pars est veteris orbis; nomenque duxit ab Agenoris filia Europa de nomine, quam Jupiter in taurum mutatus rapuit dorso suo, et in Cretam vexit per æquora. Ovid. Metam. II. et III.

Prima] Suppl. pars orbis terrarum. Alludit autem Poëta ad fabulam de Europa. Jupiter enim sub forma tauri rapiens Europam Agenoris filiam, vexit eam per medium mare, primumque appulit in Europam, scilicet in Cretam, quæ pars est Europæ.

683 *Taurumque resolvit*] I. e. retexit formam tauri in ipsum Jovem. Jupiter quippe formam tauri depo-

Ille puellari donavit nomine fluctus,

scilicet permisit illum monentem et signis et humeris subjicere sibi; Jupiter autem

dem Scaligerum ad interdictum venire jubens, sic ivit emendatum: *Taurumque resolvens, Quærere passa sibi est ignisque onerisque juvamen.* Eodem Interprete, 'Europa terra Jovem excipiens, et taurina forma exuens, passa est hunc sibi amoris et oneris, quod per mare gestaverat, levamen quærere.' Rectissime quidem statuit V. D. ultima præcedentis versus verba cum hoc qui in controversia est, arctissimo sententiæ vinculo esse conjuncta. Nec injuste fecit corrigendo illud *juvavit*, quod non est, ut ullo exemplo, quod quidem meminerimus, excusari, nedum defendi possit. In ceteris vero longius a veteri scriptura discedit V. D. nec sensum Auctoris videtur assecutus. Age, nostri quoque ingenii periculum faciamus. Erit fortasse, ut deficiente meliorum Codicum ope, locus adhuc pessime habitus nostra conjectura sublevetur. Audaces fortuna pariter juvat. Putamus, salvo rectiore tuo judicio, sic esse legendum: *taurumque resolvit Pondere passa suo* (,) *Sidonis onusque levavit.* Hujus certissimæ, ni fallor, emendationis haud dubius mihi Auctor est Ovidius Fastor. v. 605. sqq. ubi pariter ac Manilius supra II. 489. sqq. in recitanda illa fabula Europæ Agenoris fecit mentionem, sine qua mutila certe narratio foret. Illam igitur, Tyriam utpote puellam, 'Sidonim' Ovidius salutavit. Anacreon Σιδωνίην γυναῖκα, Od. 35. 556. ubi vide Barnes. Hujus autem 'Sidonis' penultimam nosti esse communem. Ovidius corripuit in his: 'te, Sidoni, Jupiter implet.' Subobscurum illius indicium est hoc *signoque*, cui recipiendo librarii scribæ tanto se præbuere faciliores, quanto frequentius hoc Nostro, alterum vero numquam alias usurpatum. Præterquam vero quod vs. seq. Noster ait, mare illud puellari nomine donatum a Jove fuisse, quæ absque hoc *Sidonis* nomine foret frustra explicaveris, uti mox videbimus: favet etiam nostræ conjecturæ, quod ibidem voce *puellari* utitur, quæ Nasoni fere propria, eique citato loco usitata vs. 611. Quid inde? Hinc saltem videmur rectius conficere, utrumque vatem eodem fuisse numine afflatum, id est, uno ex fonte cum fabulæ sensu verba etiam ipsumque adeo loquendi genus hausisse. Quod præcedit, *passa*, non equidem a *patior* h. l. derivare malim, quam a *pando*, ut *Europa* terra intelligatur *Jovem excepisse*, qua decet, *passa*, i. e. προσωποιλκῶς, *brachiis passis.* Vel simpliciter *passa* pro distenta, extensa, Europa qua late patuit, Jovi se facilem præbuit excipiendo. Quocirca notare juvat, ne quid expurgando præsenti loco nostræ saltem operæ desit, in Cod. Paris. rectius legi *excepit*, quam *excepitque*. Europa, Noster inquit, *passa resolvit taurum pondere*, id est Jove, quo erat indutus, supra II. 491. Quod ad unguem exponit Ovidius l. c. vs. 615. sq. 'Littoribus tactis stabat sine cornibus ullis Juppiter: inque Deum de bove versus erat.' *Sidonis onusque levavit*, pro levavitque taurum onere Sidonis: quod 'virgineum onus' diserte dixit Rutil. I. 262. in eadem fabula. Alibi *levare* est minuere: hoc autem loco valet liberare, uti v. 618. 'pelagusque levavit,' i. e. liberavit, scil. monstro. Vel, *levare* est tollere, cujus notionis exempla plura dedit Non. Marcell. in voce. Ex quibus insimul disces, nisi jam ante notum, illi *levare* nomen rei non quarto tantum casu, sed et sexto jungi solere. Noster supra vs. 12. 'curasque levate:' et Ennius nobis excitatus in Not. ad hunc loc. qui-

NOTÆ

suit, ut ea potiretur. Ovid. Met. II. 864. 'Et nunc alludit, viridique exultat in herba: Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis, Paulatimque, metu demto, modo cornua sertis Impedienda novis,' &c.

684 *Puellari nomine, &c.*] Quanquam non *Europæum* ab Europa vo-

Et monumenta sui titulo sacravit amoris.
Princeps illa domus Trojani Græcia belli,
Maxima terra viris, et fœcundissima doctis

vocavit undas de nomine illius puellæ, et sub hoc nomine consecravit monumenta sui amoris. Est autem Europa potentissima hominibus, et abundantissima doctis civi-

bus exemplis locupletare Nonium Marcell. possis.' *Stoeb.*—684–686 'Et hi quoque tres spurii sunt; quod orationis series, his semotis, ipsa per se ostendet. *Quod superest Europa tenet, quæ prima natantem Fluctibus excepitque Jovem taurumque resolvit, Maxima terra viris, &c.* Si illa *Maxima terra* Europa est, ut ipsa clamat sententia, jam constat versus interjectos ab aliena manu esse. Nam ne ad Græciam hoc referas, vetant codices universi, qui illum ponunt post versum 689. *et rege vel uno Princeps illa domus Trojani gratia belli.* *Gratia* vetusti codices, non *Græcia.* Pro *gra* (gratia) ab interpolatore datum puto *gla*, hoc est, *Trojani gloria belli;* ut de Achille dictum sit. In prioribus versibus, quid sodes illud est *fluctus?* An *fluctus* totam Europam significent? An *fluctus* aliqui *Europæi* dicti sunt? Gemblacensis pro *fluctus* habet *luctus*, et Vossianus *litus.* Sed neque hoc juvat. Litus enim Cretæ erat: neque ea insula umquam dicta est Europa. Pro *amoris* Gemblacensis *honoris.* Mea nihil interest, qui pro spuriis hos habeo: tutetur qui volet. Ovid. Met. VIII. 158. 'egressus ratibus Curetida terram Contigit.' Κουρῆτις, *Creta.* Vide Heinsium et Steph. in Κρήτη, et Hesych. in Κουρῆτες.' *Bent.*—'Totidem hæc verbis apicibusque leguntur in Cod. Paris. et vulgato Regiom. *Illa . . . luctus* perperam in Ms. Lips. Hæret ad illos *fluctus* aqua Interpretibus, qui vs. præced. *Sidonis* nomen non agnoscunt. Scilicet alii *Europam* terram hinc putant nomen accepisse. Quod diserte affirmat Ovidius l. c. vs. 618. 'Parsque tuum terræ tertia nomen (Europa) habet.' Huetii ingenio Creta potissimum insula insedit, cujus opinioni accessit Bentleius. At Fayus Bosphorum Thracium in suam sententiam vocat. Quid autem huic cum nomine *Europa* commune? Dic tandem fluctus illos, puellari nomine a Jove donatos, esse mare Rhodium, auctore Apollod. III. pr. quod 'Sidonium' diserte vocat Papinius Thebaid. VIII. 230. fabulam tangens, de qua hic agitur: 'Hic mare Sidonium, manibusque attrita tonantis Cornua, et ingenti sulcatum Nerea tauro (canunt).' Ad hæc verba, 'mare Sidonium,' Vetus Scholiastes: 'Quod transnavit Jupiter in speciem tauri datus.' Confer Achill. Tatium Eroticor. I. sub init. ubi hanc fabulam ad vivum depictam exponit.' *Stoeb.*—685 Vulg. *Et m. sub hoc.* 'Longe melius Gemblacensis, *Et m. sui t. s. a.* Post hunc versum retrahe illum: *Princeps illa domus Trojani maxima belli.* Quæ est egregia restitutio. Europæ, inquit, princeps ac primaria Græcia.' *Scal.* 'Malim cum Paris. Lips. Regiom. et cet. vett. legere *sub hoc titulo*, i. e. sub nomine hoc, *Europa*, ex vs. 682. coll. Ovidii loco modo citato.' *Stoeb.* —686 'Qui hunc vs. sede movit illustris Scaliger, ex complacito addit: 'Est egregia restitutio.' Nonnemo, pace tanti viri, dixerit potius, 'insignis hem! confusio.' Scripti pariter ac editi omnes illum legunt post vs. 689. quo loco nobis erit recensendus.' *Idem.*—687 'Hæc non de Græcia solum, sed de universa, qua patet, Europa dicuntur. Alioquin statuas oportet, quo nihil absurdius, Germaniam, Hispaniam, Galliam, Italiam denique inter Græciæ provincias Nostro referri. Vides adeo, contra Manilii mentem hunc vs. altero, *Princeps illa domus, &c.* fuisse interpolatum. Qui si

NOTÆ

catum est illud fretum, quod sciam: sed Bosphorus Thracius: tertia vero pars orbis *Europa* dicta est ab Europa Agenoris filia.

Urbibus. In regnum florentes oris Athenæ;
Sparta manu, Thebæ Divis, et rege vel uno

tatibus: sunt enim Athenæ, quæ claruerunt imperio linguæ; Sparta, quæ claruit armis; Thebæ, quæ claruerunt Diis: est etiam illa gens Græca (quæ auctor fuit

Græciæ principatum tribuisset, civibus certe suis injuriarum fuisset postulandus.' *Idem.*—689 Vulg. *Thebas divisit rege vel uno.* 'Successit bene correctio, nisi fallor: *Thebæ Divis, et rege vel uno Thessalia Epirusque potens.* Thebarum urbs Deorum nutricula Bacchi, et Melicertæ, et Herculis.' *Scal.* et sic Delph. qui 'Sic restituendum,' inquit: 'male enim vulg. et Rom. *Thebas divisit.* Bitur. *Thebæ divisæ.*' 'Scaligeri correctio, cui inprimis favere videtur Cod. Lips. qui habet *diviset*, aperto sane vitio, nisi vel legas sejunctim *divis et*, vel *divisit*. Ita ei cum ceteris omnibus conveniet. De Thebarum urbe Plinius Hist. Nat. IV. 7. 'nec cedentes Athenis claritate, quæ cognominantur Bœotiæ Thebæ, duorum numinum, Liberi atque Herculis, ut volunt, patria.' Multo quam ille confidentius Seneca, loco in causæ patrocinium a Scalig. excitato, Suasor. II. 'Athenæ,' ait, 'eloquentia inclytæ, Thebæ sacris, Sparta armis.' Quibus quidem ad loci præsentis interpretationem nihil dici accommodatius posset. Accedit et illud, quod Seneca Herc. Fur. 'Thebas' terram 'Deorum feracem' laudavit. Hæc utut veritati sunt consentanea, nobis tamen, nisi explorato prius veteris scripturæ habitu, mutationem admittere non licet. Cod. Paris. Regiom. Editique ante Scalig. omnes ita legunt: *Sp. manu* (:) *Thebas divisit r. v. u.* Tollamus priorem illam distinctionem, et sensus erit minime impeditus: *Sparta manu*, seu exercitu, sub *rege*, i. e. duce, *vel* h. e. nonnisi, tantum, *uno divisit Thebas.* Quæ quidem ita sunt comparata, ut non nemini revocare in mentem facile possint illud Phœbidæ Lacedæmonii factum, qui, memorante Nepote Pelop. 1. 'exercitum Olynthum ducens, iterque per Thebas faciens, arcem oppidi, quæ Cadmea nominatur, occupavit.' Nonne ita *Thebas Sparta divisit?* Etenim urbe Thebanis relicta, Lacedæmonii arcem per longum satis tempus sub potestate sua retinuerunt.' *Stoeb.* 'Jam vero huc referendus vs. 686. in quo exhibendo nullus a ceteris abit Codex, nisi Lipsiensis. Bini nobis sunt ad manus indices variarum hujus membranæ lectionum, illique a duobus viris doctis, tempore diverso constructi. Horum quidem alter versum istum laudati Codicis auctoritate delet. Hoc autem, quod præfiscine dixerim, ad Lectoris improvidam festinationem puto esse referendum, qua factum, ut præposteram versuum transpositionem, a Scaligero susceptam, non animadverteret. Quo majorem apud nos fidem alter lectorum meretur,

NOTÆ

688 *Athenæ*] Urbs fuit totius Græciæ clarissima, Musarum domus, Minervæ sacra, studiis inclyta, omnium doctrinarum inventrix, et in qua, ut ait Cic. I. Orat. summa dicendi vis et inventa et perfecta est.

689 *Sparta manu*] Urbs Peloponnesi armis potens, dicta olim Lacedæmon.

Thebæ Divis] Thebæ autem terra fuit Deorum ferax, in qua nati Hercules, Bacchus, &c. Sic Senec. in Herc. Furent. 'quis satis Thebas fleat? Ferax Deorum terra, quam dominum timuit,' &c. Sic Senec. Philos. Suas. II. 'Athenæ eloquentia inclytæ sunt; Thebæ sacris; Sparta armis,' &c. Quæ quasi ipsius Manilii sunt verba. Non est igitur cur etiam Scaliger ordinem horum versuum immutet, et legat, *Princeps illa domus Trojani Græcia belli Maxima terra viris, &c.* Rem enim bene non cepit ad mentem Manilii, ut ex ipsa nostra interpretatione satis constat.

Rege vel uno Illa domus] Sic resti-

Thessalia Epirosque potens; vicinaque Cadmum

belli Trojani) quæ claruit vel uno rege; est et Thessalia; et potens Epirus; et

qui inde a vs. 685. usque ad 690. literis *a* . . *ζ* versuum ordinem curatius indicavit, ita quidem, ut is, qui in dubio nobis versatur, lit. *e*, adeoque locum 689. sortiretur. Quocirca V. D. notat, inibi pro *Græcia* legi *gracia*, quod certe, ut deinceps videbis, altero præstat longissime. Qualis enim ista locutio, quæ Libris ceteroquin omnibus fertur? *Princeps illa domus Græcia Trojani belli.* Huc si criticas Scaliger advertisset aures, non certe fecisset, ut alieni sensus conscium haberemus Nostrum, ac si dicere voluisset: Europæ princeps ac primaria regio Græcia. Itaque hæc, *Trojani belli*, nihil ad sensum? Ergo amplissima regio, qualis Græcia, satis apte Latineque dici *domus* potest, eodem forte sensu, quo tractus cæli, *templum?* Mirandum sane, Huetium atque Bentleium, viros *κριτικωτάτους*, æquo ista ferre animo potuisse, præsertim cum horum posteriori diversarum Cod. Lips. lectionum copia fuerit. Illis proinde malis primus, quod sciam, contra audentior ivit Cl. Fayus, qui, versu ad pristinum locum revocato, tentavit *Graia*, [vid. not. infra.] quod tamen dubito, an alteri cuiquam *τρισυλλάβως* usurpatum. Ceterum rectissime idem observavit, tota hac periphrasi celebrari Mycenas, Agamemnonis scilicet regiam, vel hoc nomine clarissimis Græciæ urbibus accensendam. Quodsi vero grave sit *domum* pro *regia* accipere, rectius, eodem Cl. Viro docente, statueris, ipsum innui Agamemnonem, quo *vel uno* florente, *illa domus* seu familia *princeps* universi fere Peloponnesi fuit. Proinde locum ita putamus constituendum: *et r. v. u. Pr. i. d.* (,) *Tr. gratia b.* Quocirca hæc, *rege vel uno* spectare Agamemnonem, nulli dubitamus. Siquidem hunc, *κατ' ἐξοχὴν unum*, iisdem verbis innuit Papin. Achil. I. 658. in eodem argumento: 'tum primum Græcia vires Contemplata suas: tunc sparsa ac dissona moles In corpus vultumque coit, et rege sub uno Disposita est.' Ille Nostro non tantum *princeps suæ domus* dicitur, verum etiam *Trojani gratia belli.* Rectissime h. l. casu quippe primo, Cod. habet Lips. *gratia*, quod per antiphrasin dictum pro pœna, ultio, vel, uti solent loqui, fulmen belli. Frequens enim illa scriptoribus, non poëtis modo sed oratoribus quoque, figura. E multis unum exemplum. Cicero apud Perott. h. v. ait: 'ut pro injuria tam gravi parem ei gratiam referret.'' *Idem.*—690 Scal. Delph. et vulg. *Vicinaque ripis.* 'Vicinam Epiro Illyrida, sciunt omnes: sed quis scit quibus *ripis* vicina sit? aut cur non hic nominentur? Si hoc plane absurdum est; et jam satis nosti, quam miseris modis hic auctor a librariis tractatus sit; favebis conjecturæ, licet a recepta lectione nimium

NOTÆ

tuendum. Scilicet per domum Graiam, quæ auctor fuit belli Trojani, intelligit Mycenas, quæ vel uno rege Agamemnone floruerunt, utpote cujus unius nomine et imperio tota Græcia bellum Trojanum suscepit, et Trojam evertit. Nisi per *domum* intelligi malueris, non Mycenas, sed familiam ipsam Agamemnonis, quæ vel uno Agamemnone satis floruit. Scaliger autem rem aliter interpretatur; sed male, meo quidem judicio.

690 *Thessalia*] Regio Græciæ, ex una parte Bœotiam, ex altera Macedoniam habens, ad mare inter Peneum amnem et Thermopylas extensa; in qua mons Olympus.

Epirosque] Regio Græciæ, in qua olim regnavit Pyrrhus: a septemtrione Macedoniam, ab oriente Achaiam, ab occidente Ionium mare habet.

Illyris, et Thrace Martem sortita colonum;
Et stupefacta suos inter Germania partus:
Gallia per census; Hispania maxima belli;

Illyris, quæ adjacet littoribus maris; et Thracia, quæ habuit Martem incolam; et Germania, quæ attonita hæret inter suos ingentes fœtus; et Gallia, quæ claret opibus; et Hispania, quæ potentissima est armis; et Italia denique, quam Roma

quantum abeunti. Repono: *vicinaque Cadmum Illyris, &c.* Illyris sortita Cadmum colonum, et Thracia Martem. De Cadmo ex Bœotia in Illyricum profecto, et coloniam condente, notæ sunt veterum historiæ. Nota seriem orationis, Sparta manu insignis; Thebæ Divis, Baccho, Hercule; Thessalia Achille; Epirus Pyrrho; Illyricum Cadmo; Thracia Marte.' *Bent.* 'Restitue, Codd. omnium auctoritate, *vicin. ripis Illyris.* Sic Græca terminatione *Illyricum* audit, quod littori maris Adriatici adjacet. Mela I. 3. 'Adriatici latus (forte *littus*, hoc illud omnino sonat) Illyris occupat.'' *Stoeb.*—693 Vulg. *G. prætensis Italia m. bellis.* 'Plane integer est ap. Gembl. *G. per census, Hispania maxima belli. Gallia per census*] Gallia dives, ut Hispania bellicosa. Gallia per census nobilis, Hispania belli laude. Infra: 'et quod fert Gallia dives.' Poëtæ ὀλβοδότειρα. *Hispania maxima belli*] Sic Gemblacensis. Etiam nos olim pro *Italia*, divinavimus legendum *Hispania. Maxima belli* 'Ἑλληνισμός.' *Scal.* 'Lectio hæc, docente Scaligero, est Cod. Gemblacensis. Dixerim, inventum potius esse glossatoris. Noster enim scripsisset certe *censu*, quemadmodum supra vs. 689 sq. 'Sparta manu, Thebæ Divis potens,' &c. et vs. 383. 'Mensuris Libra potens,' &c. Cod. Lips. legit *præcensus.* Paris. *præcensis.* Regiom. *prætensis,* quod correcturi Ald. et Rom. dederunt *Prætensis,* litera majuscula initiali, quasi Gallia intelligenda esset hoc cognomine definita. Nolim præterea factum, ut in Vulgatis nonnullis extaret *Italia maxima bell.* cum uno mox protelo sequatur *Italia in summ.* Neque hi qui rectius vulgarunt *Hispania*, quod, præter ceteros, Codex Parisiens. et Regiom. agnoscunt, intentatum et intactum relinquere debuissent illud epitheton *maxima*: quod, sive diverso sive eodem id sensu capias, quam sequens, 'maxima Roma,' valde incongruum est. Porro, quem in voce *belli* Scaliger, ejusque verbis Fayus, statuunt, hellenismus, nec talis est qui possit sano sensu explicari, neque adeo nobis admittendus magis, quam in vitiis sermonis Latini suo merito ponendus. Itaque Stewech. ad Veget. I. 1. pr. ubi Galliam ab equitatu celeberrimam fuisse memorasset, in hujus commenti fidem præter decantatum Juvenalis locum Sat. VIII. præsentem quoque Manilii versum sic recitat: *Gallia prætentis, Hispania maxima bellis.* Interpretationis loco addit: *prætentas* dici, quas Ammianus et alii 'præten-

NOTÆ

691 *Illyris*] Regio Europæ ad mare Adriaticum, in qua urbs Ragusiæ, quæ olim Dyrrhachium dictum fuit.

Thrace] Vel Thracia, vulgo Romania, Europæ regio: sic dicta a Thrace Martis filio. Mars autem in ea regione natus fingitur. Virg. Æn. III.

692 *Germania*] Vulgo *l'Allemagne*, regio Europæ notissima, quæ ingentes ac proceros fert homines, ut iterum notat vs. 715.

693 *Gallia per census*] I. e. nobilis suis opibus. Sic vs. 791. 'et quod fert Gallia dives.' *Census* enim pro divitiis sumitur I. 12.

Hispania maxima belli] Hellenismus, i. e. nobilis laude belli; scilicet plura et magna gesta sunt a Romanis aut contra Romanos bella in Hispaniis.

Italia in summa, quam rerum maxima Roma
Imposuit terris, cœloque adjungitur ipsa.

rerum potita constituit dominam terris omnibus; et quæ ipsa Roma in cælum re.

turas' vocant, a prætendendo. Equites exploratores quidam vocarunt, sed de his, inquit, alibi, &c. Videtur sane non aptior alter Ammiano testis, si obscurum reddere velis obscurius. Quid? quod Gallia non equitatu saltem, sed omni re militari et facundia est illustris. Auctor M. Cato Origin. II. apud Charisium, qui 'Pleraque,' inquit, 'Gallia duas res industriosissime persequitur, rem militarem, et argute loqui.' Quare, si quid conjectura assequi valemus, longe nobis videntur aliter accipienda Manilii verba, quam statuerunt hactenus Viri harum quidem rerum nobis multo peritiores. Illi nimirum antecedentia modo consuluerunt, sequentibus fere neglectis. Nos autem, in præsenti quidem negotio, non illa potius quam hæc putamus respicienda. Memorat enim Auctor, inde a vs. 690. provincias imperio Romano subjectas, easque potissimum Pompeii, Cæsaris et Augusti victoriis illustratas. A remotioribus ad vicinas progressus, Galliam notat atque Hispaniam, quæ in jus civitatis Romanæ, vel saltem Italiæ Latiique, transierunt. Has vero solenni formula, tametsi poëtica, *in summam* ait *Italiam adjungi.* Ita enim melior Codicum pars, Paris. puta et Lips. editique ante Scalig. omnes consensu legunt. Et quo minus dubites illud *adjungitur* commodare præcedentibus, tum ipsa sententiæ ratio facit, tum vero copula *que*, voci *cælo* adjecta, multo id validius flagitare videtur. *Summam* autem pro imperio vel potestate dici, si quis est qui ignorat, ne grave sit ei adire Burmann. ad Gratii Cyneget. vs. 368. In quem sensum legere, nostra quidem pace, possis *Italicam* vel *Italiæ in summam, &c.* Jam vero Galliam fere omnem Jul. Cæsar novem annorum bello subegit. Quæ quidem qua citerior, audit 'Togata,' quod sumpta toga ad Romanorum societatem, mores et instituta se vel ultro adplicavit. Illa vero toga, nobilioribus sane ordinibus propria, vocatur 'prætexta.' Unde in hoc, qui in dubium plane merito venit, loco legendum putamus *prætextis*, e vestigiis priscæ scripturæ *precensis* vel *prætentis.* Hispania vero bellis, intra ducentos et ultra annos fere perpetuis, Romanorum tandem imperio subjecta fuit. Cujus rei causa rescribendum in Nostro *bellis*, ut casu ablativo, τῷ *prætextis* respondeat, et utrumque cum seq. *adjungitur* necti commode possit. Operæ pretium erit ad hæc conferre Tacit. Annal. XI. 23. 24. Itaque totum locum, donec probatiorum Codd. auctoritate nostra conjectura vel firmari vel corrigi possit, cape sis ita constitutum: *Gallia prætextis, Hispania maxime bellis Italiam in summam, quam rerum maxima Roma Imposuit terris, cæloque adjungitur ipsa.* Sensus, opinor, ex iis quæ disputata nobis sunt hactenus, satis liquidus. Illud *maxime*, si velis, ad utrumque licebit membrum referre. *rerum max.* scil. publicarum, cujus exempla ubivis fere obvia. Ausonio Gallo: 'Caput rerum Roma.' *imposuit terris*] Præclare Rutil. I. 77. sq. summis Romam laudibus exornans, inter alia: 'Tu, quoque legiferis mundum complexa triumphis Fœdere communi vivere cuncta facis.' *cæloque adscribitur ipsa*] cum Julii Cæsaris nomine, Divis jam tum adscripti, tum Cæsaris Augusti, cælo olim recipiendi. Ipsam dicit Urbem Divis adscriptam. *cælum* pro Diis: vid. not. ad I. 764. Diserte Martialis XII. 8. 1. 'Terrarum Dea gentiumque, Roma.' Inscriptiones Veteres apud Scaligerum: DEA. ROMA. SACERDOS. DEÆ. ROMÆ. His adde Rutil. I. 48. cui 'Inter sidereos Roma recepta polos.' Idem mox vs. 79. ad Urbem: 'Te, Dea, te celebrat Romanus ubique recessus.'' *Stoeb.*—694 'Sic Gemb. et

NOTÆ

695 *Imposuit terris*] I. e. totius universi dominam fecit.

Hos erit in fines orbis pontusque notandus,
Quem Deus in partes per singula dividit astra,
Ac sua cuique dedit tutelæ regna per orbem,
Et proprias gentes atque urbes addidit altas,
In quibus exercent præstantes sidera vires.
Ac velut humana est signis descripta figura;
Et, quanquam communis eat tutela per omne

fertur. Terra et mare erunt describenda in hos terminos, quem utriusque globum Deus distinxit sic in suas partes, et in sua quæque signa, et tribuit unicuique tutamini sua imperia per terrarum orbem, adjunxit et suos populos et suas civitates insignes cuique sideri, in quibus signa tribuerent præcipuas suas virtutes et affectiones. Et sicut forma corporis humani distributa est suis signis, ita ut, quamvis

············

Voss. *summa*. Lips. *in summam*; quod magis placet Huetio.' *Bent.*—696 Vulg. *Hic e. in f.* 'Hoc legebat Gembl. Sed alia manu erasum, et *Hos* super scriptum, ut et nos olim emendabamus.' *Scal.* 'Paris. et Regiom. *Hic .... vocandus.* Gemblac. et Lips. *Hoc.* In illo tamen, notante Scalig. erasum, et alia manu superscriptum *Hos*, quod alteris merito præferendum. Malim vero *vocandus*, vel Auctoris optimi causa, cui hæc *vocare* et *revocare* in deliciis. Vide saltem II. 47. 244. 900. III. 486.' *Stoeb.*—697 'Pro *per*, Libri omnes, *et sing. div.* quod omnino reponendum.' *Idem.*—700 Scal. Delph. et vulg. *efferent.* 'Gemb. *assererent.* Sed puto Manilium scripsisse *exsererent*.' Scal. 'Vetusti quattuor, *assererent.* Mavult Scal. *exsererent.* Repone, *exercent.* Ita II. 455. 'In quîs præcipuas toto de corpore vires Exercent.' et Virg. Georg. III. 229. 'Ergo omni cura vires exercet.'' *Bent.* 'Paris. et Regiom. *efferrent*, quod forte est ostenderent, uti *ferens*, auctoritate Veterum, reddidimus ostentans, I. 779. Cod. vero Lips. et, quos Bentleius recenset, alii nonnulli legunt *adsererent.* Sic quoque Gembiac. legente Scaligero, qui proinde maluit *exsererent.* Præstat vero ceteris illud *exercent*, cujus geminum habuimus supra II. 455.' *Stoeb.*—702 Vulg. *Et quanquam.* 'Lege, *Ut tanquam.* Platice enim omnia signa in totum corpus humanum exercent imperium, et partiliter aliud alii membro. Supra in prima Institutione περὶ μελοθεσιῶν satis dixit: quæ tamen hic necessario repetuntur: quia ut corporis humani, sic orbis terrarum quædam quasi μελοθεσία est, et signorum tutelæ. Sed si ἀναλογίαν servare volebat, oportebat prius orbem terrarum in membra tanquam humana tribuere, ut ejus esset μελοθεσία quædam, et secundum illam τὰ ζώδια suis membris redderentur. Puta si India, verbi gratia, esset caput orbis, ei attribueretur aries; si Arabia, aut quæcunque alia regio

NOTÆ

Ipsa] Sup. Roma, non Italia. Romam enim suam Romani divinitate donarunt. Hinc in veteribus inscriptionibus legitur 'Roma Dea:' 'Romæ Deæ sacerdos.'

696 *Hos erit in fines, &c.*] His 5. vss. concludit hos esse terminos ac fines globi terrarum et aquarum, quibus singulis sua sidera dominentur per regiones et per urbes.

701 *Ac velut humana, &c.*] His 10. vss. rem exemplo confirmat. Sicut enim, inquit, sua singulis corporis humani membris signa dominantur; ita sua signa singulis regionibus præsunt.

Corpus, et in proprium divisis artubus exit:
Namque aries capiti, taurus cervicibus hæret;
Brachia sub geminis censentur, pectora cancro;
Te scapulæ, Nemeæe, vocant, teque ilia, virgo;
Libra colit clunes; et scorpios inguine regnat;
At femina arcitenens, genua et capricornus amavit;

commune tutamen vadat per totum corpus, sit tamen membris singulis distributis in suas peculiares sortes: etenim aries tribuitur capiti; taurus collo; brachia ponuntur sub geminis, præcordia sub cancro; humeri agnoscunt te, o leo; et intestina te, o virgo; libra curat nates; et scorpius dominatur inguini; et sagittarius dilexit

essent brachia, geminis subjicerentur. Eodem modo Minerva Indiæ, Apollo Arabiæ esset tutela. Ita enim esset quædam ratio. Nam τὰ δώδεκα ζώδια Ægyptii et Chaldæi θεοὺς βουληφόρους vocarunt, qui simpliciter dicuntur Græcis δώδεκα θεοὶ, suntque ii, quos disticho comprehendit Ennius, ut habes in iis, quæ in librum secundum notavimus. Atque ut duodecim zodia θεοὺς βουληφόρους, ita et planetas ῥαβδοφόρους, quasi apparitores magistratuum duodecim appellabant. Sed a Manilio nulla hic analogia, nulla mundi μελοθεσία observata, ut infra dicetur.' *Scal.* 'A Scal. hoc est. Repone cum libris omnibus, *Et quamquam.* et mox 708. pro *extet*, *exit*. Ordo est, *Et tutela; quamquam eat communis per omne corpus, et* (etiam) *exit in proprium divisis artubus. Exit*, Lips. Venet. et Voss.' *Bent.* '*Et* (,) *quamquam, &c.*] Ita prorsus, omisso tamen signo distinctionis, Codd. Paris. Lipsiens. forte etiam Gemblac. cumque his Editi Ald. et Prukn. *Ut quamquam* vulgarunt Regiom. et Fayus. At Scaliger, *Ut tamquam:* quia, inquit V. D. ut corporis humani, sic orbis terrarum quædam quasi μελοθεσία est, et signorum tutelæ. Nos equidem recipimus lectionem, *et quamquam*, ceu unice veram. Hoc autem *quamquam*, apodosi propria destitutum, sequente *et*, quod valet *etiam* vel *quoque*, Latine dicitur pro *præterea quod* vel *præterquam quod*. Geminus huic locus apud Tacitum Annal. II. 34. ubi 'commotus est,' inquit, 'Tiberius, et quamquam mitibus verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque ejus impulit, ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent.'' *Stoeb.*—708 '*exit*] non significat oritur, uti I. 836. et IV. 578. sed extenditur vel extendit se. coll. III. 261. Illud *exit* Cod. Lips. servat et Venet. ac Vossianus, legente Bentl. Cod. vero Paris. et Editi vetust. *extat*, quod nolim.' *Idem.*—704–709 'Hos sex vss. in parenthesi legendos omnino putamus, quod magno quoque Scaligero visum est. Quamquam ægre nobis persuademus, eos a Poëta huic insertos loco fuisse. Quid enim, quæso, rei, cur eandem telam in transitu quasi resumat, quam II. 456. sqq. loco scilicet magis idoneo, pertexuit? Non tam erat certe Noster otii verborumque profusus. Quocirca non nos fugit, Andromedæ fabulam Nostro plus iterata vice tactam, copiosissime demum expositam esse v. 538. sqq. Id vero, quis non videt? ingenii non exercendi magis quam probandi causa factum, utque se Astrologum pariter ac Poëtam eximium præstaret.' *Idem.* 'Compara hos vss. cum II. 456. &c. et miraberis poëtæ ingenium cum facilitate et copia.' *Bent.*—708 Vulg. *femur*. Scal. *femina* ex Gemb. 'Et ita

NOTÆ

704 *Namque aries capiti, &c.*] Quod hic summatim memorat de tutela membrorum corporis humani, id fusius explicuit II. 454.

706 *Nemeæe*] Leo.

708 *Arcitenens*] Sagittarius.

Cruraque defendit juvenis, vestigia pisces:
Sic alias aliud terras sibi vindicat astrum.
Idcirco in varias leges, variasque figuras
Dispositum genus est hominum; proprioque colore
Formantur gentes; sociataque jura per artus
Materiamque parem privato fœdere signant.
Flava per ingentes surgit Germania partus.
Gallia vicino minus est infecta rubore.
Asperior solidos Hispania contrahit artus.
Martia Romanis urbis pater induit ora,

coxas, et capricornus poplites; et aquarius tutatur tibias; pisces plantas pedum: ita aliud sidus assumit sibi alias regiones. Ideo gens humana composita est in tot diversas agendi rationes, et in tot diversas formas, et populi tinguntur suo peculiari colore; et concordes leges insunt inter membra cujusque gentis; et notant materiam similem peculiari tamen cognatione. Germania tincta flavo colore crescit in immanes fœtus; Gallia minus est perfusa colore, qui cognatus sit illi: Hispania rigidior inducit membra dura: Genitor mundi dedit vultus Martiales Romanis: et

semper, ubi *femora* in editionibus.' 'Libri nostri, excepto Cod. Lips. *Et femur Arcit.* Hoc declarat alterum, quod in priore etiam institutione Noster usurpavit, II. 463.' *Stoeb.*—716 Vulg. G. *v. nimis est.* 'Gembl. *minus est.* Minus torrida est solis rubore vicino, id est, quia vicinus minus est sol Galliæ, quam Hispaniæ, propterea Gallis Hispani sicciores, atque ideo asperiores. Contra οἱ Κελτοὶ ὑγρότεροι.' *Scal.* 'Sic Cod. Gembl. omnino ex rei veritate, quam firmat Petron. cui Barth. ad locum his Manilii verbis subscribit. Non ergo admittendi Cod. Paris. et Regiom. qui legunt *nimis.*' Stoeb.—718 Scal. Delph. et vulg. *orbis.* 'Nihil muto. Indicabo lectionem scriptam in Gemblacensi, *M. Romanas urbes p. i. o.* eodem sensu. Nam Romanæ urbes Italia. Sic supra 'Italiæ urbes' dixit, et 'Scythicas urbes,' pro Italia et Scythia; et in Sphæra mundi 'nigras urbes,' id est Æthiopas. Græcorum poëtarum est ἄστεα Κελτῶν, id est, Κελτοί· item δῆμος, ἀντὶ πόλεως.' *Scal.* 'Quid est *orbis pater?* Gemb. *urbes.* Lips. et Voss. *urbis;* quod repone. *Urbis pater*, Mars, Gradivus. Juvenal. II. 126. 'O pater urbis, Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde Hæc tetigit,

NOTÆ

709 *Juvenis*] Sagittarius, ut sæpe monui.

711 *Idcirco in varias, &c.*] His 20. vss. seqq. varios cujusque populi colores, varias formas, ac leges refert Poëta in has proprias siderum tutelas. Rem autem longa inductione explicat et firmat.

715 *Flava per ingentes, &c.*] Dicit flavos esse Germanos et proceros.

716 *Gallia vicino, &c.*] Dicit Gallos minus esse flavos quam Germanos. Scilicet quia magis ad solem accedit Gallia. Quo magis ad septemtrionem accedunt populi, eo magis flavescunt eorum capilli.

717 *Asperior . . . Hispania, &c.*] Dicit Hispanos asperiores esse, minusque delicatos. Scilicet quia magis, quam Galli accedunt ad solem, cujus calore populi subrubescunt, et asperiores fiunt.

718 *Martia Romanis, &c.*] In laudem Romanorum dicit iis a Jove da-

Gradivumque Venus miscens bene temperat artus.

intermiscens suum Martem rite temperat membra Romanorum, et agilia Græcia os-

Gradive, tuos urtica nepotes.'' *Bent.* ' Codex Gemblac. legente Scaligero, versum sic refert: *M. Romanas urbes p. i. o.* Ubi *pater* intelligitur *Jupiter*, qui ' Deorum genitor atque hominum sator' audit Phædro III. Fab. 18. Unde non adeo improbanda lectio Cod. Paris. et Regiom. qui habent *orbis pater;* quos ceteri sunt Editores secuti. Cod. Lips. *urbis*, sed literæ u superscriptum *o*, quod curatius annotavit Vierschrotus. Non est ergo, cur suam hujus rei conscientiam dissimulans Bentleius, quærat, Quid est *orbis pater?* Vere quidem Mars Gradivus salutatur ' pater urbis' Juvenali, loco a V. D. producto Sat. II. 126. Quominus autem hic illum admittamus, obstat, quod terna Martis mentio una hac periodo fieret, cujusmodi repetitionibus alias minime indulgere Vir ille criticus solet. *Martia ora*, subadusta, colorem referentia chalybis vel ferri, quod chymici artifices *Martis* nomine signare sueverunt. Simul autem oris gravitatem notat, cum robusta corporis mole conjunctam.' *Stoeb.*—719 Scal. Delph. et vulg. *Gradivumque suum m. b. t. a.*' '' *Suum*,' inquit Scaliger, ' recte: Gemblacensis *genus*, male.' Sed vetusti quoque reliqui *genus* habent. Repone, *Gr.que Venus, &c.* Romani a Marte et Venere ducunt originem; ab illo per Romulum, ab hac per Æneam. Martial. v. 7. de Romanis, ' Parce: sumus Martis turba, sed et Veneris.' *Miscens:* ut Seneca Hippol. 659. ' Est genitor in te totus: et torvæ tamen Pars aliqua matris miscet ex æquo decus.'' *Bent.* ' Non incommode mutasse videtur Bentleius *suum* vel *genus*, quod præ se ferunt Libri vetusti: illud quidem impressi, hoc manu exarati omnes. Romani, quod conjecturam viri docti firmare omnino videtur, a Marte et Venere ducunt originem: ab illo per Romulum, ab hac per Æneam. *Miscens*] uti Seneca Hippol. vs. 659. [vide sup.] Hæc tametsi bene sunt constituta, tamen, cum cogito, nihil quicquam absurdi vetus lectio habet, præsertim si verum est, ut esse potest, versu præcedente *orbis patrem* seu *Jovem* Nostro memorari. Quapropter rescribendum puto, *Gr.que suum miscens, &c.* Quod dictum videtur pro, *Gradivum suumque miscens.* Particula enim *que* metri causa locum mutat sæpissime. Sensus est: Et Jupiter addens de suo scil. genere vel elemento, igne puta, martiale illud corporis ingenium, mobilius et ad gradiendum facilius, i. e. agilius reddit. Hoc est quod dicit Auctor, *bene temperat artus.* Ferrum enim igne temperatur. In eandem fere sententiam Vitruvius VI. 1. scripsit: ' Quemadmodum Jovis stella inter Martis ferventissimam et Saturni frigidissimam media currens temperatur, eadem ratione Italia inter Septentrionalem meridianamque ab utraque parte mixtionibus temperatas et invictas habet laudes.' Quomodo autem *temperatas* tribuit *laudes* Italiæ, cui summæ ab Auctore debentur Romano? Quanam item ratione *temperatas et invictas laudes* conjungit? Aut omnia fallunt, aut dedit certe politissimus scriptor, *Italia temperata est et invictas habet laudes.* Idem plane et geminum mendum loco insedit infra cit. ad vs. 731. sq. Ceterum quod nostri Mss. ferunt, *genus*, videtur esse glossatoris: qui cum intelligeret, voci *suum* non aliam aptari

NOTÆ

tos vultus, non flavos, ut Germanis, non subflavos, ut Gallis, non minus adustos, ut Hispanis, sed Martios, et subadustos.

719 *Gradivum*] Martem. Gradivus enim cognomen est Martis, vel a *gradiendo*, quia per gradus itur ad bellum, vel ἀπὸ τοῦ γραδεύειν, *a vibrando hastam:* vel, quod verius crediderim, a voce Thraca, quæ bellicosum et fortem significat.

Perque coloratas subtilis Græcia gentes
Gymnasium præfert vultu, fortesque palæstras.
Et Syriam produnt torti per tempora crines.
Æthiopes maculant orbem tenebrisque figurant
Per fuscas hominum gentes. Minus India tostas

tendit in vultu suorum populorum coloratorum gymnasium et robustas suas palæstras: capilli autem crispi circum tempora manifestant Syriam: Æthiopes vero contaminant orbem terrarum et genus hominum, qui maculati sunt nigris coloribus:

posse commodius, hanc forte sui codicis oræ adlevit, quæ postea in versum recepta τὸ *suum* loco deturbavit. Quocirca observare juvat, hoc *Gradivus*, quod a *gradiendo* communiter, et, uti videtur, rectius derivant, proprie adjectivis accensendum esse, sicut *Mulciber*, i. e. Vulcanus. Quo nomine Macrobius Saturn. VI. 5. ea recenset tanquam 'epitheta, quæ a Virgilio ficta creduntur, sed a veteribus sunt tracta.' Exemplum quod in Macrobio desideras, occurrit Æneid. III. 35. 'Gradivumque Patrem,' ubi vide Servium.' *Stoeb.*—723 'Ita Scaliger ex Gemblac. cui hic merito postferendus Lips. qui legit *urbem*. Cod. Paris. *terrisque figuris:* lege *tetrisque*, quod Fayus ex ingenio feliciter restituit. Regiom. *terrasque figuris*. Vulgati ceteri, *terrasque figurant*.' Idem.—724 Scal. Delph. et vulg. *Perfusas*. 'Quænam illæ *perfusæ gentes?* Repone, *Per fuscas hominum gentes*. Æthiopes maculant orbem *per fuscas gentes;* ut versu 720. 'Græcia gymnasium præfert per coloratas gentes.' *Bent.* Ibid. Scal. et vulg. *minus India tostis Pr.* 'India progenerat homines non tostos, ut Æthiopas, sed minus tostis. Hunc colorem Galli et Itali olivastrum vocant, medium quidem inter fuscum, qualis est Hispanorum et Afrorum, et tostum, qualis Æthiopum: ideo subjicit, *mediumque facit moderata tenorem*.' Scal. 'Vetusti sane quatuor, *tostis*. 'Elegantissime,' inquit Scaliger; 'non tostos progenerat, sed minus tostis.' Si hoc ex animo dixit, quid credas, aut cui credas? Repone cum recentioribus libris, *tostas Pr. minus tostas gentes*, quam fuscæ illæ Æthiopum sunt.' *Bent.* 'Gemblac. legente Scalig. et Lips. *Perfusas hominum gentes;* quos reliqui editores sunt secuti, præter Regiom. qui cum Cod. Paris. *Perfusos homines*

NOTÆ

720 *Perque coloratos, &c.*] His 2. vss. ait Græcos esse adustos ex solis ardore, et ex pulvere gymnastico. Græci quippe olim in genere palæstrarum præcipue excelluere. Pugiles etiam apud illos ungebant se ad solem, ut oleo et solis ardore corpus imbiberetur. Juvenal. Sat. XI. 203. 'Nostra bibat vernum contracta cuticula solem.'

721 *Gymnasium*] Locus erat, in quo fiebat exercitium, sed in quo præsertim nudi palæstritæ exercebantur.

Palæstras] Palæstra vel luctatio est, vel locus in quo luctationibus, cursu, aliisque ludis adolescentes exercebantur præsertim apud Græcos.

722 *Et Syriam, &c.*] Docet Syrios, qui populi sunt Asiæ inter Euphratem, Arabiam, Ægyptum, et mare Mediterraneum, crines habere crispos, præ nimio solis æstu, cui subjacent.

723 *Æthiopes maculant orbem, &c.*] Dicit Æthiopas Africæ populos esse nigro colore. Toti quippe nigrescunt; unde illud proverbium, *Αἰθίοψ οὐ λευκαίνεται, Æthiops non albescit.*

724 *Minus India tostas*] Indi minus sunt adusti, sed fuscum inter et tostum olivastrum, quem vocant, habent colorem, quia minus sub sole jacent.

Progenerat; mediumque facit moderata tenorem.
Jam proprio tellus gaudens Ægyptia Nilo
Lenius irriguis infuscat corpora campis.
Phœbus arenosis Afrorum pulvere terris
Exsiccat populos. Et Mauritania nomen

India procreat gentes minus adustas, et quia temperata est reddit medium colorem: at terra Ægyptia, quæ vicinior est, et quæ irrigatur Nilo, minus adhuc maculat corpora hominum, qui degunt in agris illis irrigatis a Nilo: Carthaginiensis adurit suo pulvere gentes in campis arenosis Africorum; et Mauritania ducit nomen a

gentes, &c. Sana erit lectio, si hæc cum præcedentibus jungas. Neque aliter discrepantes illæ lectiones conciliari videntur posse, nisi distinctione hunc in modum disposita: *Æt. m. o.: tetrisque figuris Perfusos homines, gentes minus India tostas Pr. &c.* Ad signandos *nigro colore Æthiopes* satis est dixisse, eos maculare orbem, similem fere in modum, quo maculæ, quæ in luna, vel in solis orbe observari dicuntur. Quæ autem sequuntur, hoc sibi ordine jungenda: India progenerat homines tetris figuris perfusos, i. e. permixtos, et gentes minus tostas, scil. quam Æthiopes. Hujus interpretationis auctor apud nos est Plinius, qui VII. 2. ex veterum commentis varia hominum monstra prodit, quæ in montibus Indiæ aluntur.' *Stoeb.*—726 Scal. Delph. et vulg. *Jam propior tellusque natans Æ. N.* 'Hæc corrupta sunt. *Propior:* cui regioni propior? cur hoc tacetur? *Tellusque:* ne in puero quidem ferendum est *que* ultra suam sedem trajectum, pro *Jamque propior tellus.* Vossianus, *proprior.* Repone, *Jam proprio tellus gaudens Æ. N.* Jure quidem *gaudens* Nilo, qui Ægypto *proprius* est, nec ullam aliam regionem rigat. Noster de aquario, IV. 354. 'Fontibus æternis gaudens urnaque fluenti.'' *Bent.* 'Vetus et constans est lectio, *Jam propior tellusque natans Æ. N.* Quæ quidem longe aptius sunt concinnata, quam quæ ad ea confutanda disputat Bentleius. 'Hæc,' inquit, 'corrupta sunt. '*Propior:* cui regioni propior? cur hoc tacetur?' Atqui respondet vs. seq. ubi, 'Lenius infuscat corpora,' ex quibus oppido liquide, nobis quidem, adparet, comparative loqui Poëtam de India et Ægypto, quarum hanc illi dicit propiorem esse, i. e. propius accedere, non situ, sed colore hominum. Mutavit Bentleius *tellusque natans,* idque vel ob solam trajectionem voculæ *que,* cujus tamen exempla in Nostro et aliis Poëtis extant plurima, nisi illam prorsus otiosam hoc loci putes. Quo quidem tantum ille fecit, ut insigni Noster elegantia privaretur, quam summo jure reposcit vs. 752. ubi 'et tellus Ægypti jussa natare.' Nilus enim in terram redundans facit ut segetes et terra ab inundatione libera innare flumini videantur. Pari venustate Virgil. Æneid. VIII. 691. 'pelago credas innare revulsas Cycladas,' &c.' *Stoeb.*—728 Scal. Delph. et vulg. *Pœnus.* 'Portentum hoc est; Pœnus, populus Carthaginiensis, exsiccat populos Afrorum. O dura ilia, quæ hoc concoquere potuerunt. Repone, *Phœbus.*' Bent.—729 'Nihil muto. Mallem

NOTÆ

726 *Tellus Ægyptia, &c.*] Ægyptios ait esse minus nigros, quam Æthiopes. Ægyptum autem irrigat quotannis Nilus, ut monui I. 44. et III. 272.

728 *Phœbus* [*Pœnus*] *arenosis, &c.*] Afros ait esse tostos et adustos, cum ardore solis, tum arenis siccis. Pœnus igitur, seu Phœnus, i. e. Carthaginiensis. Carthaginienses enim orti dicuntur a Phœnicibus Tyriæ populis, qui duce Didone in Africam appulerunt, et urbem Carthaginis condiderunt.

729 *Mauritania*] Africæ regio ex-

Oris habet, titulumque suo fert ipsa colore.
Adde sonos totidem vocum, totidem insere linguas,
Et mores pro sorte pares, ritusque locorum.
Adde genus proprium simili sub semine frugum,
Et Cererem varia redeuntem messe per urbes,
Nec paribus siliquas referentem viribus omnes:
Nec te, Bacche, pari donantem munere terras,

vultu suorum, et ipsa habet nomen suum a colore gentium suarum. Adjunge totidem diversos sonitus vocum, et immisce totidem diversas loquelas, et similia studia, pro ratione loci et habitus regionum. Adjunge peculiarem speciem fructuum sub pari tamen semine, et Cererem frugum Deam, quæ redeat per orbem terrarum sub diversa messe, et quæ non reddat cunctas siliquas frugum cum similibus roboribus: et te, o Bacche, qui non ornes terras ubique simili dono, et qui reddas diversos racemos diversis jugis

tamen, si Codicum auctoritate liceret, *Exugit pop.* Quæ vox parili ratione Vitruvio usurpatur VI. 1. ubi de populis meridionalibus: 'simul ad fortitudinem ingrediuntur, ibi succumbunt, quod habent exuctas ab sole animorum virtutes.' Equidem vero de hujus conjecturæ veritate tecum contendere nolim; tametsi non obscura ejus vestigia legere licet in Cod. Paris. qui in contextu habet *exicat*, in margine, pro varia lectione, *exurat*, utrumque mendose. Hoc autem *exurat* a Librario in locum illius *exugit*, quod minus obvium, substitui facile potuit. Quocirca certior nobis suboritur suspicio, scriptum in prisco quodam Codice fuisse *exurit*, quod rei et sententiæ pariter ac illud, *exugit*, conveniens est, et Phædro usitatum I. 6. ubi rana de Sole: 'Nunc omnes unus exurit lacus.' *Et Mauritania nomen Oris habet*] Cod. Lips. scribit *Mauretanea.* Secundam vocalem in secunda hujus vocis syllaba defendit Pierius, ex numo Adriani, ad Æneid. IV. 206. quocum conferre possis Corv. ad Sallust. Catil. cap. 21. Innuit Noster Mauritaniam dici a *μαυρὸς*, q. e. *niger.*' Stoeb.—731 et sq. 'In Cod. Lipsiensi non leguntur. Utrumque tamen agnoscit Ms. Paris. et cum Regiom. Editi vetusti omnes. Ad rem plane Vitruvius V. 1. 'Non minus,' inquit, 'sonus vocis in generibus gentium dispares et varias habet qualitates.' Minus heic venuste legi videtur, *dispares et varias.* Videndum an non oporteat sic: *dispar est et varias, &c.*' Idem. —734 Scal. Delph. et vulg. *orbem.* 'Melius vetusti quattuor, *urbes.*' Bent. 'Sic Cod. Lips. *per orbem* Cod. Paris. Regiom. aliique, quibus equidem non dubito accedere. Redit enim messis *per orbem* scil. anni, nec tamen quovis

NOTÆ

trema versus Gaditanum fretum, a voce Græca *μαυρὸς*, *niger.* Nigros enim habet colonos. Dividitur nunc in hæc tria regna, 1. *de Dara.* 2. *de Fez.* 3. *de Maroc.*

731 *Adde sonos totidem vocum, &c.*] His 11. vss. referendas quoque ait diversas gentium voces ac loquelas, diversos mores, diversa frugum genera, diversas uvas, diversos arborum fructus, diversas pecudum ac ferarum facies, atque alia ejusmodi in hasce siderum tutelas per diversa terrarum loca.

734 *Cererem*] Frugum Deam, quæ pro ipsa messe ac segete sumitur, II. 22. Quod autem Poëta noster refert hic de varia frugum messe, id eleganter et Virg. Georg. I. 54. et seqq. et Sidon. Apoll. paneg. ad major. Aug.

736 *Bacche*] Bacchus vini Deus

Atque alias aliis fundentem collibus uvas:
Cinnama nec totis passim nascentia campis:
Diversas pecudum facies, propriasque ferarum,
Et duplici clausos elephantas carcere terræ.
Quot partes orbis, totidem sub partibus ora;
Ut certis descripta nitent regionibus astra,
Perfunduntque suo subjectas æthere gentes.

montium: nec cinnama crescentia ubique in omnibus agris: et varias formas pecorum, et peculiares figuras belluarum, et elephantas, qui reperiantur tantum in duabus partibus terræ. Denique tot videntur esse diversi orbes in singulis partibus, quot sunt partes orbis: et sidera distributa lucent per suas quæque regiones, et imbuunt aquis suarum affectionum populos, qui sub ipsis jacent. Aries v. g. quia ha-

anno eadem se commendat ubertate, vel frugum bonitate.' *Stoeb.*—741 Scal. Delph. et vulg. *totidem sub partibus orbes.* '*Æ*nigma sane hoc: quod nemo tamen explicare aggressus est. Ego, cum non sim Œdipus, sic potius repono, *totidem sub partibus ora.* Quot partes orbis sunt, totidem *ora*, facies, colores hominum. Sic commode hæc cum superioribus cohærent.' *Bent.* 'Libri omnes reclamant *orbes*, scil. astrorum, quorum regimini singulæ terrarum orbis partes sunt subjectæ. Hunc sibi expetunt nexum ea quæ statim sequuntur: 'Ut certis descripta nitent regionibus astra,' &c. Absque enim illo nexu esset, ex abrupto quasi sequens tractatio subjiceretur. Quamobrem malim hoc loci pro *Ut* legere *Et*, quod Libri omnes agnoscunt.' *Stoeb.*—742 Scal. Delph. et vulg. *Et certis.* 'Immo *Ut certis: ora hominum* variantur, *ut*, prout regiones certis astris subjectæ sunt.' *Bent.* Ibid. vulg. *rationibus*, 'Scribe *regionibus.* Error a veteri scriptura *recionibus.* Nam *τὴν χωρογραφικὴν* hic iunui fidem fecerit *τὸ καθόλου τῆς κοσμογραφικῆς*, quod præmisit: cujus pars *χωρογραφία.*' *Scal.* 'Non repugnat sententiæ, sed librorum scripturæ, qui ferunt consensu, *rationibus*, non autem *recionibus*, quem errorem Scaliger finxit emendandi causa. Pro *descripta* Membranæ Lips. ferunt *discripta.* Hæc autem scriptio nihil ad sensum. Est enim pro *divisa, distributa*, uti supra vs. 701. Conf. Cort. ad Plin. Epist. II. 62.' *Stoeb.*—743 Scal. Delph. et vulg. *æquore.* 'Doctissimus Huetius, 'Quod *æquor*,' inquit, 'Manilius; Firmicus *influxus* dixit; nos vernacule *influentias* dicimus.' Sane hoc ducit ipsa sententia; sed verbum eo pertingere nequit, Quo enim exemplo, qua imagine vel metaphora, *æquor* erit *influxus?* Repone, *æthere.* Æthere, vel aëre. Noster II. 357. de signis trigonis, 'Aëraque

NOTÆ

creditur. Hinc et pro vino et vindemia usurpatur, II. 20. et 21.

738 *Cinnama*] Cinnamum, vel cinnamomum, præstans est aroma, quod præsertim in Panchaia Arabiæ regione nascitur. Gallice, *de la cannelle.*

740 *Duplici carcere terræ*] Nimirum in Africa et Asia. Nulli enim in Europa nascuntur elephantes, Quint. Curt. VIII.

742 *Ut certis descripta, &c.*] His 2. vss. docet igitur certis quæque suis terrarum regionibus præesse signa, quæ suis affectionibus, quas influentias vocant, regiones illas afficiant.

743 *Perfundunt suo æthere* [*æquore*] Metaphora ab aquarum infusione desumta. I. e. suis affectionibus donant et afficiunt. Ptolem. II. quad. c. 2.

Laniger in medio sortitus sidera mundo
Cancrum inter gelidumque caprum per tempora veris

bet stellas suas in medio mundo inter frigidum Caurum in tempore veris tepentis, vindicat in sua jura mare, quod ipse superaverat, quando detulit ad oras fratrem,

infectum nostras demittit ad auras.'' *Bent.* 'Metaphora ab aquarum infusione desumpta. Ejusmodi enim naturæ aër est, qui pro diversa cæli inclinatione vario homines modo afficit, corporisque pariter et animi ingenium sua, ut dicam, influentia format. Ad hanc vero rationem ista referunt οἱ φυσιολογοῦντες, qui missis Astrologorum ineptiis, in rei veritatem inquisivere. Cicero de Nat. Deor. II. 6. 'Anne hoc quidem,' inquit, 'intelligimus, omnia supera esse meliora? terram autem esse infimam, quam crassissimus circumfundat aër? ut ob eam ipsam causam, quod etiam quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus, hebetiora ut sint hominum ingenia propter cæli pleniorem naturam, hoc idem generi humano evenerit, quod in terra, hoc est, in crassissima regione mundi, collocati sint.' De his autem fusius, et pro instituti ratione curatius egit Vitruvius loco hactenus sæpe citato.' *Stoeb.*—744 'Cod. Paris. cumque hoc Regiom. et reliqui Editores, *sortitur.* Non male. Neque enim contra Nostri est scripturam, ut tria verba finita, totidemque periodi, absque ulla copula se excipiant.' *Idem.*—745 Vulg. *Cancrum inter.* 'Non leve mendum, neque cuivis manifestum, nedum emendandum. Vera lectio, *Caurum inter gelidum tepidi p. t. v.* [et sic Delph.] Hic non excusamus audaciam Bonincontrii, qui textum hunc ita depravavit: *Cancrum inter gelidum per tempora vertitur axis.*' Scal. 'Pro *cancrum* dedit Scal. *caurum.* Mirifica sane conjectura. *Inter caurum* et quem ventum alium? Nullum. Sensit hoc Huetius; ideoque explicat *inter caurum*, flante cauro; quasi cum dicimus 'inter epulas,' 'inter cenam,' 'inter opus.' Atqui repugnat usus et mos loquendi. Quid sententia ipsa? negat arietem medium orbem non tenere, nisi si caurus flaverit. Illud *tepidi* ab interpolatore est. Gembl. sic: *Cancrum inter gelidumque p. t. v.* Sic plane Lipsiensis et Vossianus: nisi quod ille pro *veris* habet *verxis*, hic *versis.* Repone, *Cancrum inter gelidumque caprum p. t. v.* Pro capricorno, nota scribebatur ♑, qua capricornus significatur. Hanc cum vel omitterent librarii, vel *capricornum*, non *caprum*, substituerent, versus hoc respuebat; et idcirco lacuna relicta est. At capricornus etiam *caper* appellatus est, ut II. 179. 'Bina ut lanigero, chelis, cancroque, caproque.' et 659. 'Ver aries, Cererem cancer, Bacchumque ministrans Libra, caper brumam geni-

NOTÆ

744 *Laniger in medio, &c.*] His 9. versibus docet arietem dominari Hellesponto mari, ac Propontidi, Syriæ, Persidi, et Ægypto. De arietis autem tutela ista non consentiunt auctores. Namque Ptolemæus II. quad. c. 3. sub arietis tutelam ponit Britanniam, Galliam, Germaniam, et Palæstinam: Hipparchus, teste Scaligero, Thraciam, Babyloniam, et Armeniam.

In medio sortitus sidera mundo, &c.] Loquitur Manilius ad eorum opinionem, qui mundi primam genituram retractantes medium cœli sub ariete positum esse voluerunt, dum conditus est mundus. Hinc sub æquinoctio verno conditum mundum credidererunt multi tum sacri tum profani scriptores.

745 *Cancrum* [*Caurum*] *inter gelidum*] Caurus ventus est, ut monui vs. 588. ab occasu flans, inter Favonium et Boream. Hic autem versus inutilis esse videtur, aut omnino corruptus. Ut enim explicaret Poëta

Asserit in vires pontum, quem vicerat ipse,
Virgine delapsa cum fratrem ad littora vexit;

cujus soror puella cecidit in mare, et flevit pondus suum diminui, et dorsum suum

tosque ad frigora menses.' Et sic Lucanus aliique.' *Bent.* 'Hæc tam sunt ab Auctoris sensu aliena, quam ab ejus scriptione diversa. Vin' ipsam ejus manum exhibeam tibi? Cod. Paris. et impressi principes universi eam referunt his: *Cancrum inter gelidum* (*per tempora vertitur axis.*) Eandem fideliter descripsit bonus Bonincontrius, quem eapropter ab injusta Scaligeri criminatione cupimus solutum, quasi textum ille depravasset. Quin maximopere vereor, ut summus ille Vir aliorum reprehensionem detrectare, suamque non nimis licentiosam mutationem excusare, nedum defendere ulla ratione possit. Ille enim, quasi mentem Auctoris minus recte percepisset, ita vulgavit: *Caurum inter gelidum tepidi p. t. veris.* Quorum quidem tædio, forsan et indignatione, commotus Cl. Bentleius, et ipse præconceptæ magis opinioni suæ, quam veræ lectioni studiosus, unam interpretationem altera *caprum* puta, commutavit. Bene est, quod in subsidium vocavit Gemblac. Codicem, cujus hæc est lectio, *Cancrum inter gelidumque per t. v.* Quæ quidem utut a metro, ex duplici potissimum capite, damnetur, illi tamen, vel ob solam vocem *veris*, suæ nimirum opinioni maxime faventem, non omnino displicuit: præsertim, quod consensus Cod. Lips. et Vossiani nonnihil auctoritatis illi conciliare videbatur. Ipso autem V. C. connotante, Cod. Lips. habet *verxis* pro *veris*, (fidem facit Vierschrotus; at vel tacendo negat alter Vir doctus, cujus indice juvamur.) Vossianus item non *veris* legit, sed *versis*. Quodsi dedisset Auctor, vel si Codicis ullius fide legere liceret: *Cancrum interque gelu per signa et t. v.* haberent sane Viri docti dilucide expressam, quam hic quærunt sententiam suam: Arietem medium tenere, uti signi positione, sic aëris quoque temperie, inter hibernum frigus et fervorem æstivum. At enim hæc opinio, utut vero maxime consentanea, et alibi Nostro tradita, hujus loci non est. Neque enim illud *gelidumque* protinus *capricornum* requirit, quem ingeniosissimus ille scripturæ compendiorum artifex, non nobis, at sibi figuravit. Sed hoc *gelidum* ad ipsum cancrum referri potest, et omnino debet. Hic enim suapte natura tam est gelidus, quam 'nati ad frigora pisces.' Quod habent nonnulli Codices, *que*, non Auctoris est, sed scioli cujusdam glossatoris, in eadem cum ceteris opinione versati. Indicavit autem doctiss. Scaliger, nostro cum maxime commodo, Manilium pariter ac Ptolemæum τὴν οἰκουμένην in quatuor tetrantes describere, sed diverso instituto. Hic enim per trigona signa distribuit regiones: ille autem per signorum consequentiam. Quæ quidem verissime sunt disputata Scaligero: verum addere non debuisset V. D. quod contra Nostri est institutum et rationem, ipsum per tetrantes signa, orbemque signis distribuere; quin potius per trientem, qui quatuor signa comprehendit, hoc aperte lectio notat, quam nostrorum librorum beneficio reddimus tibi: *L. in m. sortitur s. m. Cancrum inter gelidum* (*per tempora vertitur axis.*) Ordo et sensus: Laniger sortitur, i. e. in tutelæ societatem adsciscit sidera in mundo medio, q. d. ea zodiaci signa (coll. not. præced.) quæ sunt inter cancrum gelidum, suppletis,

NOTÆ

bene sortitum esse arietem suas stellas in medio mundo inter gelidum Caurum, debuit addidisse *et Vulturnum*, qui ventus est Cauro oppositus ab ortu spirans. Sic enim bene notaret medium mundum.

746 *Pontum, quem vicerat, &c.*] Hellespontum; alludit enim Poëta ad fabulam quam retulimus II. 34.

747 *Virgine delapsa*] Nimirum Hel-

**Et minui deflevit onus, dorsumque levari.
Illum etiam venerata colit vicina Propontis,
Et Syriæ gentes, et laxo Persis amictu,
Vestibus ipsa suis hærens, Nilusque tumescens
In cancrum, et tellus Ægypti jussa natare.**

exonerari. Propontis contermina venerabunda veneratur quoque illum; et populi Syriæ; et Persis ipsa quæ amplam gerit togam, et quæ ipsa stat suis vestimentis; et Nilus exundans sub cancro; et terra Ægypti, cui datum est innatare aquis Nili.

---

et ipsum arietem. Primum ergo trientem constituunt aries, taurus, gemini, cancer. Hunc vero cancrum ad eandem pertinere rationem, nobis quidem certo persuademus, tum quod Noster statim Nili mentionem facit, qui sub cancro et ejus confini sidere cane intumescit; tum vero quod sublucide addit, *per tempora vertitur axis;* quæ quidem verba, quod citra sententiæ incommodum abesse possent, uncis parentheseos includenda putamus. His autem accuratius definit consequentiam signorum. Quapropter ita sunt tibi accipienda: *Axis* scil. illorum signorum, seu motus quo feruntur, *vertitur*, i. e. tendit *per Tempora*, quod majuscula litera, more quidem hodierno, scribendum. Quænam autem illa *Tempora?* Circuli Nostro his notantur æquinoctialis et tropicus cancri. De hoc quidem disertissime I. 570. 'Æstivi medio nomen sibi sumit ab æstu Temporis et titulo potitur,' &c. Alterum autem non minus clare signat paulo post hunc, in quo nostra versatur disputatio, locum, versu nimirum 772. ubi de libra, quæ alterum æquinoctiale punctum occupat in æquatore: 'Tempora quo pendent, coëunt quo noxque diesque.' Siquidem hic Bentleianæ lectioni satis fidei constat, quod suo loco dispiciemus.' *Stoeb.*—746 'Cod. Paris. et Regiom. *in vices*, pro vicissim. Quæ autem in his Libb. sequuntur, *positumque eviceret ipsa*, nulli plane bono sunt. Retinendum utique *pontum;* siquidem ab Helle, Phrixi sorore in illo demersæ, nomen est adeptus Hellesponti. De quo Ovid. Heroid. Epist. XIX. 161. sqq. et Noster his, quæ statim subjicit vs. 747. sq. 'Virgine delapsa cum fratrem ad littora vexit, Et minui deflevit onus, dorsumque levari.'' *Idem.*—750 'Recte, *laxo*. Nam quod habet Cod. Paris. *lapso*, tametsi pro demisso sumi posset, suo tamen jure in vitio ponendum. *Laxo* videtur hic sonare *prolixo*. Quales omnino Persarum tunicæ manicatæ, quas Græci χειριδωτοὺς vocant. De his Brissonius de Reg. Pers. princ. pag. 80.

NOTÆ

le Phryxi sorore, vss. 520. 618. et II. 34.

Fratrem] Phryxum Helles fratrem, vs. 618. et II. 34.

749 *Propontis*] Vs. 619.

750 *Syriæ gentes*] Syria Asiæ regio, vs. 724. Hanc autem regionem arieti subjicit Poëta, propter Tyrum et Sidonem ejusdem regionis oppida, quæ conchylio et purpura, lanarumque tinctura celebrantur.

Persis] Vel Persia, Asiæ regio celeberrima, cujus populi lanificii et vestificii studiosi sunt. Hi autem longas togas gerunt, unde ait Poëta illos quasi suis vestibus stare.

751 *Nilusque tumescens In cancrum*] Sic III. 634. 'Nilusque tumescit in arva, Hic rerum status est, cancri cum sidere Phœbus Solstitium facit,' &c.

752 *Tellus Ægypti jussa natare*] Sic vs. 726. 'Tellusque gaudens Ægyptia Nilo.'

Taurus habet Scythiæ montes, Asiamque potentem,
Et molles Arabas, sylvarum ditia regna.
Euxinus Scythicos pontus sinuatus in arcus
Sub geminis te, Phœbe, colit post brachia fratris;
Ultimus et colit hos Ganges et decolor Indus.

Taurus assumit sibi colles Scythiæ, et potentem Asiam, et effæminatos Arabes, et regiones divites sylvis odoriferis. Pontus Euxinus, qui curvatur in arcus Scythicos, veneratur te, o Apollo, sub ipsis geminis: Gangitis vero pars prima sita est extra brachia tui fratris, o Apollo. India veneratur cancrum: Æthiopes aduruntur a

§ 60. et quos ibi excitavit, Strabo xv. et A. Gell. vii. 12.' *Idem.*—755 sq. 'Huc sensus usque loci pertinet. Quis autem non miretur, castissimas Bentleii aures illa ferre ὁμοιοτέλευτα potuisse, *Euxinus, pontus, sinuatus, arcus?* Quæ si ita reliquit Auctor, eum certe dormitasse, cum D. Heringa, confitemur. Cum autem Nostro enallage numeri non fere nisi urgente metri necessitate usurpata, neque illa hoc loci ad elocutionis dignitatem facere videtur, illum, fas est, credamus dedisse: *E. Scythicum p. s. in arcum.* Consimiliter Plinius, cujus modo verba recitavimus ad vs. 626. et Flaccus iv. 'Atque hoc Europam curvis anfractibus urget, Hæc Asiam, Scythicum specie sinuatur in arcum.' Quod porro Noster ait: *Sub geminis te Phœbe colit* (.) sic concipiendum, colit te, sol, versantem sub principio geminorum. Navigatores enim Euxinum frequentantes pontum, Castorem venerantur et Pollucem; non vero Apollinem, quem vel maxime invitum in scenam h. l. Scaliger producit. Ita quidem pessime accepto hactenus loco succurrendum videtur.' *Idem.*—757 Vulg. *Ultimus et solitus Ganges. colit India Cancrum.* 'Ubi est Ganges, ibi proculdubio et India. Quomodo igitur Ganges et India diversis signis attribuuntur? Sane τὸ *Ganges* est infarctum, et in Gemb. versus est ὑπέρμετρος uno pede integro: *Ultimus et solidos Ganges et transcolit India Cancer.* Tolle *Ganges,* importune huc infultum. In reliquis videbis veram lectionem minima immutatione: *Ultimus ex solido tetrans. Colit India Cancrum.* Euxinus igitur alteri geminorum: ultima pars reliqui tetrantis ex solido datur alteri. Ultimum tetrantem dixit, quomodo primus aquarius, primi gemini, hoc est, prima pars aquarii, geminorum. Sic Jurisconsultus primum, secundum

NOTÆ

753 *Taurus habet Scythiæ, &c.*] His 2. vss. ait sub tauro jacere Scythiam, Asiam, et Arabiam. Scythia septemtrionalis est regio, quæ nunc *Tartaria* dicitur, cujus coloni, teste Justin. ii. armenta aut pecora semper pascunt, aut per incultas solitudines errare solent. Hinc tauro subjici vult illos Manilius.

754 *Molles Arabas*] Arabia Asiæ est regio, de qua vs. 655.

755 *Euxinus Scythicos, &c.*] His 2. vss. cum dimidio docet sub altero geminorum jacere pontum Euxinum; sub altero Gangetem fluvium. De ponto Euxino diximus vss. 518. 618.

Scythicos in arcus, &c.] Duo quippe sunt Euxini ponti promontoria ad oras Scythiæ, quæ in mare ita reducuntur, ut arcus similitudinem videantur imitari.

756 *Phœbe*] Apollo. Duo enim gemini quibusdam dicuntur, Apollo et Hercules: aliis vero Castor et Pollux, ut monui i. 165. not.

757 *Ultimus et colit* [*est positus*] *Ganges*] Sic restituendum fuit. Recte enim ultimus Ganges ponitur sub

Ardent Æthiopes cancro, cui plurimus ignis:

cancro, qui plurimum habet calorem, quod color Æthiopum indicat satis. Tu, o leo,

edictum, hoc est, primam, secundam partem edicti. Quod igitur in subsicivis illius quadrantis est nulli alii signo vindicatum, id totum assignatur alteri geminorum. Omnino prima pars τοῦ τεταρτημορίου arieti, secunda tauro, tertia geminis, cujus pars alteri geminorum, pars reliqua ex solido alteri datur. Et sane Euxinum et Clima sextum geminis subjicit Firmicus libro primo. *ultimus ex solido tetrans*] τὸ λοιπὸν τοῦ τεταρτημορίου ὁλόκληρον. Nam tetrans τεταρτημόριον. Vitruvio vox Sicula, ut in libello de re nummaria ostendimus. In hac felici restitutione Gembiacensis fuit θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Ab Hipparcho antem, ut puto, habet illos tetrantes, in quos cælum et terram divisit, ut ostenderet cui tetranti terræ quis cæli tetrans imperaret. Strabo de Hipparcho: ἀνέγραψε γάρ, ὡς αὐτός φησι, τὰς γινόμενας ἐν τοῖς οὐρανίοις διαφορὰς, καθ' ἕκαστον τῆς γῆς τόπον τῶν ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς τεταρτημορίων τεταγμένων.' *Scal.* Delph. *Ultimus est positus Ganges.* C. *I. e.* Vid. Not. inf. 'Dabimus vetustorum codicum lectionem: post de conjecturis videbimus. Vetusti quattuor sic: *Ultimus et solidos Ganges et transcolit India cancer.* Ex his Scal. suum illud excudit; *Ultimus ex solido tetrans. Colit India cancrum.* Infelice sane et a vero abhorrente conjectura. *Tetrans*, quis hoc in poëta ferat? *Ultimus tetrans ex solido;* hoc est, quarta pars ex integro signo. Quis hoc in astrologo? Cum cetera duodecim tota et integra regionibus suis assignet, cur geminos dividit in quadrantes? Illud quoque quale est, *colit India cancrum;* cum sequente versu de cancro loqui incipiat, *Ardent Æthiopes cancro?* In eodem luto hæret Huetius, [vide inter notas huic Editioni appensas,] sic locum interpolatus, *p. br. fr. Ultimus ex solido Ganges. c. I. e.* Nihil, inquam, de cancro hic dici, sequens versus ostendit. Sed mirifice cetera interpretatur; 'Ex geminis unum fratrem Apollinem Euxinus colit, alterum (brachia Herculis) Ganges, sive India orientalis; cancrum autem India (tu benigne adde) occidentalis.' Quid de his dicemus? Et Scaliger et Huetius inter primarios poëtas merito suo nomen habent. Si tales versus ipsi vellent scribere et in publicum dare; tum de his conjecturis sibi plaudant: talia interim ne donent auctori, qualia ipsi aspernentur. Jam dixi illud *cancer* nihil loci hic habere posse: venit huc, opinor, ex asterisco in

NOTÆ

altero geminorum, cum sub altero ponatur pontus Euxinus. Quippe ultimus Ganges, i. e. Gangetis pars prima, et origo, quæ incipit a fontibus Scythicis. Unde a Plinio v. 27. vocatur Scythicus. Cujus veræ lectionis vestigia habet Vulg. *Ultimus est solitus Ganges.* Valeat ergo Scaligeri castigatio, *ultimus ex solido tetrans:* quasi ultima pars reliqui tetrantis ex solido detur alteri geminorum. Quæ interpretatio non ad Manilii mentem, sed ad Ptolemæi rationem potius fieret. Aliter enim Ptolemæus, aliter Manilius signorum tutelas per varias regiones explicuerunt. Ille quidem per trigona; hic autem per signa. Quasi vero, licet India ponatur sub cancro, prima pars Gangetis non possit jacere sub altero geminorum, cum oriatur e fontibus Scythicis, teste Plinio v. 27. Vox autem *ultimus, a, um,* sumitur promiscue pro utraque rei extrema parte, ut sæpe monui. Ganges igitur Indiæ fluvius est notissimus, de quo multi multa extra fidem scripserunt. Virg. Æn. III. 30. Strab. XV. et alii.

757 *Et decolor Indus, &c.*] His 2. vss. ait sub cancro positam esse Indiam et Æthiopiam. De quibus 676. et 725.

758 *Cui plurimus ignis*] Tunc enim,

Hoc color ipse docet. Phrygia, Nemeæe, potiris,

margine, qui pro nota cancri librarium fallebat. Reliqua in membranis sic habent, *Ultimus et solidos Ganges et transcolit India.* Repono et distinguo, *Sub geminis te, Phœbe, colit post brachia fratris; Ultimus et colit hos Ganges et decolor Indus.* Ovid. Metam. IV. 21. 'Decolor extremo qua cingitur India Gange.' Trist. V. 3. 'Persidaque, et lato spatiantem flumine Gangen, Et quascumque bibit decolor Indus aquas.' Seneca Hippol. 345. 'tunc virgatas India tigres decolor horret.'' *Bent.* 'Hæc ita sunt a Bentleio deformata, ut suam Poëta manum agnoscere nullo pacto possit. Quod cum animadvertisset Heringa V. C. non potuit, quin ægerrime laboranti sententiæ suam ipse medicam manum adhiberet. Itaque docta non minus et subtili conjectura ductus, pro *brachia fratris* legit *Thracia fratrem,* et hoc *Ganges* mutat in *Tanais.* Quibus præmissis, ille locum putat sic constituendum: *post Thracia fratrem Ultimus et colit hos Tanais. C. I. c.* Equidem vero viri amicissimi sententiam emendandique rationem probare nullo modo possum. Sit sane unus et alter librariorum sua vel oscitantia vel negligentia lapsus; habeas hunc vel illum codicem corruptum, misereque depravatum: non tamen illico omnes et singuli eodem sunt nobis loco habendi. Nolim ergo illud tentatum *Tanais,* eo quod omnes, scripti pariter ac vulgati, libri consensu tenent *Ganges.* Neque *Thraciam* malim, ex hoc *brachia* ingeniose magis ac vere confictum. Quin huic emendationi omnino supersedere potuisset V. C. si felici sidere vel sola hæc ipsi observatio subvenisset, Auctorem nostrum nullas continentes adscribere Castori et Polluci, sed pontum et flumen, quorum præsidium et tutela ad illos constanti mythologiæ fide refertur. Quapropter cum in ceteris sub signa collocandis regionibus non tam veram et geographicam, quam ingeniose fictam et subinde lubricam est secutus rationem, eoque magis a Ptolemæo diversus; quis, quæso, mirabitur, illum Indiæ mentionem modo facturum, Euxino jungere Gangetem, qui pariter ac ille, vel solius navigationis caussa, ad geminorum tutelam pertinet? Vides adeo, locum istum non tam exscriptorum quam interpretum vitio adhuc laborare. Hujus autem veniam eo illi facilius a nobis sunt impetraturi, quod nemini hactenus oculis usurpare licuit sinceriorem illum Cod. Paris. et castigatius vulgatum exemplar Regiomontani. Quorum quidem lectionem, cum nostra interpunctionis dispositione, nemo non oculatior unice veram et genuinam judicabit. En Tibi: *Post* (,) *brachia fratris Ultimus et solitus Ganges* (:) *colit I. c.* Ita omnino Cod. Paris. nisi quod in fine legit *cancer,* aperto vitio. Regiom. dedit *cancrum.* Idem vicissim minus recte, sive metri sive sententiæ rationem spectes: *et solitum gange colit Ind.* Age vero, quonam ista sensu nobis accipiantur, exponamus paucissimis. Illud *post* adverbii, non prævocabuli, vicem sustinet, ideoque distinctione separavimus ab his, *brachia fratris,* quæ geminorum conjunctionem signant, coll. II. 163. sq. *Ultimus* (scil. *colit*) *Ganges* pro *extremus.* Ita fere semper Romani de India, scil. longissime ab ipsis dissita. Horatius I. Epist. 1. 45. 'Impiger extremos curris mercator ad Indos.' Et Ovidius loco quem Bentleius quoque reci-

NOTÆ

i. e. sub cancro, sol maxime ardet. Loquitur autem habita ratione nostri, neque enim Æthiopibus calidior est sol sub cancro, quam sub aliis signis, cum jaceant sub æquatore.

759 *Phrygia, Nemeæe, &c.*] His 3. vss. cum dimidio docet sub leone jacere Phrygiam, Cappadociam, Armeniam, Bithyniam, et Macedoniam. Phrygia autem regio est minoris Asiæ, ubi Troja fuit, et Ida mons, qui leonibus abundat.

Nemeæe] Leo.

Idææ matris famulus, regnoque feroci
Cappadocum, Armeniæque jugis: Bithynia dives
Te colit, et Macetum tellus, quæ vicerat orbem.

frueris Phrygia; quippe qui sis alumnus matris Idææ, et regionis barbaræ Cappadocum, et Armeniæ; Bithynia, quæ locuples est montibus, veneratur quoque te, et ipsa terra Macedonum, quæ olim superaverat totum orbem terrarum. Tu, o

tavit, Metam. IV. 21. 'Oriens tibi virtus ad usque Decolor extremo quæ cingitur India Gange.' Additur, *et solitus*, i. e. ni fallor, assuetus. Hoc autem epitheton parum aut nihil hic definit. Quare malim legere *solidus*, quod, vitiose licet, offert Cod. Lips. qui habet *solidos Ganges*. Est autem Nostro *solidus* id quod totus, completus; siquidem de numero agitur, uti I. 547. et 565. At apud Terent. Andr. IV. 1. 23. 'solidum gaudium' Pareus, Donati verbis, interpretatur magnum et insigne, sive plenum et integrum. Hinc vero dilucide adparet, Nostro totum qua labitur insigne flumen, Gangen, adscribi geminis, scil. ob navigationem. India vero ipsa, qua continens, et solis adusta radiis cedit cancro. Equidem enim legere mallem *Cedit India Cancro*, nisi Codicum obstaret auctoritas, videremque Nostro hoc *colit* esse solenne, quo connotet, hæc terræ loca venerari signa tanquam numina tutelaria.' *Stoeb.*—760 Scal. Delph. et vulg. *regnique ferocis*. 'Interpunge, *regnique ferocis. Cappadocum, Armeniæque. Jugis Bithynia dives Te colit.*' Scal. 'Hæc et verbis et distinctione laborant. Leo Cybeles quidem famulus est, sed an Cappadocum et Armeniæ famulus? Astra has regiones regunt, non iis famulantur. Quid *dives jugis?* Ditior certe esset arvis et pratis. Lege et interpunge, *Idææ matris famulus, regnoque feroci Cappadocum, Armeniæque jugis.* Phrygia et regno Cappadocum et jugis Armeniæ potiris.' *Bent.* 'Libri scripti pariter ac editi omnes, *regnique ferocis;* quod cum hoc *famulus*, i. e. alumnus, nectendum. Leones enim Matri Idææ sacri, quorum magna vis in Ida Phrygiæ monte.' *Stoeb.*—762 Vulg. *Macedum tellus.* Et sic Delph. 'Placet lectio textus Bonincontrii *Macetum.* Non enim est commentum Bonincontrii. Vide Lectiones Ausonianas.' *Scal.* 'Variant libri in scriptione prioris vocis. Cum quarto elemento profert Cod. Paris. a ceteris fere omnibus in hoc desertus. Rutil. I. 85. 'Macetumque tyranni.' Ubi vide Barth. p. 187. qui sic scribi vocem debere testimoniis probat Græcorum pariter ac Latinorum Auctorum, quibus addere merito debuisset hunc e Statio suo locum Achil. I. 202. 'Nec Macetum gens dura placet,' &c. Eadem 'Pellæi gens fortunata Canopi' audit divino Maroni Georg. IV. 287.

NOTÆ

760 *Idææ matris*] Cybeles. Cybele enim Magna Dea vocatur ab aliis *montana;* ab aliis, *Phrygia:* ab aliis *Idæa*, &c. Scilicet quæ in montibus coleretur, sed præsertim in Ida monte Phrygiæ: quo in monte leones multi vagantur. Leones autem sacri sunt Magnæ Matri.

761 *Cappadocum*] Cappadocia regio est Pontica, ab Armenia per Euphratem divisa, in qua leones multi nascuntur.

Armeniæque] Regionis Taurum montem inter et Caucasum a Cappadocia ad mare Caspium protensæ. In qua et leones multi reperiuntur.

Bithynia] Asiæ minoris regio, montibus et sylvis abundans.

762 *Macetum* [*Macedum*] Macedonum, qui populi sunt Europæ, quibus olim imperaverunt Philippus et Alexander Magnus; quorum hic totius orbis imperium tenuit.

Virgine sub casta felix terraque marique
Est Rhodos, hospitium recturi principis orbem;
Tumque domus vere solis, cui tota sacrata est,
Cum caperet lumen magni sub Cæsare mundi:

Rhodos, jaces sub pudica virgine, fortunata scilicet terra et mari, tu quæ es domus imperatoris, qui recturus est totum orbem terrarum, et tu, quæ es vere habitaculum solis, cui tota consecrata es, cum omnes optarent lucem magni mundi in ipso Cæ-

quo loco mendose legitur apud Servium, fuisse Alexandrum de civitate Macedoniæ, quæ Appella nominatur. Scribendum enim *Pella*, de qua nos supra ad I. 768.' *Stoeb.*—764 Scal. Delph. et vulg. *Es Rhodos.* 'Libri omnes, *Est Rhodos.*' Bent.—765 Scal. Delph. et vulg. *Tuque . . . . es.* 'Inde editores *es* et mox *caperes.* Sed repone, *Tumque* . . . *est.* *Tum* vere domus solis, *cum* caperet Tiberium, lumen mundi sub Cæsare Augusto. Codices quanquam *tuque* habeant, etiam hic tamen *est*, non *es*.' Bent. 'Libri vetusti cum Scaligero, *Tuque dom. sacrata es.* Sic quoque Barth. ad Rutil. pag. 178. qui ad totum hunc Nostri locum omnino videndus.' *Stoeb.*—766 Scal. et vulg. *caperes.* 'Voss. habet *caperet*, quod et melius; ceteri *caperēt*.' Bent. Delph. *cuperent.* Vid. Not. inf. 'Cod. Gembl. Lips. et Paris. cumque his Regiom. *caperent*, ex quo Fayus, prælucente Romano Editore, fecit *cuperent*, scil. homines, i. e. cum Tiberius inde rediturus cuperetur: quasi ille foret lux et lumen magni mundi, vel sol alter, qui terris luceret. Minus adeo ipsi probatur Scaligeri lectio, qui dedit *caperes*, ad instar vulgatæ Ald. et Pruckn. *Tuque domus sacrata es, cum caperet, &c.* Hæc sane quam aptissime respon-

NOTÆ

763 *Virgine sub casta, &c.*] His 6. vss. docet sub virginis sidere jacere Rhodum, Ioniæ urbes, Doridem, Arcadiam, et Cariam.

764 *Rhodos*] Vel Rhodus, insula est Mediterranei maris, quam olim tenuerant Equites nostri Hierosolymitani, qui an. 1522. ab ea insula pulsi a Solymano in Melitensem insulam secesserunt, a qua dicti Equites Melitenses, *Chevaliers de Malthe.* In Rhodo autem insula urbs est notissima ejusdem nominis, in qua claruit olim ille solis colossus ex ære, altitudine LXX. cubitorum. Unde vocatur a Manilio 'domus solis,' cui sacra fuit. Vocatur et 'hospitium recturi principis orbem,' i. e. Tiberii, qui successit Augusto Cæsari. Tiberius enim, teste Sueton. 10. 11. 12. in Tiber. Rhodum in insulam secessit, vel uxoris vel reipublicæ tædio affectus, ubi per an. VIII. quasi exul remansit. Is enim licet Augusti non filius sed privignus tantum, ut qui natus erat ex Livia Augusta, filius tamen Augusti dictus est ex adoptione, et imperii tandem hæres factus. Mortuis enim Germanico et Agrippa, in unum Tiberium omnes ora et oculos converterunt, quem ad imperium vocarent. Quo ex hoc uno loco facile colligere est Manilium Oct. Augusti Cæsaris temporibus scripsisse.

766 *Cum caperet* [*cuperent*,] *&c.*] Scilicet notat qua ratione domus solis sit Rhodus, vel eo nomine, quod omnium votis sacrata fuerit, cum Tiberius inde rediturus cuperetur: quasi Tiberius foret lux et lumen magni mundi, i. e. sol alter, qui terris luceret. Alludit autem etiam Poëta et ad illud, quod de Rhodo dicitur, nimirum quod nunquam in Rhedo ita nu-

Ioniæ quoque sunt urbes, et Dorica rura,
Arcades antiqui, celebrataque Caria fama.
Quod potius colat Italiam, si seligis, astrum
Quam quod cuncta regit, quod rerum pondera novit,
Designat summas, et iniquum separat æquo,
Tempora quo pendent, coëunt quo noxque diesque?
Hesperiam sua libra tenet, qua condita Roma

sare Tiberio: civitates etiam Ioniæ jacent sub virgine, et agri Dorici, et veteres Arcades, et Caria nobilis fama sua. Quodnam autem sidus, si eligis, gubernet magis præcipue Italiam, quam illud, quod gubernat omnia, quod novit pondera rerum, quod notat summas, et quod dirimit injustum a justo, et quo ponderantur tempora dierum ac noctium, et quo nox ac dies similes sunt? Libra sua habet Hespe-

dent sibi.' *Stoeb.*—767 'Cod. Paris. *quæ*, pro quo Regiom. *que*, librarii vitio, quod correxerunt Ald. et Pruckn. edendo, *Ioniæ quæ sunt urbes, &c.*' Idem.—768 '*Arcades antiqui*] Ita omnino ex optimis libris legendum. Non vero, *Arcas et antiquus*, quam lectionem, a metro licet damnatam, publicare non dubitavit cl. D'Orvill. ad Charit. p. 4.' *Idem.*—769 Scal. Delph. et vulg. *regat*. 'Gemb. habebat *colat*, et ita videtur. Nam τὸ *regit* est in sequenti versiculo. Nihil tamen muto. Nam eleganter dictum, Quod astrum regat Italiam, nisi id quod regit omnia?' *Scal.* 'Melius vetusti omnes *colat*.' Bent.—772 Vulg *cedunt*. 'Optime Gemb. *coëunt quo noxque diesque*: i. e. quo fit æquinoctium.' *Scal.* 'Cod. Paris et Regiom. *cedunt*. Sic quoque Ald. et Pruckn. Malim tamen alterum, quod fide codicis Gemblac. firmat Scaliger. Est quoque illud longe venustius, tametsi res, utrumvis legas, eodem redit.' *Stoeb.*—773 'Codex Ms. Lips. *sub libra*. minus bene.

NOTÆ

bilum sit cœlum, quin sol aliquando in die non conspiciatur. Minus ergo mihi probatur Scaligeri castigatio, *Cum ceperes*. Quasi ideo solis domus sacrata fuerit Rhodus, quod in ea moram fecerit Tiberius Cæsar.

767 *Ioniæ urbes*] Ionia regio est Asiæ minoris, cujus præcipuæ sunt urbes Miletus, Ephesus, Colophon, Erythræa, &c.

Dorica rura] Doris, -idis, regio est Græciæ.

768 *Arcades*] Arcadia regio est Peloponnesi, ab Arcade Jovis filio ex Calisto. Unde Arcades dicuntur a Manilio *antiqui*.

Caria] Minoris Asiæ regio; cujus populi despectissimi fuerunt. Unde Cic. pro Flacc. 'Quid de tota Caria? Nonne hoc vestra voce vulgatum est, si quid cum periculo experiri velis, in Caria potissimum est faciendum?' Scilicet hanc multitudo imperatorum perdidit. Unde vox *fama* debet sumi hic in malam partem.

769 *Quod potius colat Italiam, &c.*] His 9. vss. docet sub libra esse Italiam. Scilicet quia Italia regina est omnium gentium, omnibus imperat, et quasi lancibus tollit aut premit singulas gentes: ideo sub libra jacere voluit eam Manilius. Adulatoria sane sententia.

770 *Quam quod cuncta regit*] I. e. quam libra, quæ regit omnia.

772 *Tempora quo pendent, &c.*] Etenim libra dies noctibus pares reddit.

773 *Hesperiam*] Italiam. Hesperia

Urbis in imperio retinet discrimina rerum,
Lancibus et positis gentes tollitve premitve;
Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.

riam, sub qua Roma posita, et coërcet totum orbem terrarum, qui dependet a suis legibus; et tenet imperium totius orbis; et dirimit discordias rerum suis lancibus; attollit et deprimit iisdem lancibus populos sibi subjectos; sub qua natus Remus

~~~~~~~~~~~~

sua pro ejus dictum putat cl. Vierschrot. quemadmodum apud Terent. Hec. IV. 4. 38. 'mater quod suasit sua adolescens mulier fecit.' Sed hic locus nihil ad rem. Quapropter malim illud *sua libra* exponere per, propria et quasi connata: quo sensu hoc *sua* putamus dictum elegantissime; pariter ac in illo Valer. Flacci lib. II. 'Mox somno cessere, regunt sua sidera puppim.' Compara sis quæ supra diximus ad I. 758.' *Idem.*—774. 775 Scal. Delph. et vulg. *Orbis et imperium r. d. r. L. e. positas g. tollitque premitque.* 'Hæc vitiose et leguntur et distinguuntur. Gembl. in priore versu *imperia,* in altero *positis.* Repone, *qua c. R. Urbis in imperio r. d. r., L. et positis gentes tollitve premitve. Urbis,* non *orbis;* nam statim habemus *orbem.* Imperium urbis, quo illa imperat, non quo imperatur.' *Bent.* 'Parum hoc *urbis* congruit majestati Romanæ. Malim ergo retinere lectionem codicis Paris. et vulgatorum veterum librorum: *Orbis et imperium ret. discr. rerum Lancibus* (,) *Orbis imperium* est respublica Romana, sub imperatore Augusto. Conf. mox vs. 777. In hanc sententiam Ovid. Fast. II. 138. 'Quodcumque est alto sub Jove, Cæsar habet.' Eadem ex ratione supra quoque hoc *orbis* pro *urbis* Nostro restituimus III. 24. ubi dicta, si velis, vide. Lege cum libris nostris, *et positas gentes,* i. e. subjectas.' *Stoeb.*—776 'Versus spurius, et barbarus, et ineptissimus. Hoc ordine venit in codicibus universis; sed Scaliger eum subjecit versui nunc 775. et versum nunc 777. anteposuit versui nunc 774. Tanta mutatio facta est, ut locus commodior tam lepido tenebrionis dono pararetur. Quid vero profecit? vi ipsius constructionis, non qua *libra* supplendum erit, sed qua *Roma* genitus Remus hanc urbem (Romam) condidit. Belle vero dictum *hanc urbem:* sed δεικτικῶς, inquit, dictum: quippe scribebat Auctor Romæ. Ita; si hic versus fidem invenit; sed negabit Flaccus, Epist. II. 2. 65. 'me Romæne poëmata censes Scribere posse inter tot curas totque labo-

NOTÆ

enim commune nomen Italiæ et Hispaniæ. Quanquam Hispania, non Hesperia simpliciter, sed Hesperia extrema, vel ultima dicta est; Horat. I. Carm. At Virg. cum per Hesperiam notat Italiam, dixit simpliciter Hesperiam; Æn. II. Sic igitur per *Hesperiam* hic notat Poëta Italiam. Et vero jam infra vs. 793. et seqq. reponit Hispaniam sub capricorno.

Qua condita Roma] I. e. sub qua libra posita est Roma; sic enim vs. 788. 'Sub eodem condita signo,' i. e. sita et posita. Neque enim notat hic Manilius Romæ natalitium.

775 *Tollitve*] Hoc verbum duplicis verbi vicem gerit. Refertur enim et ad voces, *discrimina rerum tollit;* i. e. dirimit: et ad istos, *positas gentes tollit;* i. e. attollit, *eleve;* premitque, *et abaisse,* sup. Roma.

776 *Qua genitus cum fratre Remus*] Natalem diem Remi et Romuli refert Poëta ad libræ sidus. Multi tamen multa de natalitio Remi et Romuli scribunt. Alii enim natos illos volunt XIX. die Decemb. Alii XXX. Novemb. Alii mense Octob. Alii mense Septembri, quæ vulgi est opinio recepta. De Remo autem et Romulo disputatum est fusius vs. 26.

Et propriis frænat pendentem nutibus orbem.
Inferius victæ sidus Carthaginis arces,
Et Libyam, Ægyptique latus, donataque rura
Tyrrhenas lacrymis radiatus scorpios arces

cum fratre suo Romulo construxit hanc urbem Romam. Signum, quod est infra libram, deligit sibi turres Carthaginis devictæ, et Libyam, et latus Ægypti, et re-

res?' Sed esto, ut Romæ scripserit; non eo minus ob ineptiam vapulabit. Nec vero Auctoris mos est, ut brevem syllabam *Remus* hanc in cæsura producat. Vossianus sic habet, *Qua genitus Cæsarique meus nunc condidit orbem*. Dignum certe patella operculum.' *Bent.* 'Ita hunc versum, eodemque loco, referunt libri omnes. Quo quidem non firmius telum expetit ad eludendam Bentleii criminationem. Scaliger citra rationem eum transposuit. Est enim in parenthesi legendus, quod clarius indicavit Regiom. Dubia et incerta est lectio cod. Lips. quam prodit cl. Vierschrot. Ibi prima litera τοῦ *Remus* in rasura, et ab altera manu, forte ex alio libro, adscriptum legitur: *cum fratre meus nunc cond.* Illud *qua* respicit libram, sub qua, non modo Urbs condita (vs. 573.), verum etiam gemini fratres, ejus conditores, in lucem editi sunt. Ita quidem Manilio visum. Quocum confer Plutarch. in Romulo p. 14. et quæ de hujus genitura, illius potissimum Auctoris verbis, disputat Scaliger ad loc. præs. De origine urbis Romæ varias aliorum opiniones prodidit Solinus Polyhist. cap. 1.' *Stoeb.*—777 'Iste versiculus debet subjici ei, qui supra illum quartus est: *qua condita Roma Et propriis frænat pendentem nutibus orbem, Orbis et imperium retinet.*' Scal. Et sic Delph.—779 Scal. Delph. et vulg. *regna*. 'Gemb. *donataque rura*. Sequemur vulgarem lect.' *Scal.* 'Codex Paris. *regna*, quod vulgarunt Regiom. Ald. Pruckn. et ceteri, præter Scaligerum, omnes. Utrumvis recipias, parum interesse videtur. Nobis alterum magis placet. *Donata rura* dicit, quod Ægyptus Nili donum. Vide Scalig. ad h. l. et Grotium ad German. p. m. 48. fin. Barthius, quem lege sis Advers. p. 1207. suspicatur Manilium reliquisse: *Ægyptique latus, damnataque rura Æternis lacrymis. Æternæ lacrymæ* unicum Ægypti signaculum sunt; quæ Osirim suum solemni et perpetuo cantu celebrat. Mox, vs. 780. idem vir doctus pro *radiatus* mavult *Sardoas*. Vulgatum

NOTÆ

778 *Inferius victæ sidus, &c.*] His 5. vss. docet scorpioni subjici Carthaginem, Libyam, Corenam, Cyrenaicam provinciam, Hetruriam, Sardiniam, et vicinas in ea parte maris insulas.

Inferius sidus] I. e. scorpius, qui infra seu post libram sequitur.

Carthaginis] Urbis Africæ, vs. 659.

779 *Libyam*] Africæ regionem, vel Africam ipsam, vs. 659.

Ægyptique latus] Puta eam Africæ partem, quæ Ægypto contermina est, scilicet Cyrenæa, in qua Jupiter Ammon olim colebatur.

Donataque rura] Scaliger putat esse Ægyptum, quam Herodotus vocat δῶρον ποταμοῦ, 'donum fluminis;' et Lucan. 'donatum regnum:' scilicet a senatu Romano restituta est Ægyptus Auleti Ptolemæo pænultimo. Verum, non sub scorpione, sed sub ariete ponitur Ægyptus, vs. 752. Itaque per *donata rura* intelligit Manilius Cyrenaicam ipsam, quam populo Romano dedit Appio Ptolemæus. Bonincontrius intelligit Numidiam, quam Massinissæ regi dedit populus Romanus: verum cum Numidia sit ipsa Libya, iterum Poëta rem notare videretur.

Eligit; Italiæque tamen respectat ad undas;
Sardiniamque tenet, fusasque per æquora terras:
Non ita Trinacriam; quæ dantem jura sororem

giones datas Romanis; et tamen respicit ad aquas Italiæ; scorpius enim micans quasi guttulis aquarum occupat turres Tyrrhenas, et Sardiniam insulam, et insulas dispersas per has maris partes. Terra Gnosia, quæ cingitur undique mari, subjicitur

libri nostri tuentur universi.' *Stoeb.*—780 'Preciosum hoc emblema huc insertum ab illepido homine, qui putavit deesse nomen scorpii. atqui apposuit, quum dixit, 'Inferius victæ sidus,' &c. scorpius scilicet, qui est libra inferior. Deinde quod hoc monstrum loquutionis, *radiis lacrimatus?* Denique quam bene cohærent antecedentia cum consequentibus, si hunc spurium versum admittamus. Postremo quid hoc est? *eligit Tyrrhenas arces, et tamen spectat ad undas Italiæ.* Perinde ac si dicas: Eligit Libyam, et tamen spectat ad Africam. Et erunt, qui ejusmodi quisquilias legant? *ὄναιντο τῆς κριτικῆς.' Scal.* 'Quid hic facit *scorpios?* ab interpolatore venit, nesciente scilicet 'inferius sidus' versu 778. satis designare scorpion. Cetera portenta sunt, et jure a Scaligero pro spuriis rejecta. Siquid tamen tentandum sit, hoc vide; *Et Cyrenæas imis radicibus herbas Eruit.* Silphion forte sive laserpitium intelligit; unde 'laserpitiferæ Cyrenæ' Catullo dictæ. Sub Auctoris enim temporibus Silphion illud Cyrenis extinctum est. Plinius Hist. xix. 15. 'Multis jam annis in ea terra non invenitur.' Sed hoc joco dictum accipe. *Eruit* (sic Scal. et vulg.) enim mendosum est. Repone *eligit*, hoc est, vindicat sibi, asserit.' *Bent.* Sic et Delph. Vid. Not. Inf. 'Scaliger, quocum Cod. Paris. et veteres impressi omnes, *Eruit.* minus bene.' *Stoeb.* '*Italiæque*] Sic legendum ex vulg. et Rom. At J. Bitur. *Italiæ qua.* Vox autem *qua* pro *quæ*, in recto casu.' *Delph.*—783–786 Scal. Delph. *Insula Trinacriæ fluitantem ad jura s. S. Creten, sub e. c. s.: Pr. que I. et t. d. p. Ora, pares sequitur leges, nec sidere ruptas.* Vulg. *fl. adjuta s.* '*fl. ad jura s.*

NOTÆ

780 *Tyrrhenas arces*] Hetruscas urbes. Hetrusci enim dicti sunt Tyrrheni a Tyrrheno Atyos filio, qui e Lydia colonos in hanc Italiæ partem diduxerat.

Lacrymis radiatus scorpios] Alludit Poëta ad figuram scorpionis, cujus cauda, propter guttulas aquarum, quas habet, micare et luminis aliquos radios emittere videtur. Neque est quod Scaliger arguat hunc versum non esse Manilianum fœtum, quod notatum sit hoc sidus satis, cum dixerit Poëta vs. 778. 'Inferius sidus.' Sic enim infra vs. 797. notat aquarii sidus per vocem 'juvenis.'

781 *Eligit*] Ita restituunt Bonincont. et J. Bitur. bene. Male enim Vulg. et Rom. *Eruit.* Porro ita hunc versum sequenti anteponendum censui. Sic enim et ratio et sensus postulant. Hinc non mirum si versum sequentem Scaliger repudiat tanquam non Manilianum fœtum. Itaque non solam Africam regit scorpius, sed et eas insulas quæ ad Italiam spectant, puta Sardiniam, Corsicam, &c. immo et ipsam Hetruriam, Gallice *Toscane,* quæ ad primam usque Tiberis ripam protenditur, cujus metropolis est Florentia.

782 *Sardiniam*] Maris Ligustici insulam, vs. 628.

Subsequitur gaudens, sub eodem condita signo;
Proximaque Italiæ et tenui divisa profundo
Ora, pares sequitur leges, nec sidere rupta est.

sagittario; et ipse filius Minois, qui biformis est, cadit in biforme sidus sagittarii. Candia consecrat huic eidem sagittario veloces suas sagittas, et sequitur arcum hujus signi contentum. Insula Siciliæ sequitur in his dominiis sororem suam Can-

Gemblacensis, et nos olim: *Insula Trinacriæ fl. ad jura s. S. Creten. Ora patris sequitur*] Contaminatissima sunt. Lege: *Ora pares sequitur leges, nec sidere ruptas. S. Creten*] In Gemblac. *S. Cremen.* Cretem eidem signo nempe sagittario subjicit, cui et Siciliam. Nam sagittarius est Minotaurus, ut habes apud Hyginum, et Minos tam Cretæ quam Siciliæ imperavit. Nota Dædali in Siciliam fuga, et Minois in eam Dædalum persequentis adventus. Quin et numismata oræ Tarentinæ et Siculæ hodieque inveniuntur Minotauri imagine signata.' *Scal.* 'Hi quattuor in scriptis editisque sequuntur vs. qui nunc est 790. nempe interpolator aliquis cum hæc legeret *Sicilia subsequitur Creten*, acute providebat curabatque ut etiam ordine versuum Cretam subsequeretur. Inspiciamus quid, ut nunc scribuntur et collocantur, narrent. *Siciliæ*, aiunt, *soror est Creta.* Itane? tam longe remota, et tamen soror? Dicant, qui sit vel germana vel cognata. 'Minos,' inquit vir magnus, 'tam Cretæ quam Siciliæ imperavit: et nota est Dædali a Creta in Siciliam fuga.' Atqui eodem jure et reliquis insulis soror erit; nam Auctoris ætate Romani omnibus imperabant. Quid vero est, *fluitantem sororem?* an Creta, ut quondam Delos, erratica tum erat, et nabat in pelago? Quid *fluitantem ad jura?* Hoc sensu omni cassum est, quod tamen pede tacito prætereunt. Sequentes vero versiculi magis magisque sententiam conturbant. Quippe si proxima *Italiæ* Sicilia *pares sequitur leges*, sub eodem quo Italia signo erit, nempe libra: at paulo ante sub eodem quo Creta signo, nempe centauro, condita erat. Hæc pugnantia et ἀσύστατα sunt. Videamus, si quid opis hic afferre possit nostra collocatio: sed primo id indicandum, pro *Creten* Gemblacensem habere *Cremen*, Venetum et Lipsiensem *Cretens*, Vossianum *Crenlens:* pro *ruptas* autem, omnes *rupta est.* De scorpio Auctor jam dixerat: 'Italiæque tamen respectat ad undas, Sardiniamque tenet, fusasque per æquora terras.' Sardiniam, inquit, tenet centaurus, et alias insulas, Corsicam scilicet, Gaulos, Melitam, Cosuram, aliasque inter Africam et Tyrrhenum pelagus sitas: tum subjungit, ut nunc reponimus: *Non ita Trinacriam; quæ dantem jura s. S. gaudens, s. e. c. s.; Pr. que I. et t. d. p. Ora, pares sequitur leges, nec sidere rupta est.* Reliquas, inquit, propinquas insulas centaurus tenet: at non Siciliam; utpote quæ olim ab Italia vi fluctuum dissociata sequitur sororem: et proxima Italiæ ora pares leges sequitur, nec *sidere* ab ea *rupta est*, quanquam olim mari. *Dantem jura sororem*, hoc est, Italiam orbis dominam; ut Virgilius passim, 'Per populos dat jura.' 'Jura dabat legesque viris.' 'patribus dat jura vocatis.' 'Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt.' Certe *insula Trinacriæ* ignave dictum. Cum supra versu 681. *Trinacriam* simpliciter appellasset, quod opus erat hic *insulam Trinacriæ?* An quo sæpius memoratur, eo est ignotior?' *Bent.* 'Vs. 783. cum tribus sequentibus, in codice Paris. et ceusis vetustis legere est post versum Bentleii 790. *Non ita Trinacriam*] Laudati libri vetusti cum Scalig. sic: *Insula Trinacriæ fluitantem adjecta s. S. Creten. Sicilia* et *Candia sorores* Manilio dicuntur, quia utrique simul im-

NOTÆ

785 *Proximaque Italiæ, &c.*] Siciliæ quippe littora nonnisi exiguo freto separantur ab Italia, vs. 635. et Virg. Æn. III.

Gnosia centauro tellus, circumdata ponto,
Paret, et in geminum Minois filius astrum
Ipse venit geminus: celeres hinc Creta sagittas
Asserit, intentosque imitatur sideris arcus.
Tu, capricorne, regis, quicquid sub sole cadente
Expositum, gelidamque helicen quod tangit ab illo.

dium, quæ natat etiam aquis; quippe quæ sit sub eodem sidere: et littus ejus, quod vicinum est Italiæ, et quod ab ea separatur exiguo freto, subsequitur similia jura, nec a Creta separatur in ratione signi. Tu, o capricorne, gubernas id omne, quod

peravit rex Minos. Unde et sub eodem signo positæ. Vs. 786. *pares sequitur leges*] Editi præstantiores cum Ms. *patris seq.* In fine, *rupta est*, quod solus cod. Lips. tuetur; ceteri legunt *rapta est*. Hoc vulgavit quoque Molinius.' *Stoeb.*—788 Vulg. *et ingenuum M.* ' Desperandus locus erat sine ope codicis. Gembl. recte: *Cnossia c. t. c. p. Paret, et in geminum M. f. a. Ipse v. g.* Centaurus est geminus, διφυὴς, qui et Minotaurus.' *Scal.*—789 Scal. et Delph. *huic.* ' Recte Gemb. *hinc.*' Bent. ' Scaliger *huic*, quem secutus Fayus. Ceteri omnes *celeris hinc*, præter Meursium, quem vide, præsertim si nosse cupias, cur *celeres*, in Creta cap. 11. fin.' *Stoeb.*—791. 792 ' Hi versiculi, tamquam sorices, suo se indicio prodiderunt. Abeant hinc, adulterini et spurii. Ut supra versu 778. ' Inferius' libra ' sidus' scorpion notavit; et tamen stolidus interpolator vs. addidit, quo scorpios suo nomine diceretur; sic et hic, cum *sidus ambiguum terræque marisque* capricornum satis designaret, hos duos addidit, ne capricornus suo nomine fraudaretur. Videamus vero sententiam: *Capricornus*, ait, *tenet quicquid sub occasu est, et quicquid helicen*, sive septentrionem, *tangit*. Quomodo, quæso, septentrio sub capricorno, cum prius fuerit Scythia sub tauro, et Euxinus sub geminis? Non Scythia et Pontus a veteribus inter septentrionales regiones numerabantur.' *Bent.*—792 ' *gelidamque helicen*] Regiom. addito (:) sic pergit: *quod tangit ab illa*

NOTÆ

786 *Ora, pares, &c.*] Sicilia enim, licet ab Italia separata sit exiguo freto, longo vero maris tractu a Candia, sequitur tamen Candiæ leges, nec sidere rupta est aut separata. Rom. *Ora patris sequitur leges, nec sidere rapta est.* Quasi vox *patris* sit *Saturni*, inquit J. Bitur. qui cessit Jovi. Minus sane probata lectio.

787 *Gnosia centauro, &c.*] His vss. ait sagittario subjici Candiam. Cur autem Candia seu Creta vocata sit *Gnossica* tellus dictum est I. 323.

Centauro] Sagittario, I. 270.

788 *In geminum . . . astrum*] Sagittarium scilicet, qui biforme sidus est; constat enim ex equina et humana forma, I. 270.

Minois filius . . . geminus] Minotaurus, biforme monstrum ex humana et taurina forma constans. Scilicet fabulantur poëtæ Minotaurum natum ex Pasiphaë et tauro in Creta; Virg. Æn. VI. et alii.

789 *Creta sagittas Asserit, &c.*] Scilicet Cretenses olim periti admodum erant in emittendis sagittis.

791 *Tu, capricorne, regis, &c.*] His 6. vss. docet capricorno subjici Hispaniam, Galliam, et Germaniam, aliasque occidentales regiones.

792 *Helicen*] Ursam majorem, I. vs. 218. i. e. septemtrionem.

Hispanas gentes, et quot fert Gallia dives,
Teque feris dignam tantum, Germania, matrem,
Asserit ambiguum sidus terræque marisque,
Æstibus assiduis pontum terrasque tenentem.
Sed juvenis nudos formatus mollior artus
Ægyptum tepidam Tyriasque recedit ad arces,

situm est sub occiduo sole, et quod ab illo sole occiduo pertinet ad frigidam ursam majorem; scilicet Hispanos populos, et quod Gallia locuples habet; et hoc signum terræ et maris, vindicat sibi te, o Germania, quæ tantum digna es gignere belluas, et quæ habes terram et mare obnoxia perpetuis æstibus. At puer aquarius delicatior, et constans nudo corpore, secedit ab Ægypto usque ad turres Clydas et Tyrias, et

Hispanas gentes, &c. *illa* pro *illo* est quoque in cod. Paris. Est autem illà distinctionis nota Regiomontano signum parentheseos, quæ post vocem *asserit* (vs. 795.) terminatur.' *Stoeb.*—793 Vulg. *seu quod fert.* 'Gemb. *et quod fert.*' Scal. et sic Delph. '*Quod* in membranis passim pro *quot*. Lege ergo *quot*. *Quot* gentes. Ut in Hispania plures gentes ponit, ita in Gallia.' *Bent.* —796 Scal. Delph. et vulg. *terram pontumque.* 'Lege ex libris veteribus, *Æ. a. pontum terrasque t.*' Bent.—797 Vulg. *Sed j. nudo f. m. arcu.* 'Et sic Paris. et editi præstantiores.' *Stoeb.* 'Lege: *Sed j. nudos f. m. artus.* At Gembl. *Sed j. nudo f. m. actu.* Nescio an *actum* vocet filum corporis, ut Lucillius et Arnobius loquuntur.' *Scal.*—798 Scal. *Ægyptum ad, Leptimque.* Delph. *Ægypto ad Clydasque arces T. r.* Vide not. inf. 'Versus scaber et

NOTÆ

Ab illo] Sup. sole cadente, i. e. ab occasu.

793 *Hispanas gentes, &c.*] Nec mirum si sub capricorno ambiguo maris et terræ sidere reposuit has regiones, quæ oceani æstibus assiduis sunt obnoxiæ, quasi dubia et ambigua littora. Sic Lucan. de Hispania, loquitur lib. II. 'Quaque jacet littus dubium, quod terra fretumque Vindicat, alterius vicibus cum funditur ingens Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert,' &c. Idem dici potest de Gallia et Germania.

794 *Feris dignam*] Germania quippe informis est regio, aspera cœlo, tristis cultu aspectuque. Hinc Germani dicuntur Cæsari Comment. VIII. 'gens cui insita feritas.' Et Ovid. Trist. IV. 2. 1. 'Jam fera Cæsaribus Germania, totus ut Orbis, Victa potest flexo succubuisse genu.'

795 *Ambiguum sidus, &c.*] Capricornus enim parte superiori caper est, posteriori vero desinit in piscem, I. 271.

796 *Æstibus assiduis, &c.*] Namque ex Cluver. vetus Germania ab occasu terminabatur oceano Germanico; ab ortu, mari Baltico; a septemtrione, septemtrionali oceano. Quæ autem Germaniæ pars oceano adjacet, ea Romanis notissima fuit, in qua quippe Q. Varus Legatus cum legionibus Romanis cæsus fuerit, et ipse Drusus, Liviæ Augustæ filius. Adulatur ergo Oct. Augusto Cæsari, dum Germaniam vocat feris tantum dignam matrem.

797 *Sed juvenis nudos, &c.*] His 3. vss. ait aquario subjici Clydas insulas, Ciliciam, et Tyrum urbem in Phœnicia, i. e. Phœniciam ipsam.

Juvenis] Aquarius, ut monui passim.

798 *Ægyptum* [*Ægypto ad Clydasque*] *&c.*] Hic vs. ita corruptus est, ut

Et Cilicum gentes, vicinaque Caridos arva.
Piscibus Euphrates datus est, ubi pisce sub atro,

ad nationes Cilicum, et ad campos qui illis sunt proximi. Euphrates attributus est

deformis. Et quomodo *Leptis* sub aquario, cum tota Libya sub scorpio sit vs. 779.? Gemb. totum vs. sic exhibet, *Ægyptum lepidam T. que r.* Ceteri tres sic, *Ægyptum a lepidam T. r.* Repono, *Ægyptum tepidam T. que r. ad arces.* Vides causam, cur aquarius Ægyptum sibi seligat; quia ipse molli corpore et nudus est, illa autem tepida. Sed quæ hæc vanitas et inconstantia? supra vs. 752. Ægyptus sub ariete erat: mox vs. 779. sub scorpio; nunc demum sub aquario.' *Bent.* 'Codd. Lips. Paris. cum Regiom. Ægypt. *alepidam;* nullo sensu. Malim h. l. sequi Aldum, Prucknerum, et Molinium, qui vulgarunt, *Ægypto ad Leptimque arces T. que r.*' Stoeb.—799 Scal. Delph. et vulg. *vicina et aquarius arva.* 'Ut supra vs. 780. *scorpios* ab interpolatore intrusus est, ita hic *aquarius*: quasi non *Sed juvenis nudos formatus mollior artus* satis moustraverit aquarium. Aut dele hunc vs. aut sic repone, *E. C. g. vicinaque Caridos arva.* Caria, *Caris*, Καρίς: ut Persia, *Persis*, Parthia, *Parthus*, &c.' Bent. 'Libri omnes constanter, *vicina et aquarius arva*, id est, aquarius non ad asperam modo Ciliciam, verum ad campestrem quoque recedit. Hanc Ciliciæ divisionem tradit Ptolem. v. 8.' *Stoeb.*—800 Scal. Delph. et vulg. *piscis amator.* 'Interpolatum est, ut et in textu Bonincontrii *arator.* Gemblacensis habet *wruptor.* Quærant studiosi. Fortase, *piscis, ut ultor.* Ubi piscis, tanquam ultor et vindex adversus Typhoëa, subsedit in undis, ut Veneri opitularetur. Ovidius in Februario: 'succurrite Nymphæ, Et Diis auxilium ferte duobus, ait. Nec mora prosiluit. Pisces subiere gemelli.' Nam quod Ovidius dixit 'pisces subiere,' hic Noster, *piscis subsedit.*' Scal. 'Gemb. cum Lips. *piscis wruptor.* 'Quærant,' inquit Scal. 'studiosi.' Venet. *piscis emptor:* Voss. *piscis wruptor.* Unde Vossius ad Catullum corrigit, *ubi pisce sub atro.*' Bent. 'Multo rectior, eademque venustior est lectio cod. Paris. Regiom. et ceterorum ante Scalig. editorum, *ubi piscis arator.* Dictus *piscis arator* ab arando maris æquora. Vide

NOTÆ

vix vera lectio haberi possit. Etenim Rom. habet, *Ægyptum Alepidam ad arces terrasque recedit.* Vulg. *Ægypto ad Leptimque arces terrasque recedit.* Scaliger, *Ægyptum ad, Leptimque, arces Tyriasque recedit.* J. Bitur. *Ægyptum, Alepilas arces, Tyriasque recedit.* Verum pace horum virorum dixerim, non hæc Maniliana lectio. Neque enim sub diverso signo reposuit duas aut plures regiones. At Ægyptum jam posuit sub ariete, vs. 754. ut monui vs. 779. not. Pariter Leptim posuit sub capricorno, vs. 779. cum Leptis utraque urbs sit in Africa, quam capricorno totam asseruit. Pariter cum per *Alepilas arces* Junius Bitur. intelligat Arabiam, Palæstinam, et Idumæam, sub duplici quoque signo reponerentur, cum Arabia subjiciatur tauro, vs. 754. Bene ergo restituitur a nobis: *Ægypto ad Clydas, &c.* Clydæ enim insulæ duæ sunt in extremo mari Mediterraneo, ante Cyprum, contra Ægyptum, a Pyramo distantes stad. 700. Strab. lib. XIV. Tyrus pariter urbs est Phœniciæ, quæ regio est Syriæ, Mediterraneo mari adjacentis ab occasu, a septemtrione Ciliciam habentis. Hinc et ipsam Ciliciam aquario quoque subjicit Poëta. Itaque sic omnia sane bene concordant.

799 *Cilicum*] Cilicia, vs. 625.

800 *Piscibus Euphrates, &c.*] His 7. vss. ait sub piscibus collocari Eu-

Cum fugeret Typhona, Venus subsedit in undis.
Magna jacet tellus, magnis circumdata ripis,
Parthis, et a Parthis domitæ per sæcula gentes,
Bactraque, et Hyrcani, Babylon, et Susa, Panosque,

piscibus, in quo scilicet piscis ille amabilis, nempe Venus, latuit sub aquis, quando fugiebat Typhona gigantem. Magna illa terra, quæ circumcincta est magnis littoribus, subjicitur quoque piscibus; nempe Parthia, et populi qui olim superati sunt a Parthis; et Bactra, et Arii, et Babylonia, et Susa, et Paros, et infinita alia loca, quæ vix

Serv. ad illa Virgil. Æneid. III. 495. 'nullum maris æquor arandum.'' *Stoeb.* —803 Vulg. *Parthi sed Parthis.* Lege, *Parthis, et a P.* ἢ Παρθὶς καὶ τὰ τοῖς Πάρθοις ὑπήκοα ἔθνη.' *Scal.*—804 'Nescio, an scribendum, *Bactraque et Arii Babylon et Susa Hypanisque.* Sed suspecta omnia. Gembl. magis turbat: *Bactraque ætherios Babylonem et Sispiniosque.* Versus est spurius, ni fallor.' *Idem.* Delph. *Bactraque et Arii, Babylon, et Susa Parosque.* Vide Nott. inf. 'Versus Scal. spurius. Lips. *Bactraque ætherios Babylona et Susa pimosque.* Voss. *Bactraque eternis Babylone et Susa apimosque.* An legendum, *Bactraque et Hyrcani, Babylon et Susa Panosque?*' Bent. 'Malim, si per metrum liceret, *Arii,* quod dedit Fayus. Hoc enim propius accedit ad scriptam et vulgatam librorum nostrorum lectionem, *Bactraque et Herios Babyl.* quæ postrema Ald. et Pruckn. luculenter conjungunt. Et videtur sane illud *Herios* Persicum esse vocabulum, a librariis Latinis corruptum, quo distingui solebat hæc Babylon Ægypti ab altera, scilicet Chaldæa. *Panosque*] Πανὸς secundo casu a *Pan, Panis,* insula in sinu Arabico, cum aliis Ptolemæo notata. Vide Cel-

NOTÆ

phratem, i. e. Mesopotamiam, cujus fluvius est Euphrates: Parthiam, Ariam, Bactram, Babyloniam, Susiam, Parum, et alias vicinas regiones.

Ubi pisce sub atro, &c.] Alludit Poëta ad fabulam Veneris, quæ cum Typhonis gigantis furorem timeret, in Euphratem se projecit, et in piscem mutata sic tranavit et fugit, ut fusius relatum est II. 33. not.

801 *Typhona*] I. 411. not. et supra vs. 582.

802 *Magna . . . tellus, &c.*] I. e. totus ille terrarum orientalis tractus, qui ab extremo mari Mediterraneo ad Caspium mare pertinet, et hinc utrimque ad Persicum sinum, in quo continetur Parthia, Aria, Bactra, Babylonia, Susa, &c.

803 *Parthis*] Dicitur Parthis, -idis, et Parthia, -æ. Vel legendum foret, *Parthia; et a Parthis, &c.* Est autem Parthia Assyriæ regio.

A Parthis domitæ gentes] Scilicet, teste Justino XLI. 'Parthi domesticis seditionibus Scythia pulsi, solitudines inter Hyrcaniam, et Dahas, et Areos, et Spartanos, et Maggianos furtim occupavere,' &c. Notat igitur Poëta hos populos, seu has quoque regiones esse sub piscibus.

804 *Bactra*] Plur. -orum. Scythica regio, quæ ad meridiem Arios, seu Areos habet. Strab. II.

Hyrcani [*Arii*] Vel Arei, Bactrianis populi vicini, Indos inter et Parthos, quorum regio Aria, vel Ariana dicitur, vulgo *Turquestra.* Strab. XV.

Babylon] Urbs ad Euphratem, totius Chaldææ olim caput, a qua Babylonia dicta. Strab. XV.

Susa] Urbs Susiæ clarissima. Susia autem, seu Susana regio, pars est Persidis. Strab. XV.

Nominaque innumeris vix amplectenda figuris,
Et Tigris, et rubri radiantia littora ponti.
Sic divisa manet tellus per sidera cuncta.
E quibus in proprias partes sunt jura trahenda:
Namque eadem, quæ sunt signis, commercia servant.
Utque illa inter se coëunt, odiove repugnant;
Nunc adversa polo, nunc et conjuncta trigono;

comprehendi possunt infinitis modis loquendi, et Tigris, et oræ micantes maris Rubri. Hac igitur ratione terra distributa extat, per singula signa, e quibus repetendæ sunt leges in singulas regiones; etenim singulæ regiones sortiuntur eadem fœdera, quæ sunt inter signa. Et quemadmodum illa signa concordant, aut inimicitia pugnant, prout scilicet modo sunt opposita in cœlo, aut modo sociata ex trian-

lar. in Africa p. 249.' *Stoeb.*—807 'Libri nostri, *per secula.* Vicissim *secula* pro *sidera* supra vs. 253. Malim tamen hic *sidera* ob ea quæ sequuntur: 'E quibus,' &c.' *Idem.*—810 Scal. Delph. et vulg. *odioque.* 'Immo *odiove.*' Bent.

NOTÆ

Panos [*Parosque*] J. Bitur. bene; i. e. non Paros insula Peloponnesi, nec Parium Troadis oppidum; sed Paros tractus continens juga Tauri vel Caucasi montis: quorum jugorum pars dicitur Paropamisus, vel potius Paropanisus, tanquam si frontem Pari dixeris. Hinc et Paropamisadæ, vel Paropanisadæ, populi ad radices Paropanisi: et Parospus fluvius, qui sic dicitur quasi Pari oculus, influens in Cophetem. Consulantur geographi. Scaliger autem legit *Pavosque,* cujus vocis nec rationem nec notitiam reddit. Scilicet incognita vox est. Unde in posteriori editione legendum putat *Hypanisque.* Hypanis autem fluvius est Scythiæ, Ovid. Metam. xv. Quæ lectio satis probatur.

806 *Tigris*] Asiæ fluvius Mesopotamiam ab ortu alluens, et cum Euphrate ad Babylona confluens.

Rubri littora ponti] Regiones illæ omnes, quæ ab interiori parte sinus Persici oceano adjacent, quod et Rubrum mare dicitur. Neque enim hic *rubrum pontum* intelligit illud vulgare mare quod Rubrum vocant, quodque Ægyptum ab Arabia separat; sed intelligit Poëta sinum Persicum, in quem Euphrates et Tigris exonerantur, et ipsum oceani Persici littus, quod a sinu Persico ad Indi fluvii ostia extenditur. Sic Virg. Georg. iii. 358. mare occidentale dicitur 'mare Rubrum.' Sic mare Atlanticum ab Herodoto dicitur 'mare Rubrum.' Sic et a Cluverio totum Indicum mare, quod et Gangeticus, Persicus, Arabicus sinus dicitur, vocatur 'mare Rubrum.' Sic Herodotus lib. i. scribit Euphratem et Tigrim exonerare se in 'mare Rubrum,' cum tamen in sinum Persicum influant. Itaque Manilius per *littora rubri ponti* intelligit quoque ea sinus et oceani Persici littora, cum loquatur de iis regionibus quas alluunt Tigris et Euphrates.

807 *Sic divisa manet, &c.*] His 11. vss. concludit ita divisas esse singulas terræ regiones per quæque signa; atque ita gentes diversas sese aut odio aut amore prosequi, prout signa, quibus illæ subjiciuntur, aut concordia sunt, aut inimica.

Quæve alia in varios affectus causa gubernat:
Sic terræ terris respondent, urbibus urbes,
Littora littoribus, regnis contraria regna.
Sic erit et sedes fugienda, petendave cuique;
Sic speranda fides, sic et metuenda pericla,
Ut genus in terram cœlo descendit ab alto.
Percipe nunc etiam, quæ sint ecliptica Graio
Nomine, quod certos quasi delassata per annos
Nonnunquam cessant sterili torpentia motu.
Scilicet immenso nihil est æquale sub ævo,

gulari aspectu, et prout alia ratio regit ea in diversos effectus; ita regiones terrarum respondent aliis regionibus, et civitates civitatibus, et oræ oris, et provinciæ sunt adversæ provinciis. Atque ita habitatio erit evitanda aut expetenda; et ita pericula timenda erunt, sicut ratio diversa venit e supremo cœlo in terras. Accipe nunc quoque quæ signa sint ecliptica vocabulo Græco, quæ scilicet quasi defatigata desinunt interdum per certos annos, languentia præ affectione infœcunda. Nimirum nihil est æquabile per longissimum tempus, nihilque servat æternos flores, aut

—812 Scal. Delph. et vulg. *Quæque a. i. v. effectus c. g.* ' Veteres omnes *affectus.* Repone *Quæve*...*affectus.* *Affectus*, odium, amorem, &c. Sic II. 476. ' Quod Deus, in leges mundum cum conderet omnem, Affectus quoque divisit variantibus astris.'' *Bent.* ' Paris. et Regiom. *effectus*, sed præstat alterum, quod amoris odiique mentionem modo fecit.' *Stoeb.*—815 Scal. Delph. et vulg. *petendaque.* ' Immo *petendave cuique.*' Bent.—819 Scal. Delph. et vulg. *quæ certos.* ' Recte vetusti omnes, *quod certos.*' Bent. ' Ms. Paris. et Lips. editique Regiom. Ald. Rom. Pruckn. et Molinii constanter ferunt *quæ cert.* Neque aliter recentiores. Vides adeo, quam nimis confi-

NOTÆ

817 *Ut genus ... descendit ab alto*] I. e. prout ratio amicitiæ aut inimicitiæ ducitur a sideribus ipsis.

818 *Percipe nunc etiam, &c.*] His 3. vss. monet observanda etiam esse signa ecliptica; i. e. quæ virium defectum aliquando patiuntur, et quasi defatigata motu torpent per certum temporis spatium, alia tamen aliis diutius, ut jam postea dicetur. Itaque sicut sol et luna suos defectus patiuntur, et suo nos lumine privant; ita signa zodiaci, quia diverso et opposito cœlo lucent, bina semper alternatim laborare dicuntur. Sed de his fusius jam infra.

Ecliptica] Græca vox, a verbo ἐκλείπειν, i. e. *deficere.*

821 *Scilicet immenso, &c.*] His 20. vss. confirmat ab exemplis diversis non mirum esse, si suos quæque signa patiuntur defectus. Nihil enim æquabile in rerum natura. Sic arbores non perpetuo florent; sic agri non perpetuo fructus ferunt; sic tellus ipsa, solida licet, aliquando concutitur; sic mare, quod certo motu itque reditque, aliquando tamen totum immergit orbem, quod contigit tempore Deucalionis; sic sol aliquando mutat viam suam per sidera, quod contigit tempore Phaëthontis. Sic de hac rerum inæquabilitate eleganter cecinit Poëta noster vs. 416. et seqq.

Perpetuosque tenet flores, unumque tenorem:
Mutantur sed cuncta die, variantque per annos;
Et fœcunda suis absistunt frugibus arva,
Continuosque negant partus, effœta creando.
Rursus quæ fuerant steriles ad semina terræ,
Post nova sufficiunt, nullo mandante, tributa.
Concutitur tellus validis compagibus hærens,
Subducitque solum pedibus. Natat orbis in ipso,
Et vomit oceanus pontum, sitiensque resorbet,

colorem vivacem suum; sed omnia commutantur in dies, et variant per certos annos: sic et agri fertiles olim supersedent suis fructibus reddendis, et denegant perpetuos fœtus, quippe qui jam exhausti sint procreando: contra, qui agri fuerunt antea infœcundi ad semina recipienda, ii postea reddunt novos fructus nemine committente sibi semina: sic licet terra sit constans firmis compagibus, tamen aliquando quassatur, et subtrahit pedibus nostris solidam suam superficiem: sic aliquando terrarum orbis innatat in seipso: et licet perpetuo oceanus egerit ipsum mare, et sitibundus

denter ad 'vetustos omnes' provocet Bentleius.' *Stoeb.*—822 Scal. Delph. et vulg. *colorem.* 'Vetusti quattuor, *tenorem.* Vid. ad II. 428.' *Bent.* '*Perpetuosque tenet, &c.*] Sic Codex Paris. *Perpetuumque tenent* Regiom. dictum pro *in perpet.* Mox, *unumque tenorem.* Fayus *vivumq. colorem.* Vetustiores omnes cum Scalig. *unumq. colorem.*' Stoeb.—823 Scal. Delph. et vulg. *diu.* 'Immo *die*, cum acutissimo Gronovio: *die*, tempore, ævo.' *Bent.* 'Regiom. *Permutant* scil. *colorem.* Reliqui omnes vulgatum tenent, præter Cod. Paris. qui legit *Mutatur* scil. *color.* Optime autem interpunxit Molinius sic: *P. que t. flores, unumque colorem* (:) *Mutantur* (:) *sed c. diu variantur in orbe.* Unde satis liquide constat, illud *mutantur* ad *flores* spectare: quæ vero sequuntur, *sed cuncta, &c.* respondere his: 'nihil est æquale sub ævo' (vs. 821.) Ceterum in hac lectione, *sed cuncta diu variantur in orbe*, scriptus Paris. et editi ante Scaligerum omnes omnino conveniunt. Neque mutasset forte Gronov. aut minus Latinum judicasset hoc *diu* (Observ. I. 2. fin.) si integra hæc ei lectio fuisset oblata, vel saltem in mentem ei venissent illa Plauti exempla, quibus Non. Marcell. (apud Gothofr. p. 539.) probat, *diu* veteribus dictum esse pro *die.* Poteris etiam accipere pro tempore longo, quod infra Noster dedit vs. 838.' *Stoeb.*—824 Scal. Delph. et vulg. *subsistunt.* 'Subsistunt suis frugibus? Atqui Auctor vult, arva fecunditatem pristinam amittere. Corrigebat itaque Huetius, *nec f. s. subsistunt.* Immo reponendum potius, *Et f. s. absistunt f. Absistunt*, desinunt fruges dare.' *Bent.* 'Imo vero restituendum ex libris universis *subsistunt*, quod est quandoque quiescunt, uti Æneid. II. 243. Peradeo scite reddit Fayus: 'supersedent olim fructibus suis reddendis.' Conferas omnino vs. 819. et 845.' *Stoeb.*—828 Vulg. *variis.* Scal. et Delph. ex Gemb. *validis.* 'Hoc nullus veterum, nisi forte Gemb. agnoscit: *variis* omnes.' *Stoeb.*—830 'Turpiter hæc in Edd.

NOTÆ

'Terrenos aspice tractus, Et maris, et pronis fugientia flumina ripis,' &c.

830 *Vomit oceanus pontum, sitiensque resorbet*] Notat fluxum et refluxum maris, ut vocant, qui certo at perpetuo motu fiunt.

Nec sese ipse capit. Sic quondam merserat urbes,
Humani generis cum solus constitit hæres
Deucalion, scopuloque orbem possedit in uno.
Necnon cum patrias Phaëthon tentavit habenas,
Arserunt gentes, luit ipsum incendia cœlum,
Fulseruntque novis radiantia sidera flammis,

deglutit iterum illud, aliquando tamen ipse non continet seipsum: sic olim summerserat civitates, quando scilicet Deucalion superfuit unus hæres generis humani, et occupavit totum orbem terrarum in unico saxo: sic etiam quando Phaëthon ausus est regere fræna equorum patris sui, populi conflagraverunt, et cœlum ipsum metuit sibi

vulg. fœdata sunt. Legendum, *Et vomit oceanus pontum, sitiensque resorbet*. Asinum esse oportet, qui contradixerit. Intelligit labes, quas aut subitis inundationibus, aut recessibus oceanus facit.' *Scal.* ' Molin. ex antiquo Cod. *vehit*. Ceteri omnes, cum Mss. Paris. et Lips. *venit*. In fine versus, pro *resorbet* iidem libri *resolvit*.' Stoeb.—831 ' Gemb. *merserat orbem;* et propius historiæ poëticæ de diluvio. Nos nihil mutamus.' *Scal.*—835. 836 Scal. Delph. et vulg. *timuitque i. c. Fugeruntque novas ardentia s. flammis.* ' An

NOTÆ

831 *Nec sese ipse capit*] I. e. aliquando tamen oceanus ipse non se continet, sed in terras infundit seipsum longius, quam solitus erat. Quod contigisse ait tempore Deucalionis. Hujus enim tempore diluvium ita ingens contigisse fabulantur, ut totus terrarum orbis fuerit obrutus aquis, præter scopulum unum altissimum, in cujus cacumen sese recepit cum uxore Pyrrha, qui, post siccatas aquas, humanum genus reparavit ex lapidibus, quos oraculi jussu post terga sua jaceret ipse cum uxore. Quos autem Deucalion jaciebat lapides, eos in mares crescere commenti sunt; quos vero Pyrrha projiciebat, eos in fœminas converti voluerunt, Ovid. Met. I. Itaque vult Manilius id diluvium Deucalioneum contigisse ex oceani inundationibus; quanquam Plato in Tim. et Senec. III. 17. et Lucret. v. contendunt ejusmodi maris inundationes, non in omnem terrarum orbem esse grassatas, sed in aliquas tantum regiones ac civitates humiliores. Sed quod de Deucalioneo diluvio finxerunt, id de Noëthico est intelligendum.

833 *Deucalion*] Promethei filius, Pyrrhæ conjux, et Thessaliæ rex fuit.

Scopulo] Scilicet in Parnasso monte, ut ait Pausan. x. quanquam Hyginus et Aratus volunt in Ætna, Lucianus in Lycore, qui mons est in Delphis.

834 *Phaëthon*] Solis ex Clymene filius, qui paternos equos regere tentans, qua tulit impetus equorum, eos per æthera excurrere sivit, atque ita cœlum æstu incanduit, terra exaruit, fluminaque ebullierunt, Ovid. Met. II. Porro per Deucalionis diluvium, atque Phaëthontis incendium, notat Poëta duplicem mundi redintegrationem, quam modo per aquam, modo per ignem fieri certis annorum spatiis credidere veteres, Firmic. III. 1. Scribit non longius contingere illam ἀποκατάστασιν, *redintegrationem*, quam post an. 300000. De Phaëthontis autem casu fusius Manilius I. 733. et seqq.

836 *Fulserunt novis* [*Fugeruntque*

Atque uno timuit condi natura sepulcro.
In tantum longo mutantur tempore cuncta,
Atque iterum in semet redeunt. Sic fœdere certo
Signa quoque amittunt vires, sumuntque receptas.
Causa patet, quod, luna quibus defecit in astris,
Orba sui fratris noctisque immersa tenebris,
Cum medius Phœbi radios intercipit orbis,

ignem, et stellæ flagrantes evitaverunt novos ignes, et universum metuit involvi sub uno tumulo: sic pariter ipsa tempora variantur post diuturnum motum, et rursus revertuntur in seipsa: sic per certum temporis spatium ipsa quoque sidera perdunt vires suas, et iterum resumunt illas recuperatas. Cujus rei ratio manifesta est, quod ea signa, in quibus signis luna privata suo fratre, et involuta umbris noctis laboravit, quando scilicet globus terrarum interpositus subducit illi lumen solis, neque ipsa Delia deducit in seip-

---

timuit tantummodo? immo perpessum est incendia: et mox versu altero redit illud *timuit*. Noster I. 745. de eodem Phaëthonte sic loquitur: 'Et cælum exustum est: luit ipse incendia mundus, Et vicina novis flagrarunt sidera flammis.' Ex istis sic hos restituo, *luit ipsum i. c. Fulseruntque novis radiantia s. flammis*. *Fugerunt* hic pro *fulserunt*, ut contra, IV. 24. veteres aliquot *fulsissent* pro *fugissent*. *Radiantia*, non *ardentia*; quia præcessit *arserunt*.' Bent. 'Multo sanior sensus constat his: *timuitque i. c.* Ita cum Scaligero libri legunt universi. Conf. Nostrum supra I. 735. sqq. Mox sequens vs. 836. ex iisdem libris ita refingendus: *Fugeruntque novas ardentia s. flammas*.' Stoeb.—838 Scal. Delph. et vulg. *tempora cursu*. 'Scripti plerique et editi, *m. tempora cuncta*. Unde Scaliger dedit *cursu*. Verum haud de temporum mutatione hic agitur, sed rerum. Recte Vossianus, *In tantum longo m. tempore cuncta*.' Bent.—839 Scal. Delph. et vulg. *tempore*. '*Tempore* superiore vs. habuimus. Repone igitur *fœdere;* ut II. 478. 'Junxit amicitias horum sub fœdere certo.'' *Bent*. 'Repetunt, nec invenuste, libri *tempore*, in quo nunc vertitur medium comparationis.' *Stoeb*.—841 Vulg. *quod luna suis*. '*quod luna quibus*, sententia postulante, et Gemb. approbante.' *Scal*. 'Rectius veteres ad unum omnes, *suis*.' Stoeb.—843 Scal. Delph. et vulg.

NOTÆ

novas], *&c.*] Sic I. 739. 'nec signa insueta tulisse Errantes meta flammas,' &c.

837 *Atque uno timuit, &c.*] Sic I. 732.

841 *Causa patet, &c.*] His 7. vss. probat a pari signa quæque laborare per certa temporis spatia. Sicut enim luna patitur suos labores ex eo, quod per interpositionem terræ solem inter et ipsam non recipit lumen a sole; ita signa ipsa, quia in adverso et opposito cœlo sunt posita, et quasi ex interpositione terræ sese aspicere non possint, laborare ac deficere dicuntur. Ita scilicet languentia ac squallentia videntur, quasi lunam, quam ut sidus suum venerantur, extinctam ac elatam lugerent: poëtica phrasis. Porro ejusmodi eclipsis inter signa non contingit nisi inter bina semper, scilicet inter ea duo, quæ sunt in adverso cœlo.

842 *Orba sui fratris*] Privata lumine solis. Etenim luna suum lumen mutuatur a sole, I. 221. et seqq.

843 *Phœbi*] Solis, I. 19.

Intercipit orbis] Eclipsis enim lunæ, ut monui, contingit ex interposi-

Nec trahit in se tum, quo fulget, Delia lumen;
Hæc quoque signa suo pariter cum sidere languent
Incurvata simul, solitoque exuta vigore,
Et velut elatam Phœben in funere lugent.
Ipse docet titulus causas: ecliptica signa
Dixere antiqui. Pariter sed bina laborant;

sam tunc lumen, quo lucet; ea, inquam, signa lugentia et intercepta sua consueta vi languescunt æque ac suum sidus, quod est luna, et deflent Phæben, quasi mortua portaretur in tumulum. Ipsa autem signa, quæ olim veteres astronomi appellaverunt ecliptica, bina simul laborant, nec ea deficiunt, quæ sunt proxima ratione sedis, sed quæ opposita lu-

---

medios. 'Immo *medius.* Cum orbis terræ, medius et solem inter et lunam, radios solis intercipit.' *Bent.* 'Quis non malit ex Codd. nostris *medios?* Idem vero sensus.' *Stoeb.*—844 'Versus iners et supervacuus: nihil addit sententiæ; constructionem autem turbat. *In se tum* a Scal. est; vetusti *ad cæcum, ad cetum;* et plerique, *Delia luna.*' Bent. 'Molin. *ad se tum:* cetera eodem quo Bentl. tenore dedit. In aliis vulgatis, sensu minus commodo, fertur *ad cæcum* vel *cætum.* itemque *luna* pro *lumen.*' Stoeb.—846 Scal. Delph. et vulg. *excepta.* 'Quid est *excepta vigore?* Vetusti omnes *exempta.* Repone, *exuta.* Sic 'exutus bonis,' 'fortunis,' 'prædiis,' &c. id est, privatus, spoliatus.' *Bent.* 'Magis placet *excepta*, quod habent libri nostri, præter Cod. Lips. qui legit *exempta.* Utrumque, interprete quidem Fayo, valet intercepta.' Stoeb.—848 Scal. Delph. et vulg. *Ipsa, d. t. causæ, quæ e. s.* 'Hæc scabra et invenusta sunt. Gemb. et Lips. *Ipsa docet titulos causæ quæ e. s.* Voss. *Ipse docet titulos causæ egliptica s.* Repone, *Ipse docet titulus causas: e. s. D. a.* Sic II. 695. 'Dodecatemoria, in titulo signantia causas.'' *Bent.*—849 Scal. Delph. et vulg. *subbina.* '*Subbina* mihi eleganter dictum videtur, quod bina alternis laborent. Sed Gemb. legit *sed bina.* Sunt autem bina signa ecliptica: nempe *ἡ φωσφορία,* in qua contigit deliquium, et ei oppositum partili-

NOTÆ

tione terræ solem inter et lunam. Solis vero defectus ex interpositione lunæ solem inter et nos.

844 *Delia*] Luna, I. 231.

845 *Suo . . . sidere*] Luna, quæ sidus est ceterorum siderum, non quod ab ipsa lumen suum mutuentur, sed quia sicut sol sidus est diei; ita luna sidus est noctis, qua sidera cetera lucent.

846 *Incurvata*] Alludit Poëta ad luctum lugentium et atratorum. Horum enim mos est incurvari et inclinare caput, ut luctum suum magis notent et significent. *Incurvata* igitur, i. e. debilia, deficientia, laborantia.

847 *Phæben*] Lunam, II. 911.

848 *Ipse docet titulus, &c.*] His 5. vss. primum ait ea dici ecliptica signa, quæ laborant ac deficiunt eo, quo diximus, modo vs. 818. et 841. Deinde monet bina simul signa deficere per certum temporis spatium, alia tamen aliis diutius aut minus diu: ubi vero illa bina signa pristinum suum et vigorem et colorem resumunt, tunc bina alia sequentia hinc inde laborare ac deficere per certum suum spatium: et ita alternatim de reliquis.

Docet titulus causas] Ecliptica enim vox est Græca, quæ *laborantia* significat vs. 818.

Nec vicina loco, sed quæ contraria fulgent:
Sicut luna suo tunc tantum deficit orbe,
Cum Phœbum adversis currentem non videt astris.
Nec tamen æquali languescunt tempore cuncta:
Sed modo in affectus totus producitur annus,
Nunc brevius lassata manent, nunc longius astra,
Exceduntque suo Phœbeia tempora casu.
Atque ubi perfectum est spatium quod cuique dicatur,

cent; veluti tunc solum luna laborat suo disco quando ex interpositione terræ non aspicit solem euntem per sidera opposita. Neque tamen omnia signa deficiunt per æqualia temporis spatia; etenim nunc integer annus protrahitur, quo signa deficiunt, modo vero signa defatigata jacent minus diu, modo diutius, et sæpe superant suo defectu tempora annua solis. At vero cum illud spatium temporis, quod datur cuique est

ter dodecatemorion. Igitur *subbina* vocat, ut diximus, i. e. alterna bina.' *Scal.* ' Priscæ editiones *subbina:* et retinuit Scal. Barbarum tamen est; et sine exemplo. Vetusti quattuor recte, *pariter sed bina laborant.*' Bent. ' Molin. omnium rectissime sic: *Ipsa (d. t. causaque) e. s. D. a. p. sub bina l.* Codex quoque Paris. Ald. et Pruckn. *sub bina.* Cod. Lips. *sed bin.* Regiom. *sub luna.*' Stoeb.—851 ' Et hi duo spurii videntur: infra Auctoris genium sunt; nihil dicunt, nisi quod melius sit dictum antea: et frustra orationis seriem interrumpunt.' *Bent.*—854 Scal. Delph. et vulg. *Namque modo infectus.* ' Sic alibi dixerat: ' Æraque inficiunt.' Gemb. tamen variat: *Sed modo in affectus.* Ego vulgatam lectionem præfero.' *Scal.* ' Sic veteres editiones: sed veteres membranæ aliud habent, *Sed modo in affectus.* Cui vulgatam interpolationem prætulisse Scaligerum, sane miror.' *Bent.* ' Ita diserte Codex Lips. Dedit autem Manilius, *Namque modo infectus.* Hanc referunt lectionem Codex Paris. Regiom. et ceteri omnes vulgati. *infectus annus*, quasi privatus lumine illorum signorum, ac tenebris obvolutus. Pari modo Noster I. 226. ad lunam defectu laborantem: ' Ultima ad Hesperios Infectis volveris alis.'' *Stoeb.*—855 Vulg. *nec l. a.* ' Corrige *nunc l. a.* Et

NOTÆ

851 *Sicut luna suo, &c.*] Sicut, inquit, luna laborat, quando solem non videt euntem per adversum cœlum, quia terra intercipit illius aspectum; ita signa deficiunt ac laborant, quia sese videre non possunt, dum sunt in adverso cœlo.

853 *Nec tamen æquali, &c.*] His 4. vss. docet non æquali temporis spatio quæque signa deficere, sed alia per annum, alia minus, alia diutius.

854 *Affectus* [*infectus*] Quasi privatus lumine illorum signorum, ac tenebris obvolutus.

856 *Phœbeia tempora*] Solarem annum.

857 *Atque ubi perfectum est, &c.*] His 9. vss. docet alternatim bina signa opposita laborare atque deficere. Sed ejusmodi signorum labores ac defectus non ita contingunt ut soli signorum globi oppositi sint; sed ut et qua parte alterum oritur, et qua parte alterum occidit, vires deneget, quas antea reddebat, aut damna paria non referat. Locus enim cœli mutat omnia.

Impleruntque suos certa statione labores
Bina per adversum cœlum fulgentia signa;
Tum vicina labant ipsis hærentia signa,
Quæ prius in terras veniunt, terrasque relinquunt:
Sidereo non ut pugnet contrarius orbis;
Sed, qua mundus agit cursus, inclinat et ipse,
Amissasque negat vires; nec munera tanta,
Nec similes reddit noxas. Locus omnia vertit.
Sed quid tam tenui prodest ratione nitentem
Scrutari mundum, si mens sua cuique repugnat,
Spemque timor tollit, prohibetque a limine cœli?
Condit enim se, inquit, vasto natura recessu,

absolutum, et cum bina signa lucentia per contrarium cœlum absolverunt hos defectus per certam moram temporis, tunc ea signa laborant, quæ proxima sunt illis signis, et quæ scilicet prima assurgunt supra terras ex una parte, et deserunt terras ex alia. Non quidem ut globus ipse oppositus signi adversetur tantum opposito globo alterius signi; sed qua parte cœlum incipit suos motus et ipsum delabitur, sidereus uterque ille globus et denegat virtutes quas amisit, nec refert tantas dotes quantas antea, nec paria damna. Scilicet sors cœli mutat cuncta. At, inquies, quid juvat perscrutari tam subtili mente cœlum, si animus cujusque aversatur istud, et si metus aufert omnem spem, et arcet nos ab aditu ipso cœli? Namque id omne, quod natura tegit sub im-

ita quoque Gemb.' *Scal.*—860 Scal. Delph. et vulg. *signis*. 'Immo *signa*, *Quæ prius in terras veniunt*; hoc est, quæ illis proxima ad occasum sita sunt.' *Bent.*—863 Vulg. *Sed quia m. a.* '*Sed qua m. a. . . . ipse*, orbis terrarum.' *Scal.*—869 Scal. Delph. et vulg. *C. e. quicquid v. n. r.* 'Nullus orationis exi-

NOTÆ

861 *Quæ prius in terras, &c.*] Explicat situm illorum duorum signorum, quæ deficere incipiunt post alia duo, quæ suum defectus tempus adimplerunt. Cum enim opposita tantum signa bina laborent, sequitur ut alterum jam ascensurum sit supra terras, alterum vero ex opposito descensurum sit infra terras. Ejusmodi enim duo signa sunt ea, quæ in defectum succedunt aliis binis hinc inde.

862 *Sidereo*] Sup. globo, corpori ipsi signorum.

863 *Qua mundus agit cursus*] I. e. qua parte exoritur alterum ex illis binis signis.

Inclinat et ipse] I. e. qua parte alterum e binis illis signis cadit. His enim verbis notat ortum et occasum cœli, cum quo exoriuntur aut cadunt sidera.

866 *Sed quid tam tenui, &c.*] His 16. vss. objectionem proponit adversus illam siderum notitiam, quasi supervacanea foret, tum quia nec illam assequi valet mens humana; cum quia non sit cur non æque datum sit videre cœli penetralia, ac faciem ejus exteriorem videmus. Hæc objectio sane non mediocre pondus videtur habere. Sed eam jam infra rite solvit, vs. 877. Eandem fere objectionem proposuit et solvit jam antea vs. 387. et seqq.

867 *Mundum*] Cœlum, I. 9.

Mortalesque fugit visus, et pectora nostra:
Nec prodesse potest, quod fatis cuncta reguntur,
Cum fatum nulla possit ratione videri.
Quid juvat in semet sua per convicia ferri?
Et fraudare bonis, quæ nec Deus invidet ipse?
Quosque dedit natura, oculos deponere mentis?
Perspicimus cœlum: cur non est munere cœli
Quanto at pars superest rationem discere noctis?

menso secessu, et latet oculos hominum, et mentes nostras: neque potest juvare, quod omnia gubernantur a fatis, quoniam fatum nequit ullo modo perspici. Igitur quid prodest sibi ipsi agere in suas exprobrationes, et privare bonis, quæ nos habere Deus ipse non dolet, et privare se illis oculis animi, quos ipsa natura nobis dedit? Videmus quidem cœlum, quare igitur non videmus etiam dotes cœli? Cur non datur etiam

tus est: *Quicquid condit natura, fugitque visus nostros;* quid tum postea? mutila, ut vides, sententia est. Vetusti omnes *quod* vel *quid* pro *quicquid.* Gemblacensis lacunam habet inter *enim* et *quid.* Repone, *Condit enim se, inquit. Inquid* pro *inquit*, ut *quod* pro *quot* passim in membranis. *Inquit*, ponit aliquem contra loqui, desperantem se hæc posse perspicere; cui statim respondet, *Quid juvat in semet, &c.* Ita supra vs. 387. 'Multum, inquis, tenuemque jubes me ferre laborem.'' *Bent.* 'Regiom. *Condit enim verum:* et hæc unice vera lectio, sensuique Auctoris maxime consentanea. Confer supra vs. 303. sqq. *vasto recessu*] Sui Noster optimus interpres supra vs. 196. 'qui possint cernere cuncta, Quamvis occultis naturæ condita causis.'' *Stoeb.* —870 Vulg. *M. que hebetat.* 'Gembl. *M. que fugit.* Quicquid natura abdidit, id fugit et visus nostros et pectora nostra. Verissima lectio. Nam τὸ *hebetat* repositum ex Virgilio: et quidem nihil ad rem.' *Scal.* 'Codex Paris. *piget.* Regiom. cum ceteris, *hebetat;* quod sentiunt oculi solem intuentes. *quod fatis cuncta reguntur*] Horum imitatione Sidon. Paneg. Avit. vs. 123. 'Fatum, quo cuncta reguntur, Quoque ego, non licuit frangi.' Confer Nostrum supra vs. 14.' *Stoeb.*—872 'Pro *videri* Cod. Paris. *moveri*, quod est frangi apud Sidon. l. m. c.' *Idem.*—876 Scal. Delph. et vulg. *et munera.* 'Post hunc versum repone illum: *Quanta at pars superest rationem discere noctis? Quanta et*] Lege, *Quanta at.* At quid difficultatis superest ad discendum caussas latentes? quasi dicat, nihil. Sic Lucanus, ut Suetonius scripsit in ejus vita, dicebat: 'Et quantum mihi superest ad Maronis culicem?'' —876-878 'Versum medium, qui in libris post vs. 882. venit, huc excitavit

NOTÆ

873 *In semet sua per convicia ferri*] Agere in seipsum ad suum dedecus; quatenus scilicet cœli notitiam assequi non valemus, quicquid tentemus.

874 *Fraudare bonis, quæ, &c.*] Quasi bonum sit aliquod cœli notitiam assequi non tentare; qua notitia nos privari Deus voluit, cum eam nobis non dederit.

875 *Oculos deponere mentis, &c.*] Scilicet eam notitiam deponere, quam natura dedit nobis, ad aliam assequendam, quam non dedit. Hi enim oculi mentis sunt nobis a natura dati, qui ad cœlos perscrutandos nos ferunt. Hos autem deponere volumus, cum alios nobis quærimus, quibus ipsos cœlos penetremus.

877 *Pars*] I. e. difficultas, labor,

Inque ipsos penitus mundi descendere census;
Seminibusque suis tantam componere molem;
Et partum cœli sua per nutritia ferre;
Extremumque sequi pontum, terræque subire
Pendentis tractus, et toto vivere in orbe?
Jam nusquam natura latet: pervisimus omne,

penetrare in ipsas interiores opes cæli, et comparare tam ingentem machinam cum suis principiis, et reddere cælo suum valorem per sua cunabula, et progredi in ultimum usque portum, et intrare in omnes regiones terræ, quæ pendet in medio universi, et degere vitam in omni terra? Verum, quæso, quis labor jam superest ut penitus cognoscatur causa tenebrarum? Jam nullibi natura latitat, videmus eam totam: et frui-

Scal. eam, opinor, ob causam, quia nihil erat, quo referri posset illud *descendere.* Atqui vs. irreptitius et insulsus est, et neutri loco convenit. Difficile vero et magni faciendum, *noctis rationem discere;* quam vel in primo libro Auctor docuerat. Hoc sublato, sic ceteros repone, *Perspicimus cælum: cur non est munere cæli Inque ipsos penitus mundi descendere census? Cur non est,* non licet, *penitus, &c. Inque,* cum binæ sequuntur conjunctiones, est *etiam in ipsos census. Munere cæli,* cæli ipsius ope et beneficio. Sic II. 115. 'Quis cælum posset, nisi cæli munere, nosse?'' *Bent.* 'Ex rei veritate legendum, *Prospic.* quod vs. 885. pro vulgato *conspic.* habet cod. Lips. De hac voce nos supra ad II. 950. *cur non est munere cæli*] Legendum cum libris universis, *cur non et munera cæli* (?) Confer, si placet, notam ad II. 115. sq. *munera*] eodem loco vox intelligenda, quo supra III. 137. Denotat h. l. officia, quæ stellis sua singulis adscribebant veteres. vs. 877. in libris nostris legitur post 882. Pro *at,* illi *et.*' Stoeb.—878 Vulg. *sensus.*—879 'Mallem, *Segminibus.*' Scal.—880 Vulg. *Et precium cæli.* 'Legendum, *cælo. καὶ ἀντιπελαργεῖν τὸν οὐρανόν.* Cognoscere cælum hoc vocat *θρεπτήρια τῷ οὐρανῷ ἀποτῖσαι. Nutritia, τροφεῖα.* Gembl. *Et partem cæli.* male.' *Scal.* Et sic Delph. '*Cælo* a Scal. est, quod explicat 'vices, pretium, *θρεπτήρια,* cælo retribuere.' Rectius Gronov. Observ. I. 11. ex cod. Venet. *Et partem cæli sua per nutricia ferre. Partem cæli,* hominem scil. *per ea ferre quibus maxime nutritur et alitur.* Satis bene; nisi melius quid in parato esset, *Et partum cæli s. p. n. f. Partum cæli* habent Gemb. Lips. et Voss. Hominem, qui *partus cæli* est, et inde primum huc demissus, *ferre per sua nutricia,* per loca cælestia ubi initio factus, formatus, nutritus est.' *Bent.*—881 Scal. Delph. et vulg. *portum.* 'Quemnam vero *portum?* Repone *pontum;* hoc est, oceanum, horizontem; ut probant se-

NOTÆ

onus, &c.

878 *Census*] Munera, dotes, &c. I. 12. Male autem vulg. habet *sensus,* nisi *sensus* pro notitia et cognitione sumatur.

879 *Seminibus*] Gemb. bene, i. e. principiis, ex quibus primis cœlum constat, I. vs. 122. et seqq. Scaliger *Segminibus,* i. e. partibus. Quid juvat igitur penetrare cœlos, videre illos intus, resolvere illos in sua principia, et ipsos cum suis principiis conferre?

880 *Nutritia*] Prima cunabula, prima principia. *Nutritium* enim significat id omne, quod ad ortum, cunas, et nutritionem rerum pertinet. Metaphorica locutio.

881 *Extremum sequi pontum* [*portum*], *&c.*] I. e. pervadere in ultimos terræ ac maris tractus, ad habendam rerum omnium notitiam.

882 *Pendentis*] Sup. in medio universi, I. 179.

Et capto potimur mundo, nostrumque parentem
Stirps sua perspicimus, genitique accedimus astris.
An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
In cœlumque redire animas, cœloque venire?
Utque est ex omni constructus corpore mundus,
Aëris, atque ignis summi, terræque, marisque;

mur cœlo, quod rite cognovimus, et novimus genitorem nostrum, cujus pars ipsi sumus, et jam pervenimus ad astra, e quibus nati sumus. An ambigitur Deum manere in mente nostra? et animas revertere in cœlum, et oriri de cœlo? Et sicut mundus compositus est ex omni corpore aëris, et ignis, qui sublimis est, et terræ,

quentia, *terræ pendentis tractus.* *Pendentis*, sub horizonte jam ituræ.' *Bent.* —883 Scal. et vulg. *pervidimus omnem.* Delph. *perspicimus.* 'Repone, *pervisimus omne.* *Omne*, τὸ πᾶν, ut supra. *Pervisimus*, præsenti tempore, ut sequentia, 'potimur,' 'perspicimus,' 'accedimus.' Ita mox 927. 'Parvula sic totum pervisit pupula cælum.'' *Bent.* 'Codex Paris. Regiom. et ceteri vulgati, *pervidimus omnem.*' Stoeb.—885 Scal. Delph. et vulg. *Pars sua conspicimus.* Gemb. *Pars sua perspicimus.* 'Vetusti omnes *perspicimus.* Repone, *Stirps sua perspicimus.* Sane cum *parentem* dixerit, *stirps* convenit, non *pars.* Sic I. 765. de Sarpedone Jovis filio, 'stirpemque Tonantis Rectorem Lyciæ.'' *Bent.* 'Iisdem adhuc libris accedere malo, qui habent *Pars sua.* Ita Noster supra II. 116. Exquisita in eandem sententiam loca recitavit Schedius, quem operæ pretium est adire in de Diis German. p. 314. sq.' *Stoeb.*—888 Scal. et vulg. *Utque sit.* Delph. *fit.* 'Immo, *Utque est.*' Bent. 'Libri omnes *sit*, pro quo Fayus *fit*, non male.' *Stoeb.*—889 Vulg. *Ætheris atque ignis.* 'Æther

NOTÆ

883 *Jam nusquam, &c.*] His 53. vss. scilicet ad usque finem hujus libri, solvit propositam objectionem. Respondet igitur jam vix ullam superesse difficultatem cognoscendi cœlos ac sidera, rerumque causas, cum nullibi jam natura latet: cœlum penetratur ubique: prima mundi principia innotescant: Deus necdum ignoretur. Nec est quod aut cœlum aut Deus ipse nos terreat, cum e cœlo descendamus et a Deo creati simus. Immo alterum ipsi sumus exemplar et Dei et universi: ipseque Deus ac cœlum nos vocat ad sidera. Deinde instat non magis esse prohibitum e signis cœlestibus ducere rationem, quam aut fibras pecudum, aut avium cantus attendere. Præterea non desunt nobis vires animi, mens quippe humana plurimum potest. Denique si homo jam Deos facit, et ad sidera mittit nova numina, cum Oct. Augustum inter sidera collocat, non est cur ipsius cœli notitiam ipsi nobis denegemus.

884 *Nostrumque parentem*] Deum.

887 *In cœlumque redire animas, &c.*] Sic Virg. Æn. VI. Ovid. Metam. XV. Juvenal. Sat. XV. et alii complures poëtæ.

888 *Utque est ex omni, &c.*] His 8. vss. argumentum ducit a pari. Sicut enim mundus constat ex quatuor elementis, terra, aqua, aëre, et igne; atque divina mente agitur: ita homo constat ex corpore, ex sanguine, et ex anima quæ totum regit hominem, atque agitat. Unde cum homo sit parvus mundus, nil mirum si mundum ipsum possit cognoscere. Hæc autem ex doctrina Platonis. Sic etiam I. 136. et seqq.

Spiritus et toto rapido quæ jussa gubernans:
Sic esse et nobis terrenæ corpora sortis,
Æthereasque auras animo, qui cuncta gubernat,

et aquæ; et sicut mens est divina, quæ regit ea quæ sunt mandata per universum, quod rapitur: ita certum est esse in nobis corpora naturæ terrestris, et animas sanguineas, et animum qui regit omnia in nobis, et qui distribuit totum hominem in

et ignis idem. Legendum *Aëris;* nisi dicamus *Æthera* quoque pro aëre usurpatum, quod nescio an concedere debeam.' *Scal.* 'Libri omnes *Ætheris:* sed *Aëris* placet. Sic I. 137. et alibi, 'Aut neque terra patrem novit, nec flamma, nec aër, Aut humor:' et 249. Aëris atque ignis, terræ pelagique jacentis.' Frustra hic cavillatur doctissimus Huetius.' *Bent.*—890 Vulg. *Spiritum et in toto.* 'Gembl. *Spiritum et toto rapido quæ j. gubernant.* Mann ducit ad veram lectionem: *Spiritus et toto rapido quæ j. gubernans.* Verissime. Spiritus est gubernans, quæ jussa sunt in toto hoc rapido, in tota hac mole rapida. Statius VI. Thebaidos: 'quis fulmen agat, quis sidera ducat Spiritus?' Codici restitutionem hanc accepto referimus. *gubernant, movent* pro *gubernans, movens* sæpissime in Gembl. annotavimus.' *Scal.* Delph. *Spiritus et toto rapido qui jussa gubernat.* 'Ita castigandum. Male enim vulg. *Spiritus est toto r. qui j. gubernat.* Per vocem *toto* intellige universum. Sic enim Lucret. passim.' 'Versus spurius et barbarus. Libri vetusti, *Spiritum et toto rapido quæ j. gubernant.* Abeat nebulo, cum *toto suo rapido. Quæ jussa gubernant;* et mox altero abhinc versu, *Qui cuncta gubernat.*' Bent. 'Cod. Paris. Regiom. ceterique impressi, *Spiritum et in toto rapidum qui j. gubernat:* Rectius omnino Fayus v. c. dedit: *Spiritus et toto rapido qui, &c. Spiritus* est 'vis animæ divina,' I. 250. Ille gubernat jussa seu fati decreta, in toto hoc universo rapido, quod celeri cursu movetur. Quod si veterem seqni scripturam velis, ita tibi verborum ordo concinnandus erit: An dubium est, esse et spiritum rapidum, id est, agillimum et in agendo velocissimum (quo sensu rapidus venit ignis), qui jussa gubernat in toto scil. mundo? quem vocat, 'hoc omne,' supra vs. 406.' *Stoeb.*—891 Scal. Delph. et vulg. *in nobis.* 'Immo repone, *Sic esse et nobis.*' Bent. 'Scribæ librarii et interpretes omnes, *in nobis.*' Stoeb.—892 Scal. Delph. et vulg. *Sanguineasque animas.* 'Gembl. *Sanguineasque animas animo.* Haud dubie τὸ *animas* conformatum ex sequenti. Sed quid reponendum sit, lubricum est statuere. Nam multa possumus comminisci. Vult enim dicere, ut sit spiritus quidam in tota hac rapida mole, qui jussa gubernet, sic esse sanguineam vim animo nostro, qui cuncta gubernet. Scio *minas* esse, quas poëtæ dicunt ὁμοκλὰς, quibus instigantur bestiæ ad incessum tardiores, quod valde conveniret huic loco, ubi jussa facienda præscribuntur. Sed non ita temerarii sumus ut sine codicis auctoritate admittamus. Valde tamen arridet conjectura. Festus Avienus: 'instanti similis

NOTÆ

892 *Æthereasque auras animo* [*Sanguineas animas animum*] Distinguit itaque Poëta inter *animam* et *animum.* Sic Juvenal. Sat. XV. 147. docet brutis animantibus animas esse datas a Deo; hominibus vero animos. 'Mundi Principio indulsit communis conditor illis Tantum animas, nobis animum,' &c. Itaque loquitur ex Epicuri sententia, qui voluit animam esse corpoream, perque totum corpus diffusam. Sic Lucret. lib. III. 144. 'Cetera pars animæ per totum dissita corpus.' Atque adeo brutis animantibus et hominibus communem esse. Animum vero voluit quoque esse corporeum, quia et agit corpora, et corporibus tangitur, ut ait ibidem

Dispensatque hominem? quid mirum, noscere mundum
Si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis;
Exemplumque Dei quisque est in imagine parva?
An quoquam genitos, nisi cœlo, credere fas est
Esse homines? projecta jacent animalia muta

sua munia. Quid igitur mirandum est, si homines queant cognoscere universum, quoniam in ipsis universum est ipsum? et quoniam quisque homo est imago Dei ipsius in parvo exemplari? An licet credere homines esse procreatos ex alio, quam e cælo? Cetera animalia prona jacent in terra, aut summersa sunt aquis, aut volitant

similisque minanti.' Ex illo Arati, ἐλάσσονι ἐοικώς. Sed de hoc alibi diximus. Porro hoc argumentum tractat Firmicus libro VIII.' *Scal.* 'Vide comparationem et antithesin; ut mundus partim gravibus constat aqua et terra, partim subtilibus aëre et igni; ita et hominibus sunt corpora terrenæ sortis, animi vero cælestis sortis. Ad hanc sententiam locuturus erat Auctor; si per interpolatores stetisset. Quid enim est *sanguineas animas animo?* Illud *animas* haud dubie mendosum pronuntiat Scaliger: sed quid reponendum sit, lubricum esse statuere. Tentat tamen, *sanguineasque minas animo: minas*que explicat ὁμοκλὰς, sive voces, clamores, hortamina, quibus jumenta ad incessum tardiora instigantur. Nollem ego sic verborum apices captare, ut sententiam prorsus amitterem. Numquam credam *sanguineas animas* opponi *sorti terrenæ.* Quærendum aliquid subtilius, purius, cælestius. Repono, *Ætheriasque auras animo.* Dogma Stoicorum et Auctoris est, animas esse igneas sive ætherias. Virgilium imitatur, ut solet: Æn. I. 551. 'Quem si fata virum servant, si vescitur aura Ætheria, nec adhuc crudelibus occubat umbris.' Georg. IV. 220. 'His quidam signis, atque hæc exempla secuti; Esse apibus partem divinæ mentis et haustus Ætherios dixere:' et Æn. VI. 745. 'Donec longa dies perfecto temporis orbe Concretam exemit labem, purumque reliquit Ætherium sensum atque aurai simplicis ignem.' Ovid. Fast. I. 473. de vate Carmenta, 'Quæ simul ætherios animo conceperat ignes.'' *Bent.* 'Vetus est lectio, *Sanguineasque animas animi.* Distinguit animam vitalem, quæ est *sanguinea,* (Levit. XVII. 4.) *a rationali,* qui dicitur *animus.* Illam brutis animantibus tantum; hominibus utramque disertius adsignat Juven. Sat. XV. 148. Principio indulsit communis conditor illis Tantum animas, nobis animum quoque.'' *Stoeb.*—896 'Ita codex Paris. et editus Pruckn. *quoiquam* Aldus, pro quo *cuiquam* Regiom. *quosquam* non minus bene legit Mo-

NOTÆ

Lucret. 'Corporeis quoniam telis ictuque gravatur.' Sed interim docet animum, quam mentem vocamus, sedem suam habere in solo pectore, et quasi caput esse totius hominis, et in toto corpore dominari. Sed de his nos fusius disputabimus in Lucretii nostri annotationibus.

895 *Exemplumque Dei, &c.*] Sic præclare Ovid. Met. I. 83. 'Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum,' &c.

896 *An quoquam genitos, &c.*] His 15. vss. confirmat hominis mentem pertingere posse ad cœli notitiam, quia e cœlo genitus est homo; quia unus e ceteris animantibus vultum habet sublimem, et os erectum in cœlos; et quia illi uni ingenium est capax, et data mens, quæ non solam cœlorum faciem videre, sed et ipsa cœli præcordia perscrutari possit intrinsecus.

897 *Projecta jacent, &c.*] Sic præ-

In terra, vel mersa vadis, vel in aëre pendent:
Et, quia consilium non est, et lingua remissa;
Omnibus una quies, venter somnusque per artus.
Unus in inspectus rerum, viresque loquendi,
Ingeniumque capax, variasque educitur artes
Hic partus qui cuncta regit, secessit in urbes,

in aëre. Omnibus autem illis abdomen et sensus corporis est unica beatitudo, tum quia ratio deest illis, tum quia linguam habent imbecillem. Verum una rerum cognitio, et facultas loquendi, et mens docilis fert hominem in diversas disciplinas. Hæc proles humana, quæ gubernat omnia, habuit orbem terrarum in sortem suam, et subegit

linius. In eandem sententiam Juvenalis: 'Sensum ex cælesti demissum traximus arce.'' *Idem.*—897 Scal. Delph. et vulg. *animalia cuncta.* 'Non *cuncta:* nam inter cuncta et homo ipse est. Repone, *a. muta.* Ita II. 99. 'Denique si pecudes et muta animalia terris.' Seneca ad Marciam, c. 7. 'Aspice mutorum animalium quam concitata sint desideria, et tamen quam brevia.' Recte vero hic *muta*, cui mox opponuntur *vires loquendi.*' Bent. 'Hoc, rectius judicante D'Orvillio ad Charit. p. 663. tautologon foret, eo quod sequitur, *lingua remissa.* Rescribendum ergo, *animalia cuncta.* Sic scripti ensique omnes.' *Stoeb.*—'Vs. 899. sequenti postpositus est in libb. scriptis et editis præstantioribus.' *Idem.*—900 Scal. Delph. et vulg. *sensusque.* '*Sensus* male convenit cum *quiete*, cum sensus sopiuntur. Repone, *venter somnusque per artus:* ut Sallustius Cat. 2. 'Sed multi mortales, dediti ventri atque somno.' Tacitus Germ. c. 15. 'Per otium transigunt, dediti somno ciboque.' *Somnus per artus*, ut Virgilius Æn. VIII. 405. 'dulcemque petivit Conjugis infusus gremio per membra soporem.' Deinde versum priorem posteriori subjice, hoc modo, *Et, q. c. n. e., et l. r.; O. u. q., v. s. que per a.*' Bent. 'Melius, *sensusque.* Sic editores ante Bentleium omnes. Cod. Lips. *censumque*, minus bene.' *Stoeb.*—901-2 Scal. Delph. et vulg. *Unus et inspectus;* et mox *varias educit in artes.* 'Mirifice hæc interpretatur Scaliger, '*Unus inspectus rerum,* ἀπὸ κοινοῦ non est brutis. *Ingenium capax educit,* hoc est per ellipsin *Ingenium*, quod *educit.*' Contemnere potuisset Scioppios, Titios, et Petavios, si omnia sic dixisset. A Vossiano abest *et; Unus inspectus:* sed veteres universi habent, *variasque educitur artes.* Repone, *Unus in inspectus rerum, viresque loquendi, Ingeniumque capax, variasque educitur a.* Ex omnibus animalibus, *unus*, homo, partus, *educitur in inspectus rerum, &c.* Ovid. Met. VIII. 533. 'Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis, Ingeniumque capax, totumque Helicona dedisset.' Ubi perperam præstantissimus Heinsius ex paucis scriptis reponit *linguæ.*' Bent. 'Libri cuncti, *et insp.* Non deserenda vetus scripta et vulgata lectio, *educit in art.*' Stoeb.—903 Vulg. *Hic partus, qui cuncta r.* '*Hic partus,* homo scilicet. Ita intelligemus, si hanc lectionem retinemus. Sed reclamat Gembl. *Hic partus quicunque r.* Nos non dubitamus Manilium scripsisse: *Hic artus quicunque r., s. in orbem.*' Scal.

NOTÆ

clare Ovid. Met. I. 84. 'Pronaque cum spectent animalia cetera terram, Os homini sublime dedit: cœlumque tueri Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.'

903 *Hic partus qui cuncta regit, &c.*] Homo scilicet, qui rebus omnibus creatis dominatur. Ovid. Met. I. 74. 'Sanctius his animal, mentisque capacius altæ Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset: Natus homo est,' &c.

Edomuit terram ad fruges, animalia cepit,
Imposuitque viam ponto, stetit unus in arcem
Erectus capitis, victorque ad sidera mittit
Sidereos oculos, propiusque aspectat olympum,
Inquiritque Jovem: nec sola fronte Deorum
Contentus manet, at cæca scrutatur in alvo,
Cognatumque sequens corpus se quærit in astris:

terram ad ferendos fructus, et domuit omnia animalia, et fecit sibi iter per mare, solus extitit elatus in rectum caput, et superior vibrat oculos stelliferos ad ipsas stellas, et inspicit cœlum propinquius, et conatur cognoscere Jovem, nec satis habet cognoscere vultum exteriorem Deorum, sed etiam perscrutatur cœlum usque in præcordia, et imitatus corpus, quod sibi est affine, investigat se in ipsis sideribus. Post

‘*Artus* a Scal. est. *Hic*, subauditur spiritus, *quicumque artus regit;* ex Virgiliano illo scil. Æn. IV. 336. ‘dum spiritus hos reget artus.’ Atqui spiritus, si hic intelligitur, non subaudiri, sed exprimi debuit: et quid erit *spiritus secessit in orbem?* an in orbem capitis? Libri omnes *partus;* pro *quicumque*, recentiores duo et editiones primæ *qui cuncta*. Denique pro *orbem*, Gemb. *orbe;* Lips. et Voss. *orbes*. Repone, *Hic partus, qui cuncta r. s. in urbes*. *Hic partus*, cæli scil. ut supra 880. ‘Et partum cæli sua per nutricia ferre.’ Homo, inquit, cunctorum dominus, secessit in urbes; civilem et socialem vitam excoluit; non in silvis et desertis ferinam egit. Jam nihil opus est ut cum Huetio hunc vs. prioribus duobus anteponamus.’ *Bent.* ‘*Hic partus*] Non totus homo, sed spiritus, quod declaratur his, *qui cuncta regit*. Coll. vs. 892. *in urbes*] Quæ tamen, homine vix creato, adhuc erant nullæ. Restituendum itaque *in orbem*, non *in orbes*, quod habet cod. Lips. *orbis* ὁ μικρόκοσμος, qui est *homo*. Dixerat enim (vs. 894. sq.) ‘est et mundus in ipsis, Exemplumque Dei,’ qui est *mundus*, uti supra I. 138. coll. nota.’ *Stoeb.* —904 Scal. Delph. et vulg. *Et domuit*. ‘Repone ex Gemb. et Voss. *Edomuit*. Si *et domuit* dixisset, addidisset utique *et animalia cepit*. Statius Theb. III. 562. ‘silvas amor unus humumque Edomuisse manu.’’ *Bent.*—905 ‘Codd. Paris. et Lips. Regiom. ceteri, *in arce*.’ Stoeb.—907 ‘Cod. Paris. *primusque*.’ Idem.—909 Delph. et vulg. *et cœlum s. in alvo*. ‘Malim *in alto*. Nam dicit ‘ad sidera mittit Sidereos oculos.’’ *Scal.* ‘Repone, *at cæca scrutatur in alvo*. *At* lege, non *et; alvo* autem libri universi; *alto* a Scal. venit. Opponuntur hic frons exterior, alvus interior. Sic I. 17. ‘Scire juvat magni penitus præcordia mundi:’ et III. 61. ‘Quæ quasi per mediam mundi præcordia partem.’ *Cæca scrutari in alvo;* ut IV. 246. ‘scrutari cæca metalla.’ Virg. Æn. IX. 152. ‘Ne timeant: nec equi cæca condemur in alvo.’’ *Bent.* ‘Nullus non malit *et cœlum*.’ Stoeb.—910 Vulg. *sic quærit*. Correxit Scal.—911

NOTÆ

907 *Olympum*] Cœlum, I. 178.

908 *Nec sola fronte Deorum, &c.*] Duplex enim a Manilio distinguitur cœlorum facies, interior et exterior, I. 34. et seqq. Consule locum.

909 *In alvo*] I. e. intus. Ita omnes præter Scaligerum, qui legit *in alto*, minus eleganter. Vox enim *alvus* bene notat notitiam Dei et cœlorum interiorem: vox vero *frons* exteriorem.

910 *Cognatumque sequens corpus*] Scilicet quia e cœlo oriundum dixit hominem supra 885. et 896.

Huic in fata fidem petimus, quam sæpe volucres
Accipiunt, trepidæque boum sub pectore fibræ?
An minus est sacris rationem ducere signis,
Quam pecudum mortes, aviumque attendere cantus?
Atque ideo faciem cœli non invidet orbi
Ipse Deus; vultusque suos corpusque recludit
Semper volvendo, seque ipse inculcat et offert;
Ut bene cognosci possit, pateatque videndus,

hæc dubitamus dare fidem his tantis rebus, quam plerumque ipsæ aves, et pecudum fibræ tremulæ sub præcordiis recipiunt a vobis? An res est minoris momenti ducere cognitionem ex sacris sideribus, quam auscultare interneciones pecorum, et cantus volucrum? Et idcirco Deus ipse permittit ut vultus exterior cœli pateat terrarum orbi; et aperit suam faciem, et corpus suum vertendo illud perpetuo, et ultro exhibet, et præbet seipsum, ut facile queat agnosci, et ut indicet, dum inspicitur, qualis

Scal. Delph. et vulg. *Hinc in tanta.* 'Gembl. cum recentioribus aliquot *huic*. Repone, *Huic in fata*. *Huic*, homini, partui cæli, petimus fidem in fata; ut ei fata prædicenti fides habeatur.' *Bent.* 'Editi Ald. Rom. Pruckn. et Molin. *Hinc:* pro *fata* omnes legunt *tanta*. Nec aliter Brisson. de Form. p. 22.' *Stoeb.*—912 Scal. Delph. et vulg. *suo sub pectore.* '*Suo* pectore esset *volucrum*, at in redditione versu 914. fibræ pecudum, volucrum vero cantus. Repone, *boum sub p. f.* Ovid. Met. xv. 136. de bove victima, 'Protinus ereptas viventi pectore fibras Inspiciunt; mentesque Deum scrutantur in illis.'' *Bent.* 'Lege cum præstantissimis quibusque libris, *suo sub pect*. Confirmat a pari, nos posse noscere cælos et sidera, eque illis rationem ducere, atque illis fidere, sicuti bene credimus et avium cantui, et pecorum fibris.' *Stoeb.*—915 Vulg. *Atque adeo.* Scal. *Atqui adeo.* 'Recte libri universi *Atque ideo*. Ordo et series, Atque ideo non invidet faciem, ut possit bene cognosci.' *Bent.*—917 Scal. Delph. et vulg. *seque ipsum.* 'Immo, *seque ipse*.' Bent. 'Æque proba vetus est lectio.' *Stoeb.*—918 Scal. Delph. et vulg. *doceatque videndo.* 'Vetusti quattuor *videndis*. Unde repono, *pateatque videndus:* sic I. 50. 'Inque Deum Deus ipse tulit, patuitque ministris.' Certe *doceat* haud dubie mendosum est; si modo sequente versu iteratur *doceat:* sed ibi Vossianus habet *cogat*.' Bent. 'Repetitionis fastidiosus editor Anglus mutavit hanc genuinam cod. Paris. Regiom. et ceterorum lectionem, *doceatque videndo*. Cur non potius ex Ms. Vossiano dedit versu seq. *cogatque suas attendere leges?* Hujus lectionis indicium fecit cl. Heringa Observ. cap. 9. p. 77. *Cogatque* non vi, sed rerum argumentis, cui convenit illud *ἀνάγκασον εἰσελθεῖν* Lucæ XIV. 23. Alterum vero, *doceatque videndo*, rectius quam *videntes*, quod v. c. ex conjectura loc. cit. Ceterum non indignæ sunt hæ Nostri rationes, quibus compares verba D. Pauli Actor. XVII. 27. sq. et Rom. I. 19. sq. Præivit nobis hac meditatione D. Melancthon in præfat. ad Regiomontani Tabulas,

NOTÆ

911 *Huic in fata fidem, &c.*] His 4. vss. confirmat a pari nos posse noscere cœlos et sidera, eque illis rationem ducere, atque illis fidere, sicut bene credimus et avium cantui, et pecorum fibris, ut dictum est I. 92.

915 *Atque ideo, &c.*] His 5. vss. concludit Deum ipsum non invidere faciem cœli hominibus, immo recludere illud, ac docere quale est; dum certis motibus perpetuo volvitur ac recurrit.

Qualis eat, doceatque suas attendere leges.
Ipse vocat nostros animos ad sidera mundus:
Nec patitur, quia non condit, sua jura latere.
Quis putet esse nefas nosci, quod cernere fas est?
Nec contemne tuas quasi parvo in corpore vires:
Quod valet, immensum est. Sic auri pondera parva
Exsuperant pretio numerosos æris acervos.
Sic adamas, punctum lapidis, pretiosior auro est.
Parvula sic totum pervisit pupula cœlum;
Quoque vident oculi, minimum est, cum maxima cernant.

incedat, et doceat homines auscultare sua jussa. Deinde cœlum invitat nostras mentes ad cognoscenda sidera, nec sinit suas dotes latitare, quia non abscondit illas. Quis credit non licitum esse cognosci illud, quod licet videre? Noli autem spernere tuas vires, quippe quæ sint clausæ in exiguo corpore; illud enim est infinitæ virtutis, quod valet in te. Ita pondera exigui auri vincunt valore ingentes cumulos æris; ita adamas, quæ portiuncula est lapidis, superat pretio aurum; ita pupilla oculi, licet minima sit, videt tamen omne cœlum: et ita illud, quo oculi vident, est minimum,

ubi quidem tecto vel ignorato Manilii nomine, versum hujus libri 895. ipsissimis Nostri verbis, recitavit. Parem omissionis errorem commisit Schonerus, in Præfat. ad suum librum de Nativitat. Judic. hunc versum ad suas rationes ducens: 'Ornari res ipsa negat,' &c. III. 19. quem nominatim Nostro adseruit Leovitius in Præfatione altera.' *Stoeb.*—922 Scal. Delph. et vulg. *putat.* 'Immo *Quis putet.*' Bent.—923 Scal. Delph. et vulg. *Ne;* et mox 924. pro *Quod, Quo.* et ibid. pro *parva, parvi.* '*Corpus* valet immensum? immo imbecilium, mortale, nec magni æstimandum. Repone, *Nec contemne tuas quasi parvo in corpore vires: Quod valet, immensum est. S. a. p. parva. Nec* et *quod* Gembl. et Lips. Ceterum *quo valet* dedit Scaliger; cum vetusti habeant *quod valet:* 'Sic,' inquit, 'Plinius: 'Valet aureo nummo.'' At Varro de Ling. Lat. IV. ex Scaligeri quoque editione, 'Denarii quod denos æris valebant; quinarii, quod quinos.' Verum hoc loco *quod valet,* casus est nominativi. Id quod valet, animus scilicet, immensum est.' *Bent.* 'Lege ex codicibus *parvi.*' Stoeb.—928 Vulg. *Quodque v. o.* 'Lege, *Quoque v. o.*'

NOTÆ

920 *Ipse vocat nostros, &c.*] His 3. vss. addit quod non alia de causa cœlum se nobis offert ac patet, nisi ut illud penitus cognoscamus.

923 *Nec contemne tuas, &c.*] His 10. vss. objectionem occupat, ac præclaris comparationibus solvit. Non est, inquit, cur quisquam suis animi viribus diffidat; licet enim mens hominis in exiguo corpore concludatur, vim tamen habet infinitam, nec rerum omnium difficillimarum cognitioni imparem; scilicet ratio omnia vincit. Sic minus auri pondus pretiosius est ingenti æris acervo: sic adamas pretiosior est auro: sic pupilla oculi, quæ minima est, cœlum ipsum totum intueri potest: sic species impressa, quæ rerum est vel maximarum imago, tenuissima tamen est in oculo: sic animus, licet sub angusto ipso pectore sedem suam habeat, per totum tamen corpus regnat.

Sic animi sedes tenui sub corde locata
Per totum angusto regnat de limite corpus.
Materiæ ne quære modum ; sed perspice vires,
Quas ratio, non pondus habet. Ratio omnia vincit.
Ne dubites homini divinos credere visus :
Jam facit ipse Deos, mittitque ad sidera numen,
Majus et Augusto crescit sub principe cœlum.

quanquam videant res maximas : ita sedes animi, posita sub exiguo pectore, dominatur tamen de arctis finibus per totum corpus. Igitur noli considerare magnitudinem materiæ, sed attende vires, quas animus, non moles corporis habet. Vis animi superat omnia. Tandem ne ambigas attribuere homini cognitionem rerum cælestium, siquidem jam ipse facit Deos, et collocat inter astra divinitatem, et siquidem jam cælum amplius augescit ex imperatore suo Augusto Cæsare.

Scal.—934 sq. 'Sensum turbat interpunctio, quæ ad normam meliorum librorum sic disponenda : *mittit ad sid. numen Majus* (:) Sic Regiom. Ita quoque distincta leguntur hæc verba in notis ad Lactant. I. p. 65. et 69. sq.' *Stoeb.*—935 'In Gemb. *crescet*. Ita intelligendum fuerit de futura apotheosi Augusti. Sed nihil mutandum.' *Scal.*

NOTÆ

929 *Sub corde locata*] Loquitur ex Epicuri mente, ut monui vs. 894. not.

932 *Ratio omnia vincit*] Sic Lucret. I. 73. 'Ergo vivida vis animi pervicit, et extra Processit longe flammantia mœnia mundi ; Atque omne immensum peragravit mente animoque ; Unde refert nobis,' &c.

933 *Ne dubites homini, &c.*] Adulatorium sane argumentum. Scilicet vivo Augusto Cæsari redditi sunt honores divini, erectæ aræ, editi ludi, &c. Sueton. in Aug. Atque adeo quasi jam inter Deos relatus, ac inter sidera collocatus fuisset Augustus : ex adulatione loquitur Poëta. Sic etiam locutus est I. 797. 'Cœlumque replevit, Quod regit Augustus socio per signa Tonante.'

935 *Majus . . . crescit cœlum, &c.*] Scilicet veteres Romani volebant principum ac heroum animas inter sidera recipi in ea cœli parte, quam galaxiam, seu viam lacteam vocant, ut dictum est I. 756. et seqq.

MARCI MANILII

ASTRONOMICON

LIBER V.

ARGUMENTUM.

Explicatis duodecim signorum zodiaci ortibus atque occasibus, ceterorum siderum cum australium, tum septemtrionalium ortus atque occasus cum zodiaci signorum ortibus atque occasibus collaturus est Poëta. I. Exorditur ab eo, quod alius hic operi huic finem fecisset, eque supremo cœlo descendisset, ut medios ignes planetarum per æthera observaret: ipse vero imperfectum opus relinquere non vult. II. Itaque docet cum arietis IV. grad. exoriri et navim argo, quæ procreet navium rectores, naucleros, navalia bella amantes: et orionem, qui det solertes animos, velocia corpora, mentes agiles officio, salutatores communes. Iterum cum ejusdem arietis XV. grad. surgere heniochum, qui generet aurigas, equorum domitores, curulium circensium agitatores, desultores, et ex equo arma tractantes. Tertio cum XX. grad. ejusdem arietis oriri hædos, qui luxuriosos ac pastores generent. Quarto cum ejusdem grad. XXVIII. attolli hyades, quæ popularis auræ cupidos, seditiosos, bubulços, et armentarios procreent. Denique cum ejusdem grad. XXX. ascendere oleniam, quæ timidas mentes, ac ignota visendi cupidos det. III. Cum VI. grad. tauri surgere pleiades, quibus aspirantibus nascantur luxus ac cultus, amatores qui calamistratos capillos, artusque lævigatos gerere gestiant. IV. Tradit cum VII. grad. geminorum exoriri leporem, quo sub sidere gignantur stadiodromi, pyctomachi, pililudii, saltatores, vigiles, industrii, et qui per varios lusus otia dulcia exerceant. V. Vult cum primis cancri partibus emergere jugulas, quos asellios cancri vocant, quibus suffragantibus procreentur venatores et piscatores. Pariter cum ejusdem cancri grad. XXVII. attolli procyonem, qui venandi arma atque instrumenta omnia ministret. VI. Tradit cum primis leonis gradibus exoriri canem majorem atque caniculam, quo sub sidere nati sæpissime sint violenti, iracundi, minaces, litigiosi, feroces, et impavidi. Similiter cum ejusdem leonis ultimis partibus

surgere craterem, quo sub sidere nati vitem colant, et merces mari committant. VII. Cum virginis XV. grad. scribit exoriri coronam Ariadnæ, qua micante nascantur, qui hortos ac flores colant, unguenta coquant, et munditiam cultumque quærant. Item cum ejusdem X. grad. surgere vult spicam, quæ suboriens det agricolas. VIII. Cum libræ grad. VIII. surgere et sagittam, quæ det sagittarum jaculatores: et hædum, qui procreet solertes animos. Deinde cum ejusdem libræ grad. XXVI. lyram, quæ det fidicines ac cantores. IX. Cum scorpionis VII. grad. ascendere aram, quæ creet sacerdotes et prophetas. Cum ejusdem scorpionis grad. XII. centaurum meridionalem, qui fingit aurigas, equorum nutritores et medicos, ac muliones. X. Cum sagittarii grad. V. cycnum, qui progignat aucupes. XI. Cum capricorni primis partibus ascendere serpentarium, qui generet mersos. Cum ejusdem vero capricorni partibus posterioribus exoriri fidem, seu fidiculam, quæ det viros summæ æquitatis, scelerum vindices: similiter delphinum, qui det urinatores et petauristas. XII. Cum aquario, surgere cepheum, qui generet viros moribus integros. At cum ejusdem aquarii XII. grad. attolli aquilam, quæ creet prædatores, et regum per bella ministros. Cum ejusdem vero grad. XX. assurgere Cassiopeam, quæ progignat artifices auri. XIII. Cum piscium XII. grad. oriri Andromedam, quæ det pœnarum publicarum ministros carcerum custodes. Cum eorundem vero XXI. grad. pegasum, qui rhedarios, equorum domitores procreet. Cum eorundem ultimis partibus exoriri ad dextram Herculem, qui det dolosos et mendaces: ad sinistram vero cetum, qui procreet piscatores. XIV. Denique docet, occidentibus leone et scorpione, oriri helicen et cynosuram, quæ dent mansuetarios.

HIC alius finisset iter; signisque relatis,

Alter poëta terminasset cursum suum in hoc loco, atque derelictis signis, per quæ

1 Vulg. *Sic a. f. opus, s. q. relatis.* 'Gemb. *Hic alius f. iter, s. q. relictis*, ut etiam nos olim. Multi, inquit, contenti illis quæ exposuimus, zodiaci sola apotelesmata sufficere dixissent non admixtis inerrantium auxiliis. *Iter* melius hic convenire, sequentia probant. *Signis relictis*, desistens in ipsis signis.' *Scal.* Et sic Delph. 'Gemb. *relictis;* ceteri omnes, *relatis.* Hoc placet. Signis zodiaci relatis, et enarratis. Sic I. 602. 'Inter se adversi, qui cunctos ante relatos Seque secant.'' *Bent.* 'Non debuit sic corrumpi vetus et proba lectio: *Sic al. fin. opus.* Codex quoque Paris. *Sic*, et in margine *His:* pro quo

NOTÆ

1 *Hic alius, &c.*] His 31. vss. primis, prooemii loco præmissis, ait Poëta se non solis zodiaci signorum apotelesmatis esse contentum; sed et siderum ceterorum, tum australium, cum septemtrionalium, ortus et occasus, una cum ortibus et occasibus duodecim zodiaci signorum, ex Ægyptiorum doctrina esse collaturum, ut ex iis apotelesmata quoque sua deducantur. Habent enim suas proprias vires ortus et occasus horum

Quis adversa meant stellarum numina quinque,
Quadrijugis et Phœbus equis, et Delia bigis,
Non ultra struxisset opus, cœloque rediret.
Ac per descensum medios decurreret ignes

flammæ stellarum quinque vagantum, et sol, qui vehitur quatuor equis, et luna, quæ vehitur duobus tantum equis, moventur motu contrario, non ulterius composuisset opus, sed reverteretur e cœlo supremo, et descendendo lustraret medias flammas

Turnebus Advers. p. 797. mavult *Hic.* Non valde obnitar, modo retineatur *opus*, h. e. materia ad elaborandum proposita, argumentum tractationis. Seneca Nat. Quæst. init. 'Nunc ad propositum veniam opus.' Et Plinius H. N. XXXVII. pr. 'Ut nihil instituto operi desit.'' *Stoeb.*—2 Scal. et Delph. *lumina.* 'Vetusti omnes, *numina.* Recte: Saturnus, Juppiter, Mars, Venus, Mercurius. Melius hic *numina*, cum mox sol et luna quadrigis et bigis, non ut lumina, sed ut numina vehantur.' *Bent.* '*stellarum numina quinque*] Planetæ scilicet, Deorum nominibus insigniti, et tutelaria domorum cœlestium numina. Vide III. 899. 967. &c. Præter rem Scaliger, *lumina.* Hæc correctio magis convenit versui 17. lib. II. ubi nos, si velis, vide. Sideribus autem cunctis divinitatem asserit Cicero de Nat. Deor. II. 15. pr.' *Stoeb.*—

NOTÆ

siderum, utcumque cum zodiaci signis oriuntur et occidunt. Quas vires sigillatim ex ordine redditurus est Manilius. Itaque totus hic liber continet alteram apotelesmatum partem, quæ a stellis claris cum aliquo zodiaci signo surgentibus ducuntur: eaque vocantur prima apotelesmata sphæræ Barbaricæ. Duplex enim sphæra fuit veteribus: altera Græcanica, altera Barbarica. Illa structa fuit ad inclinationem cœli Græcanici: hæc ad inclinationem cœli Ægyptiaci. Barbarica solis Ægyptiis nota fuit, unde et Ægyptiaca dicta. Dicitur autem Barbarica ad discrimen Græcanicæ, quæ solis Græcis observata fuit. Scilicet, quæ signa ac sidera intra XXXVII. gradum a polo septemtrionali continentur, ea nusquam in Græcia occidunt: at in Ægypto quandoque desiderantur. Jam vero quæ hoc in libro tradit Manilius de ortu et occasu clararum aliarum stellarum cum ortu et occasu signorum zodiaci, ea dixit ad sphæræ Barbaricæ seu Ægyptiacæ usum; et si quid ad alterius regionis climata scribit, id potius vel ex errore, vel ex abundantia doctrinæ subjecit, ut suo quæque loco nos observabimus atque annotabimus.

2 *Adversa ... stellarum numina* [*lumina,*] *&c.*] Quinque stellæ erraticæ, Saturnus, Mars, Jupiter, Venus, et Mercurius, qui adverso cursu feruntur, I. 15. 809. 807.

3 *Quadrijugis et Phœbus, &c.*] Sol quippe quatuor equis vehi fingitur, Pyroënte, Eoo, Æthone, et Phlegone. Ovid. Met. II.

Delia bigis] Luna quippe, *Delia* dicta a Delo insula, in qua nata fertur, bigis tantum vehitur. Ovid. Virg.

5 *Medios ... ignes Saturni, &c.*] I. e. septem stellas erraticas, quos planetas vocant, qui medii inter cœlum ac terram feruntur adverso motu per sidera zodiaci, I. 803. 'Sunt alia adverso pugnantia sidera mundo, Quæ cœlum terramque inter volitantia pendent, Saturni, Jovis, et Martis, solisque: sub illis Mercurius Venerem inter agit lunamque locatus.' Consule notas ibid.

Saturni, Jovis, et Martis, solisque sub illis:
Post Venerem et Maia natum, te, luna, vagantem.
Me superare viam mundus jubet omnia circum
Sidera vectatum, et toto decurrere cœlo;
Cum semel æthereos jussus conscendere currus
Summum contigerim sua per fastigia culmen.
Hinc vocat orion magni pars maxima cœli,
Et ratis heroum quæ nunc quoque navigat astris,
Fluminaque errantes late sinuantia flexus,
Et biferum cetum squamis, atque ore tremendo,

planetarum, Saturni, Jovis, Martis, et solis, et te, o luna, quæ discurris infra illos (scilicet infra Venerem, et genitum Maia). At juvat me accelerare iter totius cœli; juvat me curru delatum vagari toto cœlo per cuncta sidera, quoniam semel imperatus ascendere currus cœlestes pervenerim jam ad supremum cœli verticem per sua culmina. Igitur ex una parte invitat me orion, qui maxima pars est cœli; et navis heroum, quæ nunc etiam quasi fluitans fertur inter sidera; et fluvii, qui flectunt suos gyros late vagantes; et semiferus; et cete, quod habet squamas, et rictus hor-

8 Vulg. *Me properare v. mundus jubet.* 'Gemb. lectio multum discrepat, et quidem non deterior vulgari: *Me properare v. mundi lubet.*' Scal. Et sic Delph. '*Libet me*, aut barbarum, aut obsoletum. Veteres omnes, *mundus libet:* unde recte recentiores *mundus jubet. Properare* vero non convenit: cum enim culpet quod *alius iter finisset;* sequitur ut ipse *ultra* iret, non ut *propere.* Repono, *Me superare v. mundus jubet.* Virg. Georg. III. 141. "Non saltu superare viam sit passus."' *Bent.* 'Sequi lubet cod. Paris. et editos præstantiores, qui legunt *properare . . . jubet;* non *libet*, quod est in cod. Lips. nec *lubet*, quod Scaligero placuit.' *Stoeb.*—9 Scal. Delph. et vulg. *vectatum toto.* 'Conjunctio deest, quæ hiantia cola connectat: *omnia circum Sidera vectatum et toto decurrere cœlo.*' Bent.—15 'Sic consti-

NOTÆ

7 *Maia natum*] Mercurium Jovis ex Maia filium, I. 34. II. 943.

8 *Me superare viam, &c.*] His 4. vss. ait igitur se viam suam per totum cœlum acceleraturum, cum jam ad summa cœli fastigia pervenerit; observaturumque ortus et occasus siderum aliorum cum australium, tum borealium cum ortu et occasu zodiaci signorum.

12 *Hinc vocat orion, &c.*] His 7. vss. monet quæ ex parte australi sidera vocent eum; nimirum hæc octo præcipua, orion, navis argo, effusiones aquarii, vel Eridanus, centaurus austrinus, cetus, hydra, canicula, et ara.

Orion] Signum austrinum, cujus situm notavit I. 377. et seqq.

13 *Ratis heroum*] Argo navis, de qua I. 402.

14 *Fluminaque, &c.*] Effusiones aquarum, quas aquarius ex urna sua fundit in late vagantes gyros. Sic I. 446. 'qua fusa feruntur Flexa per ingentes stellarum flumina gyros. Ulterius capiti conjungit aquarius undas Amnis, et in medium coëunt,' &c. Vel Eridanum notat, de quo nos I. vs. 450. not. Immo notat et Eridanum et effusiones aquarii. Quidni? Utrumque enim sidus australe est.

Hesperidumque vigil custos et divitis horti,
Et canis in totum portans incendia mundum,
Araque Divorum cui votum solvit olympus.
Illinc per geminas anguis qui labitur arctos,

rendos; et vigilans custos Hesperidum et auri pretiosi; et canicula, quæ fert ignem in universum mundum; et altare Deorum, in quo cœlum ipsum fecit sacra, quæ vovit. Ex altera parte invitat me draco, qui interlabitur inter duas ursas; et henio·

tuero, *Et bifer et cetus sq. a. o. tremendus.* Præcedit enim *Hinc vocat Orion*, ratis, flumina: sequuntur Hesperidum custos, canis, ara. Biferum vocat Chironem centaurum sagittarium.' *Reinesius.* Scal. *Et biferum cetum squamis, atque ore tremendo.* Delph. *Semifer; et cetus s. a. o. t.* Vid. not. inf. 'Versus barbarus et spurius. *Biferum cetum.* *Cetum* pro *cetus.* *Biferum* pro *semiferum*; cum cetus quoque non sit *semifer.* Vide IV. 230.' *Bent.* 'Regiom. *Et biferus cetus.* Huic lectioni subscribit Turnebus Advers. pag. 797. Cl. Vierschrotus maluit, *ad biferum cetum.* Cui quidem conjecturæ ipsum cælum mirifice favet. Latissima enim curvatura et anfractus Eridano cælesti est ad cetum; idque ex sententia nostrorum et antiquorum temporum. Hygin. Poët. Astronom. III. 31. pag. 451. ed. Munk. 'Eridanus a sinistro pede profestus Orionis et perveniens usque ad Pistricen.' Hoc nomine monstrum illud marinum venit, Nostro h. l. *biferus cetus*, quasi feris duobus compositus, pisce nimirum qua squamas, et vitulo marino, si os ejusdem spectaveris. Poteris etiam eo sensu vocem accipere, quem habet hoc *bifur*, i. e. plus quam fur. Perott. col. 859. Conf. Nostr. infra vs. 579. sqq.' *Stoeb.*—16 Scal. Delph. et vulg. *auri.* '*Divitis auri*; ut Tibullus I. 10. 'nullo te divitis auri Pondere.' Sed hic repone, *horti.* Seneca Herc. Fur. II. 238. 'Post hæc adortus nemoris opulenti domos Aurifera vigilis spolia serpentis tulit.' Sed nota, Nostrum de australi serpente hoc dicere, quod reliqui mythologi de boreali dicunt.' *Bent.*—18 Vulg. *cui vota solvit.* 'Gemb. *votum*, et nos olim.' *Scal.* 'Lege, ne

NOTÆ

15 *Et biferum* [*Semifer*] Ita restituendum. I. e. centaurus austrinus, qui duplici constat forma, humana et equina, I. 425. not. et IV. 230. vocat eundem *Semiferum.* Male autem Scaliger et alii, *Et biferum cetum, &c.* Neque enim dicitur *cetum*, sed *cetus* et *cete.* Scilicet ordo verborum postulat non accusativum casum, sed nominativum. Hinc ante Scaligerum castigabat Thomas Reinesius, *Et bifer et cetus.* Deinde postea vs. 342. explicat ortum hujusce centauri cum 12. grad. scorpionis ascendentis.

Cetum [*cetus*] Vel cete, balena; monstrum marinum, de quo I. 440. not.

16 *Hesperidum custos*] Draco, vel hydra austrina, de qua I. 422. Hesperides autem dictæ sunt tres Hesperi filiæ, Ægle, Arethusa, et Hesperethusa, quas poëtæ fabulantur hortos habuisse nemore aurifero pretiosos, quos draco vigil asservaret. Hunc autem interemit Hercules, aureaque poma sustulit.

Divitis horti] Aureorum pomorum.

17 *Canis*] Uterque, major et minor, i. e. Procyon et canicula. Hujus enim ortum cum ortu leonis, illius vero cum ortu cancri confert infra vss. 197. et 206. De utroque autem fusius dictum est I. 404. et 419.

18 *Araque Divorum*] Thuribulum, I. 428. et seqq.

Olympus] Cœlum, seu potius cœlicolæ omnes. Continens pro contento, I. 428.

Heniochusque memor currus, plaustrique bootes,
Atque Ariadneæ cœlestia dona coronæ,
Victor et invisæ Perseus cum falce Medusæ,
Andromedamque negans genitor cum conjuge Cepheus,
Inque alas stellatus equus, celerique sagittæ
Delphinus certans, et Jupiter alite tectus,

chus, qui recordatur sui currus; et bootes, qui memor est quoque sui vehiculi; et cœlestia munera coronæ Ariadneæ, et Perseus, qui cum suo gladio vicit odiosam Medusam, et Cepheus pater, qui cum uxore sua jacet juxta Andromedam filiam suam, et equus qui stellas habens volitat inter astra, et delphinus qui adversatur veloci

vs. hiet, *cui vota exsolvit.*' Reines.—23 Vulg. *A. que necat g.* 'Optime Gemb. *A. que negans g. negans* abdicans eam, utpote quam Ceto tanquam alienam exposuerit. Hinc Cicero in Arateis: 'Andromeda aufugiens aspectum mœsta parentis.'' *Scal.* 'Nihil de interfecta a patre Andromeda habent fabulæ. Legam igitur, *A. que secus,* h. e. juxta, prope Andromedam.' *Reines.*—24 Scal. *Quaque volat.* Delph. *Quique volat.* 'Pegasus qui stellatus volitat inter astra, I. 348. Restitui autem *Quique,* quæ lectio erat vulg. et Rom.' 'Quid inter tot nominativos, qui ab uno vocabulo *vocat* versu 18. reguntur, insulse venit *Qua volat?* Quid? quod *stellatus,* absolute positum, ignavum est epitheton. Repone, *Inque alas st. e.* ut I. 348. de cygno; 'Nunc quoque diductas volitat stellatus in alas.'' *Bent.* 'Codex Paris. et Reglom. sic: *Quaque volat st. aquis;* quæ cum sequentibus ad Delphinum pertinent. *volat* est movet se, vel non alatus. Sic I. 310. II. 796. et alibi sæpissime. Et hoc *volare* magis proprie de Delphino, quam de equo alato, dici videtur. Est enim (auctore Plinio H. N. IX. 8.) 'velocissimum omnium animalium, non solum marinorum; ocyor volucre, acrior telo.' id est omnino quod Noster confirmat his, 'celeri sagittæ Delphinus certans,' qui utpote stellatus etiam sagittam cæleste si-

NOTÆ

19 *Illinc per geminas, &c.*] His 8. vss. notat quæ sidera ex parte septemtrionali vocent eum, ut eorum ortum cum zodiaci signis certis conferat. Hæc autem memorat draconem, heniochum seu aurigam; booten, seu arctophylacem, Ariadneam coronam, Perseum, Andromedam, Cepheum, Cassiopen, pegasum, delphinum, sagittam, aquilam, et septemtrionalia sidera cetera.

Anguis] Draco, de quo I. 313.

Geminas arctos] Helicen et cynosuram, I. 290. 303. et seqq.

20 *Heniochusque*] Auriga, I. 368.

Bootes] Arctophylax, bubulus, I. 323.

21 *Ariadneæ .... coronæ, &c.*] Coronæ septemtrionalis seu Gnossiæ, de qua I. 326.

22 *Perseus*] Qui gladio caput Medusæ amputavit, I. 357. 366. et II. 28.

Medusæ] I. 366.

23 *Andromedamque*] Cephei filiam et Cassiope. De qua I. 365. et iterum infra a vs. 539. ad vs. 588.

Cum conjuge] Cum Cassiope, quæ Cephei uxor fuit, I. 361. II. 28.

Cepheus] I. 361. II. 29.

24 *Sagittæ*] Quæ ita inter astra sita est, quasi vibretur in delphinum, I. 349.

25 *Delphinus*] I. 353.

Jupiter alite] Aquila, quæ, ut ait

Ceteraque in toto passim labentia cœlo.
Quæ mihi per proprias vires sunt cuncta canenda;
Quid valeant ortu, quid cum merguntur in undas,
Et quota de bis sex astris pars quodque reducat.

sagittæ, et Jupiter qui latet sub volucri, et reliqua sidera quæ ubique volvuntur per totum cœlum. Quæ omnia sidera cantanda sunt a me secundum suas peculiares vires, scilicet, quid possint in exortu suo, quid valeant quando delabuntur in aquas oceani, et quid singula æquum sibi referant ex duodecim signis zodiaci. Conditor

dus, ortu situque antevertit.' *Stoeb.*—29 Vulg. *Et quod de bis sex astris par quodque reducat.* 'Contaminatissima. Gembl. habet, *par quemque reducat.* Lego: *Et quo de bis sex astris pars quemque reducat. Pars de bis sex astris*: ἐπιμολογεῖ τὴν μονομοιρίαν. *Quo reducant quemque.* qualem quemque efficiant αἱ μονομοιρίαι. Nam hæc tractatio nihil aliud quam monomœriæ sphæræ barbaricæ.' *Scal.* Delph. *Et quid d. b. s. a. per quæque reducant.* Vid. not. inf. 'Hæc corrupta sunt. Venetus, *Et quota e bis sex*; Vossianus, *Et quod adde bis sex.* Repone, *Et quota de bis sex astris pars quodque reducat.* Quota pars de XII. signis zodiaci reducat quodque astrum ex illis quæ extra zodiacum sunt. Hoc agit toto hoc quinto libro. Sic mox quartus gradus arietis reducit navem Argo.' *Bent.* 'Non inconcinne Turnebus, *Et quid de bis sex signis pars quæque reducat.* Cod. vero Paris. cum Lips. et qui hos typis descripsere; Regiom. et ceteri omnes, hanc referunt Manilii scripturam, *Et quod de bis sex astris par quodque reducat. Pars* et *Par* sæpius commutata, uti supra IV. 445. *quod* pro *quid*, tentatum Turnebo, qui etiam mox, *pars quæque.* Sed melius *par quodque.* denotat enim bina astra, nimirum zodion quoddam cum astro vicino, uti mox vs. 36. sqq. 'Aries et Argo navis.' mox idem ille cum Orione vs. 57. quæ 'conjunctum aliquid habent aut consentiens,' ceu loquitur Cicero, qui ad astrologicas hasce nas-

NOTÆ

infra vs. 480. 'Fulmina missa refert, et cœlo militat ales.' De qua I. 350.

27 *Quæ mihi per proprias, &c.*] His igitur 7. vss. proponit hujusce sui libri quinti argumentum: nimirum quid austrina, quidve borealia sidera valeant, cum in exortu suo, tum in occasu ad ortum et occasum duodecim zodiaci signorum. Verum pars hujusce argumenti desideratur, nec fortasse ab Manilio conscripta fuit. Docet enim in hocce libro tantum quid austrina borealiaque quædam sidera valent, dum exoriuntur cum certis partibus duodenorum zodiaci signorum: quid vero valeant dum occidunt, non memorat. Hinc colligitur alterum, qui sextus fuerit, librum edidisse, quem aut periisse, aut in lucem non editum fuisse constat. Nec mirum id videri debet, cum aliud etiam opus de planetarum viribus per singula signa, quod non semel promittit in hocce opere astronomico, nec in lucem ediderit, aut si edidit jam perierit. Itaque jam explicaturus est tantum quid austrina borealiaque sidera reliqua valeant in exortu suo cum certis zodiaci signorum partibus exorientia. Præterea sub finem hujusce libri tradit aliquid Poëta de peculiari ortu siderum australium et septemtrionalium, non habita ratione ortus signorum zodiaci.

29 *Et quota* [*quid*] *de bis sex, &c.*] Ita restituendus fuit hic versus. Male enim Scaliger, *Et quo de bis sex astris pars quemque reducat.* Vulg.

Has stellis proprias vires et tempora rerum
Constituit magni quondam fabricator olympi.
Vir gregis et ponti victor, cui parte relicta
Nomen onusque dedit, nec pelle immunis ab ipsa;
Colchidos et magicas artes qui visere Iolcon

magni cœli concessit olim has peculiares virtutes, et hæc momenta rerum sideribus cunctis. Dux armenti ovilis, et qui tranavit mare illud, cui fecit nomen ob relictam in eo oneris sui partem; et cui dedit pondus suum, et qui spoliatus est suo vellere; et qui coëgit Medeam transferre magicas artes Colchidos in Iolchon, et sic

cendi rationes quasi præfatus, omnino conferri meretur in de Divinat. II. 42. *reducat* quasi producat, vel secum aut post se ducat. Hoc sensu vox apud Maronem occurrit Georg. I. 249. et Æn. I. 147.' *Stoeb.*—30 Vulg. *Ac stellis pr.* 'Lego, *has stellis.* Gembl. vitiose *Ab stellis.*' Scal. 'Libri vetustiores ac præstantiores, *Ac stell.* Puto scriptum reliquisse Manilium *At stell.* quo præciperet lectori, se carmine non condere naturam, sed conditam a Jove sequi velle. *et tempora rerum*] i. e. certam dimetiendæ rerum existentiæ rationem. Nam cum Chaos esset, non erant tempora: siquidem tempus certa dimensio est, quæ ex cæli conversione colligitur. Vide Perott. col. 525. med.' *Stoeb.* 'Versus spurii, qui orationem turbant, et nullum hic locum habent.' *Bent.*—34. 35 'Vulgata lectio mendosa est: Legimus: *Colchidis et m. a. qui vertere Iolcho Medeam j.* Medea mutavit

NOTÆ

Et quod de bis sex astris per quodque reducat. Gemb. *Et quod de bis sex astris par quemque reducat.* Rom. *Et quid de bis sex astris, &c.* Scilicet sic apotelesmata ceterorum siderum instituit Poëta ad duodecim zodiaci signa. Itaque *quid par*, i. e. quam justam et æquam partem: *de bis sex*, i. e. de duodecim zodiaci signis: *quæque*, i. e. singula illa sidera austrina vel borealia: *reducant*, i. e. accipiant, referantve. Alia quippe oriuntur cum 10. gradu; alia cum 20. alia cum aliis gradibus signorum zodiaci, pro vario cujusque situ in cœlis, habituque sphæræ, aut climate diverso.

31 *Olympi*] Cœli, de quo I. 178.

32 *Vir gregis, &c.*] Incipit ab ipso ariete, qui dux est ceterorum zodiaci signorum. Igitur his 108. vss. docet quæ sidera cum certis arietis partibus exoriuntur, eorundemque apotelesmata ducit, et variis exemplis confirmat. Hæc autem sidera exoriuntur cum ariete: argo navis et orion cum 4. grad. arietis: heniochus cum 15. grad. hædi cum 20. grad. hyades cum 27. gr. capella cum 30. grad. Hæc omnia sigillatim ex ordine sumus explicaturi. Itaque his 25. vss. prioribus docet argo navim oriri cum 4. grad. ipsius arietis; tuncque sub ea nascentes futuros esse vult rectores navis, bellum classibus paraturos, navibusque commercia juncturos, et novos orbes invisendi cupidos.

Vir gregis] Aries, qui *vir* dicitur ratione conjugii, sicut homo: sic Virg. Ecl. VII. 7. 'Vir gregis ipse caper,' &c.

Ponti victor, &c.] Qui Hellespontum tranavit, ut jam dictum est II. 34. 'Lanigerum victo ducentem sidera ponto.'

34 *Colchidos*] Colchis,-idis, vel -idos, regio Asiæ fuit juxta Pontum, Me-

Medeæ jussit, movitque venena per orbem;
Nunc quoque vicinam puppim, ceu naviget, argo
A dextri lateris ducit regione per astra.
Sed tum prima suos puppis consurgit in ignes,

dispersit venena per totum orbem; jam nunc etiam, quasi naviget, regit puppim navis argo, quæ ipsi proxima est inter sidera a parte dextri lateris. At vero quando puppis navis argo incipit attollere suas stellas igneas, quando scilicet

Colchon Iolcho. Utraque urbs clara veneficiis. Sic dicitur vertere solum, ut supra, 'et vertere Trojam.' et mutare terram terra. Infra: 'Mutabit pelago terras.' qui jussit Medeam magicas artes Colchidos vertere magis artibus Iolchi. Vera est lectio, quam edidimus.' *Scal.* Delph. *Iolchon.* Vid. not. inf. '*Iolcho* a Scal. est: libri omnes inepte *Colchon.* Sed *vertere artes Iolcho* quis ferat? Etiam ipse Scal. pro spuriis hos duos habet. Juvat Voss. qui pro *vertere* habet *visere.* Repone *Colchidos e. m. a. qui visere Iolchon Medeæ jussit.* Qui jussit artes magicas Colchidos Medeæ visere Iolchon; atque inde per totum orbem, Corinthum, Athenas, &c. movit venena.' *Bent.* 'Codd. Paris. Lips. itemque Regiom. cum interpunctione Aldi, Prukn. et Molinii hos versus ita constituere: *nec pelle immunis ab ipsa Colchidis* (,) *et m. artes* (,) *qui vertere Colchon Medeam jussit* (,) *&c.* Pro *Colchon* legendum omnino *Jolchon*, vel *Jolcho*, quod Scaligero placuit. Vide Turneb. pag. 998. et Barthium Advers. pag. 130. qui versus illos ad hanc formavit sententiam: *Colchida sed m. a. quis vertere Jolchon Medeam jussit, movitque venena per orbem* (?) Hic, ait, est aries; vicit pontum, dedit freto nomen. At exsors ille est scelerum, quæ in repetitione velleris sui postea contigerunt?' *Stoeb.*—37 Vulg. *Ac dextri lateris.* 'Lege: *Nunc quoque vicinam puppim, seu naviget, Argo A d. l. ducit regione per astra.* Conjungenda vero sunt illa: *nec pelle immunis ab ipsa Nunc quoque vicinam puppim, &c.* Vult enim adhuc cum ipsa pelle aurata in cælo arietem collocatum esse. Supra: 'Et sua respiciens aurato vellere terra.' Versus ille, *Colchidis et magicas*, cum sequente, ut ingenue dicam quod sentio, suspecti sunt ὑπονοθεύσεως.' *Scal.* 'Vetus nostrorum librorum, et duorum quos vidit Barthius, lectio, a qua primus, quem sciam, Scaliger discessit, ita habet: *Ac d. l. ducat.* Bene. Hæc enim cum præced. cohærent, *ceu naviget, ac ducat, &c.*' Stoeb.—38 Scal. Delph. et vulg. *Sed cum.* 'Immo *tum.* *Tum* consurgit, *cum* corniger ora extulit.' *Bent.* 'Legendum ex libris præstantioribus *cum,* uti mox vs. 39. 'cum corniger extulit ora.'' *Stoeb.* Ibid. vulg. *consurgit*

NOTÆ

deæ patria, quam tamen ut desereret in causa fuit vellus aureum ipsius arietis: scilicet arte et ope Medeæ rapuit illud Jason, qui et Medeam ipsam, cujus amore captus est, secum e Colchide in Iolchon deduxit, ubi suas magicas artes exercuit, indeque per universum orbem terrarum venena sua movit.

Iolcon] Sup. in. Sic restituendum ex vulg. et Rom. in quibus legitur *Colchon.* Scaliger autem *Iolcho*, pro in Iolchon. Iolcho autem, seu Iolchos, ut aliis placet, urbs fuit Thessaliæ, Jasonis patria, in quam appulit Jason cum Medea. Ovid. Met. VII. 158. 'Victor Iolchiacos tetigit cum conjuge portus,' &c.

36 *Argo A dextri, &c.*] Situm argo navis notavimus I. 419.

38 *Puppis*] Navis argo.

Suos in ignes] Suas in stellas, I. 132. Primos autem argo navis ignes vocat, non canopum, qui stringit horizontem Rhodi, emergitque supra horizontem Ægyptiacum; sed stellas eas, quæ

Quatuor in partes cum corniger extulit ora :
Illa quisquis erit terris oriente creatus,
Rector erit puppis, clavoque immobilis hærens
Mutabit pelago terras, ventisque sequetur
Fortunam, totumque volet tranare profundum
Classibus, atque alios Minyas, aliumque videre
Phasin, et in cautes Tiphyn superare trementem.

aries, qui cornua gerit, protulit suos vultus in quatuor gradus, quicumque homo fuerit genitus in terris, dum ille aries sic exoritur, erit gubernator navis, et incumbens immotus gubernaculo navis migrabit e regione sua in regiones alienas per mare, et insectabitur fortunam ventis, et cupiet trajicere totum mare navibus, et cernere alios menses, et alium Phasin, et vincere Tiphyn tremebundum intra saxa.

in undis. Correxit Scal. ex Gemb.—39 Vulg. *extulit horas.* 'Lege *extulit ora*, ex Gemb. et nos ita olim. Virg. 'Extulit os sacrum cœlo.'' *Scal.* 'Lege *oras* vel *ora.*' Reines.—40 Scal. Delph. et vulg. *Illa.* 'Immo, *Illa.* Argo scil. oriente, non ariete.' *Bent.* 'Meliorum librorum auctoritate reponendum *Ille*, scil. cornigero.' *Stoeb.*—44 Scal. Delph. et vulg. *alios menses* : et mox 45. vulg. *trementem*, et sic Scal. et Delph. 'Gembl. a. *triremem.* Latet aliquod mendum. Latinum esset superare navem pro adigere ; non dubitarem legere : *et in cautes Tiphys s. triremem.* tamquam Tiphys alter adigere navem per medias cautes Symplegadas. Sane Ennius *superare* usurpavit in ea notione ? 'In altisono cœli clipeo temo superat stellas.' Id est : Ursa adigit stellas suas in meridianum. Sed hæc incerta, at vulgata lectio proba. Nam tremens in cautes bono gubernatori accommodum.' *Scal.* 'Gemb. mendose *triremem* ; Venet. *tumentem.* Lips. et Voss. *trementem.* Recte : sed quid illud est, *alios menses videre* ? Tolerabilius esset *alios soles, alium annum* ; ut Valer. Flacc. iv. 324. ubi Scytha sic alloquitur Græcum : 'tu qui faciles hominumque putasti Has, Argive, domos ; alium miser aspicis annum.' Sed repone, *atque alios Minyas, aliumque videre Phasin. Minyas*, Μινύας, Argonautas dictos, et pueri norunt.' *Bent.* 'Lego, *Hyphasin et cautes.* Hyphasis Indiæ fluvius terminus victoriarum Alexandri Magni.' *Reines.* 'Scripta et vulgata vetus lectio reclamat *alios menses.* quod, interprete Turnebo pag. 998. eleganter dicitur de regionis diversa temperie, diversoque cælo. Nam qui menses

NOTÆ

sunt in aquilonari illius gubernaculo. Duo enim sunt argo navis gubernacula, australe et aquilonare. Ælian. ix. 40.

39 *Corniger*] Aries, cujus cum quarta parte exoritur argo navis ex Manilio ; sed ex Firmico cum illius parte decima. Utrumque vero arguit Scaliger. Verum, ut dicam quod res est, alius pro alio sphæræ situ loquitur.

41 *Rector erit puppis, &c.*] Eadem apotelesmata arguit Firmicus viii. 6. his verbis : 'In arietis parte decima oritur navis. Si quis ergo oriente hac parte natus fuerit, hoc est, si in ejus ortu partus eruperit, erit gubernator, nauclerus, et qui omne vitæ spatium maximis optet actibus implicare vel officiis,' &c.

44 *Minyas*] [*Menses*] Intellige alias regiones, quibus alii sint menses, seu cursus solis. Quanquam melius dixisset *montes*, seu terras.

45 *Phasin*] Colchidis fluvium, qui ex Armeniæ montibus in pontum Euxinum illabitur. Quo ex fluvio ad-

Tolle istos ortus hominum sub sidere tali,
Sustuleris bellum Trojæ, classemque solutam
Sanguine et appulsam terris: non invehet undis
Persida, nec pelagus Xerxes facietque tegetque:

Subtrahe istos ortus hominum sub tali signo, subtraxeris bellum Trojæ, et classem, quæ effuso sanguine commissa est mari, et admota ad terras: Xerxes non dabit fluctibus maris vela, nec faciet novum mare, nec operiet mare navibus: vera Salamis

---

æstuosi sunt in Thessalia, alii sunt in Colchide, nec ita fervent, sed leniter tantum tepescunt. *aliumque Phasin*] Colchidis fluvium. Vide Vossium Etymol. v. Phasianis. Legendum fortassis, *aliamque phasin* scil. lunæ.' *Stoeb.*—46 Scal. Delph. et vulg. *partus*. 'Lege cum Gemb. *ortus*: ceteri *portus*.' Bent. 'Quid impedit, quo minus retineamus *partus*? Consentiunt in hoc libri universi.' *Stoeb.*—49 Vulg. *non* i. *u*. *Sidera*. 'Quid est *invehere undis Sidera*? Bonincontrius: 'Non quærent nautæ in mari Helicen aut Cynosuram.' Acute. *Invehere sidera* est quærere sidera? Et tamen ea interpretatio potest similibus Bonincontrii placere. Sed omissis nugis lege: *non* i. *u*.

NOTÆ

ducti sunt phasiani, *les phaisans*, qui ad Phasidos ostia frequentes ciborum causa conveniunt. Martial. de phasiano, XIII. 72. 'Argiva primum sum transportata carina; Apte mihi notum nil, nisi Phasis, erat.' Fabulantur enim primum ab argonautis in Græciam adductos phasianos.

Tiphyn] Vel navigii genus, vel argonautarum in Colchica expeditione navium gubernatorem peritissimum. Sidon. Apoll. I. epist. 'Tiphyn cursoriam, sic navigio nomen est, ascende.' Virg. Ecl. IV. 34. 'Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo Delectos heroas,' &c. Ovid. Art. I. 6. 'Tiphys in Hæmonia puppe magister erat.' Senec. in Med. 'Tiphysque inprimis domitor profundi.'

46 *Tolle istos ortus*, &c.] His 11. vss. rem ab exemplo confirmat. Quasi nati fuissent sub hoc sidere Agamemnon, Xerxes, Alcibiades, Nicias, et Antonius, quibus ducibus classes mari commissæ sunt, præliaque navalia notissima commissa.

47 *Classemque solutam Sanguine*, &c.] Scilicet antequam Græci classem solverent adversus Trojanos ituri, dux eorum Agamemnon cervum Dianæ imprudens occiderat in Aulide: qua cæde indignata Diana contrariis flatibus Græcorum navigationem est remorata, consultusque Apollo respondit Agamemnonio sanguine placandam esse Deam. Achilles igitur missus Iphigeniam Agamemnonis filiam astu a matre abduxit, simulans eam sibi nupturam, cum tamen mactandam accerserat pater. Verum cum jam gladio jugulum subjecturus erat, miserata ejus sortem, Diana cervam in ejus locum suffecit, Iphigeniam autem in Tauricam regionem transtulit. Ovid. Metam. XII. Rursus cum primum ad littora Trojana appulisset Græcorum classis, Protesilaus unus e principibus Græcis, primus omnium e navi in terram Trojanam ingressus ab Hectore Trojano duce fuit interfectus. Ovid. Met. XII. et Auson. 'Protesilaë tibi nomen sic fata dederunt, Victima quod Trojæ prima futurus eras.'

49 *Nec pelagus Xerxes*, &c.] Is enim Persarum rex Græcis bellum illatu-

Vera Syracusis Salamis non merget Athenas:

non summerget Athenas apud Syracusas: nec rostra Carthaginiensia natabunt toto

Sipara, nec p. Xerxes f. que t. que. Sustuleris istos partus: sustuleris omnem navigationem: neque Xerxes vela invehet undis, neque faciet pelagus, neque teget. Quis tam imperitus, ut tam felicem emendationem improbare audeat? *Sipara*] Rectissima lectio. Lucanus: 'Imaque pandens Sipara velorum, perituras accipit auras.' Festus Avienus: 'volitantia raptim Sipara convertunt.' Epictetus: Βυθιζομένου δὲ τοῦ πλοίου σύ μοι παρελθὼν ἐπαίρεις τοὺς σιφάρους.' *Scal.* Et sic Delph. 'Cum libri, quos norat, omnes haberent *sidera*, felici, ut ait, emendatione Scaliger reponit *Sipara*. Sed sine exemplo erat, *sipara* vel *suppara* velorum pro totis classibus poni. Litem sustulit codex Vossianus, qui hic habet *per sidera*; unde facili et certa conjectura Vossius ad Catullum, *non i. u. Persida*. *Persida*, et compendiose *Per sidā* apice tantum differunt. Ceterum argute Auctor *Persida invehet*, quasi totam gentem: ut IV. 662. de Hannibale; 'et Libyen Italas infudit in urbes:' et Silius III. 563. 'Alpibus imposuit Libyen, finemque minatur Imperio.' *Bent.* Cod. Lips. legente Vierschroto, *indis Sidera*. Hoc *sidera* ceteri omnes tuentur. Cape sis pro *Sole*, (coll. III. 18. not.) *Sol* autem Deus atque insigne Persarum, quod Xerxes Indis vel mari induxit. At cod. Paris. Regiom. ceterique vetusti editores pro *indis* legunt *undas*, quod non omnino repudiandum. *invehet undis Sidera* idem quod *vehet Sidera in undis*. Hæc quoque lectio duorum antiquorum codd. quos frequentavit Barthius, qui ad illustrandum locum addit: *Undis invehere sidera* poëtice dixit omnem fortunam quærere pelago, et instar Deorum illi dominari velle.' *Stoeb.* Ibid. vulg. [et sic Delph.] *nec p. Xerxes f. que t. que.* 'Fecit pelagus in Atho. Catullus: 'Quum Medi irrupere novum mare.' *Teget*, classibus scilicet. Tamen valde placet, quod docti viri emendarunt, *ferietque tegetque*: μαστίζει. Vide Herod. Hic Gembl. male, meo judicio, *Xerxen facietque tegetque*.' Scal. Reines. *facietve tegetve*. 'Libri universi *facietque*, quod recte ibidem defendit Vossius. Catullus de coma Berenices: 'Cum Medi peperere novum mare; cumque juventus Per medium classi barbara navit Athon.'' *Bent.*—50 Vulg. *Roma Syracusas*. 'Interpolatum. Gembl. *Vera Syracosis S. non merget A.* [et sic Delph. Vid. Not. inf.] Quæ mihi sunt tenebræ Cimmeriæ. Tantum abest, ut Salamis merserit Athenas, ut contra Athenienses Salamina vastarint. Sed male apud Syracusas rem gessisse Athenienses ducibus Nicia et Demosthene scimus, item Athenienses ἐν Σικελίᾳ νῆας τεσσαράκοντα καὶ διακοσίας ἀπολέσαι, testis Ælianus

NOTÆ

rus Hellespontum navibus operuit, et in Atho monte mare novum fecit, uti notatum est III. 18.

50 *Vera Syracusis, &c.*] Vel hic locus est corruptus, vel alludit Poëta ad cladem, quam passi sunt Athenienses apud Syracusas; quod ut intelligatur nonnulla sunt altius repetenda, si prius varias lectiones retulerimus. Gemb. habet, *Vera Syracusas Salamis non merget Athenas*. Rom. *Verre Syracusas Salamis non merget Athenas*. Junius Bitur. *Verre Syracusas Salami non merget Athenas*. Scaliger: *Roma Syracusas, Salamis non merget Athenas*. Quæ ultima lectio facilis esset. Notaret enim Poëta cladem Syracusarum, cum a Marcello Cos. Romano captæ et eversæ fuerint; et internecinum prope bellum Athenienses inter et Megarenses de Salaminis insulæ jure. Verum vulgaris lectio mihi magis probatur, nec immutanda videtur, *Vera Syracusis Salamis non merget Athenas*. Vera enim Salamis in causa fuit, cur Athenienses Sy-

Punica nec toto fluitabunt æquore transtra:

Ποικίλ. ε. ι. An huc referenda, quæ Silius XIV. canit, nescio, ubi de Syracusis agit. Sane mirum, ni eadem sit historia. Et de hac clade Atheniensium rursus infra repetit: 'Armaque fixa Deis, aut quæ Marathonius hostis Perdidit.' Quæ est historia, quam tangit Ælianus loco supra a nobis producto. Quicquid latet sub involucro hujus versus, ad illud alluserit Lucanus III. 'Tresque petunt veram credi Salamina carinæ.' Nam tam hic, quam apud Lucanum, Salamis dicitur vera: et apud Senec. Troadib. 'Nunquid Ajacis Salamina veram:' ubi hodie legitur *veri*. Nam profecto hanc nostram historiam tangit.' *Scal.* 'Pro *mergit* Vossianus *mergat;* ceteri vetusti *merget*. Recte; ut *invehet*, *faciet*, *fluitabunt*, *&c.* Quod autem loco dicto citat ex suo codice Vossius, *certa Syracusis*, id non ita est. Codex enim habet *ultra*, mendose pro *vera*. Sic Lucanus III. 183. 'Tresque petunt veram credi Salamina carinæ.' Seneca Troad. 844. 'Numquid Ajacis Salamina veram:' et Horat. Carm. I. 7. 29. 'Ambiguam tellure nova Salamina futuram.' Hæc jam nota sunt. *Salamis vera* est insula prope Athenas, Ajacis; altera, urbs in Cyro, Teucri. Sententia hæc est: Gloria et superbia ob Salaminiam de Persis victoriam, non merget Athenas Syracusis; dum ultra vires Siciliam aggrediuntur. Silius XIV. 285. de re eadem: 'tercentum ante ora triremes Unum naufragium, mersasque impune profundo Clade pharetrigeri subnixas regis Athenas.'' *Bent.* 'Qui veram hanc esse lectionem existimat, interpretes ejus habet locupletissimos, Barth. Advers. pag. 131. et Gronovium Observ. I. 3. Nos equidem sequi Regiom. malumus, qui dedit, *Hiera Syracusas* (:) *S. non teget A.* Hæc enim tam videtur esse genuina et sincera lectio, quam si esset ex Auctoris autographo deprompta. *Hiera*, quod modulando pronunciabis *Hira*, vel ipsam denotat urbem Athenarum, quam diserte πόλιν ἱερὰν salutavit Aristoph. Pace vs. 1036. vel, hoc quidem loco, signat

NOTÆ

racusis e 300. navibus amiserint 200. penitusque deleti fuerint. Quod ut manifestum fiat dicam primum cur *Salamis* dicatur *vera:* deinde, quo sensu *vera Salamis* Athenas summerserit Syracusis.

I. Itaque triplex est distinguenda Salamis, insula, urbs, navis. Salamis insula jacet in Saronico sinu contra Atticam. Salamis urbs condita fuit a Teucro in Cypro. Salamis aut Salaminia navis apud Athenas dicta fuit, quæ ad res magnas usui erat. Tres enim fuere olim apud Athenas naves præcipuæ, quæ nominatim certo usui publico essent destinatæ, inquit Aristophanes in Avibus, quarum hæc sunt nomina, Iris, Paralus, Salaminia. Iris vehebat eos, qui religionis aut voti causa Delphos aut alio proficiscerentur: Paralus evocatos ad judicium Athenis alio avehebat: Salaminia reos ad judicium Athenas undequaque subvehebat, teste Thucydide de bello Pelopon. VI.

II. Salamis insula dicta fuit *vera*, ad discrimen Salaminis urbis, quæ 'ambigua' vocatur ab Horat. I. Od. 7. Scilicet ex Justin. II. 7. et ex Plutarch. in Solon. cum Athenienses inter et Megarenses internecino prope bello diu certatum esset, res est ad Spartanum arbitrium ac judicium delata, qui Salaminem insulam Atheniensibus adjudicarunt. Quamobrem Athenienses tres naves in Pyræeo Salaminiorum portu reliquerunt, quæ Salaminiam insulam nondum ambiguam, sed veram juris Atheniensium esse testarentur. Salamis autem urbs, ut jam monui, vocata est 'ambigua,' ad illius discrimen, quasi juris Atheniensium non esset. Quanquam et eam capere conati sunt Athenien-

Actiacosve sinus inter suspensus utrimque

mari: nec totus orbis terrarum hærebit dubius ex utraque parte in fretis Actiacis,

navem illam stupendæ molis et armaturæ, quam graphice depinxit Thuc. VII. 25. med. ubi simul memorat, 'eam ab Atheniensibus Syracusas missam, ad valla expugnandum marina.' Vides adeo, quam sit hoc *Hiera* rei de qua Noster apprime conveniens. Quo quidem ipse nobis se scriptorem probat ornatissimum pariter ac commodissimum, qui proprio rei vocabulo, adeoque non suo potius quam Attico uti sermone maluit. Præter enim ea quæ divino erant cultui dicata, sive res et loca sive personæ, alia quoque multa Græcis signata ἱερὰ fuere dicta, propter eximiam illorum qua magnitudinem, dignitatem, usumve præstantiam. Hinc ἱερῶς Suidæ exponitur *μεγάλως*. Hesych. *ἱερὸς λόχος, ἐν τακτικοῖς, ἡ πρώτη ἀπολοχία.* Ultimam hujus glossæ vocem, in Lexicis desideratam, reddit Alberti v. c. *in cohortes distributionem.* Magis ad rem nostram facit, quod Suidæ memoratur *ἱερὰ τριήρης*, quam dici posse putat *Patalum, vel eam quæ quotannis Delum ibat*, Athenis scil. ad deportandam forte pecuniam, quam auctore Aristide in commune illud ærarium Græciæ collatam fuisse scribit Nepos in Vita c. 3. pr. *Ἱερὰ ἄγκυρα*, qua non nisi in summa necessitate utuntur, est apud Poll. I. 93. qui etiam *ταμίας* dictos fuisse notat *τοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς τριήρεσι λειτουργοῦντες.* unde discimus, plures fuisse, Atheniensibus saltem, naves sacras, quæ celerius navigabant ceteris, ob lectissimos remiges aliumque optimum apparatum, quod perquam scite observatum politissimo Kuhnio ad locum. Cui compara Gebhard. ad Nepotis Alcib. c. 4. not. 8. Satis ergo dilucide apparet, ejusmodi Nostro *sacram* indigitari *triremem*, quæ post alias multas Syracusas missa victoriam peperit Atheniensibus. Vide iterum Thuc. loc. cit. *Hiera Syracusas*, supple non merget. Est autem h. l. *mergere* non id quod delere et funditus perdere, sed idem ac obruere, occupare; quod est claudere. Conf. not. ad I. 339. quod alterius quoque membri sensum recludit.' *Stoeb.*—51 Scal. Delph. et vulg. *rostra.* 'Cla-

NOTÆ

ses, teste Æliano v. 9. Salamis vero seu Salaminia navis, et hic a Manilio, et a Lucano II. 177. et *vera* et *Salamis* dicta videtur: 'Exhausit totas quamvis delectus Athenas, Exiguæ Phœbea tenent navalia puppes, Tresque petunt credi veram Salamina carinæ.' Lucanus enim earum Græcarum civitatum, quæ Pompeio adversus Cæsarem auxilium miserint, catalogum contexens ait, vel, ut aliis interpretibus placet, Athenienses civibus jam prope exhaustos cum propter bellum Persicum, tum propter Syllæ et Marii civile bellum, navales tamen tantas copias misisse Pompeio, ut tres tantum relictæ in portu certarent inter se de usu publico, cui Salaminia navis erat destinata: vel, ut aliis interpretibus magis arridet, Athenienses exhaustos delectu habito multoties antea tres tantum triremes Pompeio in auxilium misisse, quæ adeo celeres essent, adeoque peritis remigibus agerentur, ut quæque sibi veram Salaminiorum remigum gloriam vindicarent, veramque Salaminem, hoc est, unum et ultimum subsidium, esse prædicarent, in quo extrema Atheniensium salus, summaque libertas esset. Sic etiam apud Plutarch. in Pericl. Cratilaus vocatur *Σαλαμινία τριήρης*, *Salaminia navis*, quippe qui sese veluti Salaminiam navim in res magnas præberet. Hinc natum adagium 'Salamina navis,' inquit Erasmus Chiliad. 3. cent. 3. de re, in qua sit ultimum præsidium, extremaque salus.

Orbis, et in ponto cœli fortuna natabit.

nec fortuna cœli fluitabit in mari. *Hisce hominibus ductoribus classes deducun-*

dem Pœnorum navalem notat. Quomodo ergo *fluitantia rostra?* Certe *rostra*, ærata, aqua graviora, non fluitarent mari, sed siderent. Poteris ex Lucretio, cum naufragium describit, ita reponere; *P. nec toto fl. æ. aplustra;* sic enim ille II. 552. 'Sed quasi naufragiis multis magnisque coortis, Disjectare solet magnum mare transtra, guberna, Antennas, proram, malos, tonsasque natantes, Per terrarum omnes oras fluitantia aplustra Ut videantur:' et Cicero in Arateis: 'Navibus amissis, fluitantia quærere aplustra.' Sed nota, inter partes navium fluitantes *transtra* poni: et sic Virgilius in Tarchontis nave naufraga, Æn. x. 306. 'Solvitur, atque viros mediis exponit in undis; Fragmina remorum quos et fluitantia transtra Impediunt; retrahitque pedes simul unda relabens.' Repone igitur, *P. nec toto fl. æ. transtra.* Nam Virgilium passim et fere solum imitari solet Noster. Silius utrumque simul memorat, x. 325. 'jamque per undas Et transtra et mali laceroque aplustria velo, Ac miseri fluitant revomentes æquora nautæ.'' *Bent.* 'Retinendum omnino hoc *rostra*, quod nemini ante displicuit quam Bentleio, causam asserenti memoratu, nobis quidem, minime dignam. *Rostra* magnificentius dictum, quam *transtra*. Illa enim bellicas naves certo indicant. Rostratæ Carthaginiensium triremes, et de iis navale tropæum C. Duilii, columna rostrata. Vide doct. D'Orville ad Charit. pag. 627.' *Stoeb.*—52 Scal. Delph.

NOTÆ

His itaque rebus animadversis, quæritur quo sensu *vera Salamis* a Manilio dicatur summersisse Athenas Syracusis. Res est altius repetenda ex Thucyd. de bello Pelopon. VI. Scilicet cum olim de bello Syracusano divisæ diu fuissent sententiæ apud Athenas, Alcibiade quidem suadente, Nicia vero improbante, decretum est tandem bellum. Sed qua nocte solvenda erat classis, hermæ, quas Mercurii statuas religionis ergo servabant ad sacrarum ædium limina, omnes ad unam mutilatæ et deformatæ fuerunt. Cujus criminis non deprehensis auctoribus, sed cunctis id in malum omen interpretantibus, quæstio de sacrilegio instituitur. Interea solvitur classis, quæ ob aëris intemperiem graves passa est tempestates, inque Catanæ urbis portum in Sicilia hyematura tandem se recepit; constabat autem 300. navibus. Verum accusatum Alcibiadem, reosque nonnullos de hermis mutilatis *Salaminia* navis evocans e Catanæ portu Athenas subvexit. Quanquam Alcibiades non Athenas vectus est, sed metuens se Thurium in urbem recepit. Ceteris autem Athenas subvectis, unus sive nocens, sive innocens crimen confessus, atque ideo absolutus, in Alcibiadem, tanquam in primum facinoris auctorem culpam conjecit. Quod ut rescivit Alcibiades apud Lacedæmonios se contulit, iisque suasit, ut adversus Athenienses Syracusanis auxilium mitterent. Profecti sunt ergo Lacedæmonii cum navibus in Siciliam, atque eorum auxilio apud Syracusas Athenienses cæsi ac profligati omnino fuerunt; namque e 300. navibus, periere 200. Ælian. Hist. v. 9. Igitur non immerito dici potest *Salamis vera*, hoc est, navis Salaminia, quæ et *vera Salamis* dicta est, summersisse Athenas Syracusis, cum in causa fuerit cur Lacedæmonii venerint Syracusanis in auxilium adversus Athenienses. Si cui hæc interpretatio non probatur, doleo; nec invideo si rem melius capere potuerit.

His ducibus cæco discurrunt æquore classes,
Et coit ipsa sibi tellus, totusque per usus
Diversos rerum ventis arcessitur orbis.
Sed decima lateris surgens de parte sinistri

tur in ignoto pelago, et terra ipsa sibi jungitur commercio, et totus orbis terrarum deducitur ope ventorum in varia rerum commoda. Sed ingentissimus orion,

et vulg. *Actiacosque.* 'Immo *Actiacosve sinus.*' Bent. Ibid. vulg. *uterque.* 'Sed Gemb. *utrunque.* Lege *utrinque.* Manifesta sententia.' *Scal.* 'Cod. Lips. *utrumque.* Regiom. *utroque.* Sic quoque Barth. l. c. ex Ms. et edito vet. Rectius cod. Paris. quocum faciunt Ald. Prukn. Molin. *uterque orbis,* scil. oriens et occidens, pro quo Rutilius pari sermonis elegantia dixit 'Phœbus uterque,' II. 28. Denotat Noster imperium Romanum, quod similibus Poëtarum exemplis illustrarunt viri docti ad Rutil. l. c. *cæli fortuna*] ob Romam cælo adscriptam, quod suo loco nobis observatum IV. 695.' *Stoeb.*—54 Scal. Delph. et vulg. *ducuntur in æq.* '*His ducibus ducuntur?* Hoccine placet? Immo repone, *His d. c. discurrunt æq. cl.* Virg. Æn. v. 862. 'Currit iter tutum non secius æquore classis.'' *Bent.* 'Non est classis bene ordinatæ ultro citroque currere, id quod discurrere Livio I. 9. ubi de raptu Sabinarum sic scribit: 'signoque dato, juventus Romana ad rapiendas virgines discurrit.' Quapropter magis placet inveterata lectio, *ducuntur in æq. class. His ducibus* pro, ab his duc.' *Stoeb.*—57 Scal. Delph. et vulg. *Sed summa.* 'E Firmico fuerit legendum: *Sed decima.*' Reines. 'Pro *summa lateris* in Veneto lacuna est; signum mendi conclamati: in Vossiano *deus mala terris.* Unde repone, *Sed decima.* Sequitur enim post IV. partes in versu 39. mox versu 67. pars XV. et versu 102. XX. et versu 118. XXVII. et versu 128. ultima. Atqui *summa* pars id ipsum est quod ultima. Firmicus etiam *decima,* notante Scaligero. Inter IV. et XV. recte venit *decima.*' Bent. 'Libri omnes, *Sed summa lat.* i. e.

NOTÆ

51 *Punica nec, &c.*] Notat victorias, quas Romani adversus Carthaginienses retulerunt navalibus præliis, sed illa præsertim navali pugna apud Ægates insulas, in qua consule Lutatio Catulo tota quasi deleta fuit Carthago, primo scilicet Punico bello. Flor. II. 2.

52 *Actiacosque sinus, &c.*] Notat victoriam, quam navali prælio apud Actium Cæsar Augustus de Antonio et Cleopatra retulit, I. 912. et seqq. et Virgil. Æn. VIII. 675. et seqq.

Utrimque] Scaliger, non male; id est, ex utraque parte, Augusto scilicet et Antonio, qui de totius terrarum orbis imperio tum certabant. Vulg. *uterque,* sup. orbis, oriens scilicet et occidens, quo de utroque contendebatur.

53 *In ponto cæli fortuna natabit*] Sic I. 914. de eadem pugna: 'et in ponto quæsitus rector olympi.' Adulatoria sententia, ut ibi monui.

55 *Et coit ipsa tellus, &c.*] Notat navigationis usum, qui commercia utriusque orbis jungit. Sic I. 88. 'Fecit et ignotis iter in commercia terris.'

57 *Sed decima lateris, &c.*] His 10. vss. seqq. docet Poëta surgente suprema parte lateris sinistri orionis supra horizontem natos tunc fore solerti ingenio, mente agili, corpore robusto, inque civitatibus instar populi futuros, sæpe sedes mutaturos, communesque amicos divitibus dictos, qui per omnia limina verbum

Maximus orion, magnumque amplexus olympum;
(Quo fulgente super terras cœlumque trahente,
Ementita diem nigras nox contrahit alas)
Solertes animos, velocia corpora finget,
Atque agilem officio mentem, curasque per omnes
Indelassato properantia corda vigore.
Instar erit populi, totaque habitabit in urbe

qui tenet maximam partem cœli, attollens se ex parte suprema lateris lævi, (quo quidem lucente supra terras ac ducente cœlum, nox imitata lucem diei comprimit pennas atras,) procreabit industrias mentes, et corpora rapida ad cursum, et animum promtum ad munus suum, et pectora, quæ cum vigore infatigabili accelerent per omnes solicitudines rerum. Natus hoc sidere erit quasi totus populus, et versa-

suprema parte lateris sinistri Orionis.' *Stoeb.*—58 Scal. Delph. et vulg. *magnum complexus:* et sic Paris. et Regiom. 'Vetusti quattuor, *magnumque amplexus.*' Bent.—60 Vulg. *Et mentita.* Scal. et Delph. ex Gemb. *Ementita.* 'Sensus postulat *Cum mentita.*' Reines. 'Paris. et Regiom. *Et mentita.* Hoc est: Ipsa nox clarior erit cum Orion cælum possidebit. Nihil suavius dici poterat. *Ementita* demit sententiæ et venustati.' *Stoeb.*—63 Vulg. *Inde relaxato p. corde videri.* 'Scribendum, ut olim edidimus, *Indelassato p. corda vigore.* Etiam Gemb. et textus Bonincontrii habet *indelassato.*' Scal. Delph. *labore.* 'Cod. Lips. et Regiom. *In delassato.* Turnebus mavult *Inde lassato p. corda vigore.* Sic omnino recte Regiom. non *corde videre*, quod habent codd. Paris. Lips. et editorum plurimi. *Corda*, ipse homo cordatus, qui quantuscunque est, cor merum est.' *Stoeb.*—64 Vulg. *totoque h. in orbe.* 'Profecto sequentia legendum præcipiunt, *totaque h. in urbe.* Simile de mercatore proximo libro: 'totius et esse Orbis in hospitio.'' *Scal.* 'Sic Turnebus et Scaliger mutarunt antiquam lectionem, *totoq. hab. in orbe.* Toties videmus lapsos interpretes cum librariis imprudentibus, quoties illæ voces recurrunt. *in toto orbe* Noster dicere potuit aptissime, propter affluentiam, quæ Romæ fuit, hominum ex omnibus, qua patet, orbis partibus, quos ardeliones illi salutare, prensare et convenire sueverunt, ac si ad illorum familiares omnino

NOTÆ

unum salutandi portent. Porro suprema pars lateris sinistri orionis oritur cum 4. grad. arietis; hinc Poëta non repetit, quod supra docuit vs. 39. 'Quatuor in partes cum corniger extulit ora.' Quanquam Firmic. VIII. 6. non cum quarto, sed cum decimo gradu arietis oriri scribit orionem. Ita autem situs est orion inter sidera, ut sinister humerus, quo surgit, vergat ad arietem, I. 399. ubi de hoc sidere fusius dictum est.

58 *Olympum*] Cœlum, I. 178.

60 *Nox contrahit alas, &c.*] Nox enim fuscas habens alas fingitur, quibus terras obvolvat, lucemque terris eripiat; Virg. Æn. VIII. Orion autem ita lucidum est sidus, ut lucem terris non minimam reddere videatur, tenebrasque noctis pellere. Hinc sub finem ejus libri docet Manilius, nonnisi remota luna ac orione lucidiore cerni posse vulgus stellarum.

62 *Agilem officio mentem*] I. e. pervigili cogitatione semper exæstuantem, variisque solicitudinibus implicatam, inquit Firmic. VIII. 6.

Limina pervolitans, unumque per omnia verbum
Mane salutandi portans communis amicus.
Sed cum se terris aries ter quinque peractis
Partibus extollit, primum juga tollit ab undis
Heniochus, clivoque rotas convellit ab imo,
Qua gelidus boreas aquilonibus instat acutis.
Ille dabit proprium studium, cœloque retentans,
Quas prius in terris agitator amaverát, artes:
Stare levi curru, moderantem quatuor ora
Spumigeris frænata lupis, et flectere equorum

bitur in tota civitate, percurrens omnia atria, et veluti communis amicus ferens apud omnes unum verbum salutationis matutino tempore. Verum ubi aries, confectis quindecim jam gradibus, assurgit supra terras, tunc primo heniochus attollit ex aquis juga suorum equorum, et extrahit rotas ab infimo valle versus eam partem, qua frigidus boreas emittit asperos aquilones. Is autem heniochus tribuet suam artem, et suas disciplinas quas conservat in cœlo, quasque antea in terris auriga amaverat: scilicet insidere veloci curriculo regentem ora quatuor equorum coërcita frænis spumantibus, et moderari præpotentes vires illorum, et

pertinerent. Id genus homines ad vivum quoque depinxere Martial. II. Epigr. 7. et Phædr. II. Fab. 5.' *Stoeb.*—71 Scal. et Delph. *retentas.* 'Vetusti et alii plerique, *retentans.* Naso Trist. v. 2. 'At puto si demens studium fatale retentem.' *Scal.* 'Mirum mihi est, virum magnum *retentas* de suo dedisse, cum in prius editis reperisset *retentans. Heniochus et in cœlo retentans artes;* ut

NOTÆ

65 *Unumque per omnia verbum, &c.*] Notat Poëta communes amicos divitibus dictos, qui ad patronos quotidie ventitabant, et qui verbum *Ave*, seu *Salve*, prolocuti cuique transibant ad alios. Quæ salutationes mane fieri solebant apud Romanos, ut et patroni domi deprehenderentur et salutatores alii prævenirentur.

67 *Sed cum se terris, &c.*] His 25. vss. seqq. docet Poëta, surgente decimo quinto arietis gradu surgere heniochum: explicatque, atque exemplo duplici confirmat, quæ studia, quas artes, quosve mores sortiantur ii, qui tunc sub illo sidere nascuntur. Procreantur autem aurigæ, equorum domitores, curulium Circensium agitatores, desultores, qui saltu transeant equos, qui equorum dorso recti stent, ludant per terga equorum volantes, et qui arma tractare sciant equis insidentes, ac in longo Circo præmia per cursus referant. Tali sub sidere natos vult Salmoneum atque Bellerophontem, de quibus jam infra vs. 91. et 97.

68 *Juga*] Quasi equos jugo junctos in cœlis agitet heniochus.

69 *Heniochus*] I. 368. not.

Clivoque ab imo] Ab imo cœlo, quod nobis in clivum assurgit ea parte, qua terris exoritur.

70 *Qua Boreas, &c.*] Nimirum a septemtrione, a quo boreas flat, qui ventus et aquilo dicitur, IV. 589. situs est quippe heniochus ad septemtrionem, I. 368. not.

Prævalidas vires, ac torto stringere gyro :
Aut, cum laxato fregerunt cardine claustra,
Exagitare feros, pronumque anteire volantes,
Vixque rotis levibus summum contingere campum,
Vincentem pedibus ventos : vel prima tenentem
Agmina in obliquum currus agitare malignos,
Obstantemque mora totum præcludere circum,

flectere illos per orbem sinuosum: vel agitare equos, quando aperto carcere exierunt extra claustra, et incumbentem præcedere illos velociter currentes, et vix attingere rotis velocibus supremam campi superficiem, superantem ventos pedibus equorum; aut occupantem primos ordines flectere in obliquum currus transversos, et obsistentem toti agmini ludere per totum, aut per medium saltem circum: modo vadere

---

de Argo v. 13. 'quæ nunc quoque navigat astris.'' *Bent.*—75 Gemb. *toto s. g.* 'Hanc ferunt lectionem editi Aldi, Prukn. et Molin. Eandem viri docti ad Silium VII. 412. et Barthius l. c. tuentur. Codd. Ms. Gembl. Lips. et Paris. a secunda manu correctus, ferunt *toto gyr.* Nec aliter Regiom. Quodsi *tortum* malis, dic quæso, cui bono? cum vix sit tam imperitus lector, cui *gyrus* decircinandus fuerit, ne forte sibi alium, *non tortum* puta, in certamine præsertim curuli, fingat. Vides autem, omnis ævi scriptores in hoc argumento versantes, illo epitheto, ne forte se ridiculos darent, consulto abstinuisse.' *Stoeb.*—76 Vulg. *At quum l. fugerunt c. cl.* 'Laxatis carceribus. Melius, *Aut quum.*' Scal. Et sic Delph. '*Fugerunt claustra.* Inepte. Repone *fregerunt:* ut Virg. Æn. VII. 621. 'et cardine verso Belli ferratos rupit Saturnia postes.' Lucret. I. 71. 'confringere ut arta Naturæ primus portarum claustra cupiret.'' *Bent.* 'Equine, an homines? Alterutrum enim subaudiendum, nisi contra sermonis usum hoc *fregerunt* intransitive sumi velit hujus lectionis ingeniosissimus auctor, Bentleius. Multo nobis significantius sonat illud *fugerunt* vel *fugierunt*, quod vulgati omnes, scriptis omnino conspirantibus, tenent. *Fugere* putes *claustra* vel ostia duodecim carcerum, dum repentina motu se recipiunt, ut a nemine conspiciantur. 'Fugiunt' pariter 'effusi,' quos dicit Virgilius, 'equi,' Æn. v. 145. Plura in hanc rem Salmas. Exercit. Plin. pag. 648. sqq. et D'Orvill. ad Charit. pag. 777. sq.' *Stoeb.*—79 Scal. Delph. et vulg. *V. pedibus v.* 'Quis usus pedum stanti in curru? Vincit sane ventos pedibus equorum, non suis. At Latinitas postulat intelligi de ipsius aurigæ pedibus. Suspecta lectio. Fortasse, *V. penitus v.*' Scal. 'Frustra hic cavillatur Scal. Ineptum vero illud *penitus*, quod obtrudit pro *pedibus.*' Huet.—81 Vulg. *t. præcludere c.* 'Gembl. *percludere.* Lego *perludere.* ludere per totum circum.' *Scal.* Et sic Delph. '*Præcludere* libri omnes: quo spreto, tantum virum *perludere* substituisse, quis non miretur? Omnia quæ præcedunt, plane postulant *præcludere*. Cum auriga prima agmina teneret, artis erat, currus in obliquum agere, et obstantem sequentibus, ita

NOTÆ

76 *Aut, cum laxato, &c.*] His 9. vss. ludos Circenses præclare describit, de quibus pariter Virg. Æn. v.

77 *Feros*] Equos; sic v. 360. Sic Virg. Æn. IX. 818. 'spumantiaque addit fræna feris.'

80 *In obliquum currus agitare malignos*] I. e. *couper pour empêcher les autres cochers de prendre le devant.*

Malignos] Transversos. Sic III. 389. Sic Virg. Æn. VI. 270.

81 *Circum*] Locus fuit Romæ in orbem exstructus, in quo spectacula populo dabantur. Tres autem fue-

Vel medium turbæ, nunc dextros ire per orbes
Fidentem campo; nunc meta currere acuta,
Spemque sub extremo dubiam suspendere calce.
Necnon alterno desultor sidere dorso
Quadrupedum, et stabiles poterit defigere plantas;
Perque volabit equos, ludens per terga volantum:

per dextros gyros confidentem campo: modo circumire circa metam acutam, et tenere spem in dubio usque ad extremam finem: quinetiam desultor poterit credere se alternatim tergo equorum, et figere firma vestigia pedum supra equos, per quos desilit: ludet per dorsa equorum velociter currentium; vel vectus uno equo, modo

præcludere circum, ut currus vel suis velociores præterire non possent. Silius XVI. 406. de auriga loquens: 'Donec confisus primævæ flore juventæ, Obliquum Durius conversis pronus habenis Opposuit currum, atque eversum propulit axem Atlantis senio invalidi.'' *Bent.*—84 Scal. Delph. et vulg. *casu.* 'Non satis commode *casu*, cum de arte agatur. Repone, *suspendere calce. Calx* est meta, finis curriculi. Lucretius lib. VI. vs. 91. 'Tu mihi supremæ præscripta ad candida calcis Currenti spatium præmonstra, callida musa.' Alii, ut Varro, masculino genere, 'candidum ad calcem.'' *Bent.*—

NOTÆ

runt Romæ circi: Maximus, inter Palatinum et Aventinum: Flaminius, qui et Apollinaris dicebatur; circus Neronis in Vaticano. Qui ludi in hisce circis fiebant, circenses dicebantur. Horum in extrema altera parte carceres erant, e quibus dato signo emittebantur quadrigæ: in altera posita erat meta, ad quam cum venissent quadrigæ, opus erat ut circum ipsam flecterent equos. Liv. I. Sueton. in J. Cæsare 30. Virg. Æn. v. 551. et seqq.

82 *Turbæ*] Ceteris quadrigis.

Nunc dextros, &c.] Duplex enim erat flexus, alter in dextram, alter in sinistram; ille exterior; hic interior vocabatur; exterior quidem, quia extra metam fiebat, et per medium campum; interior vero intra et circa metam. Senec. cap. 9. de Tranq. 'In circi spatiis interius est flectendum,' &c. Quod noster hic verbis notavit: 'meta currere acuta.' Sed de hisce curulibus præclare Virg. Æn. v. 162. et seqq.

83 *Acuta*] Meta quippe in acutum turbinis instar inversi ponebatur; sic dicta vel quia meterentur eam quadrigæ, vel quia in dimenso spatio figebatur.

84 *Calce* [*casu*] Fine; sic Virg. Æn. v. 328. 'Jamque fere spatio extremo, fessique sub ipsam Finem adventabant.'

85 *Desultor*] Cujus ars erat binos trahere equos, et alternatim ex uno in alterum mira celeritate transilire. Romani autem veteres, teste S. Pompeio, utebantur paribus, i. e. binis equis inter præliandum, ut ex altero sudante et anhelante transilirent in alterum siccum, et non defessum. Hinc pararium æs vocabatur id, quod equitibus duplex pro binis equis dabatur. At teste Firmico VIII. 6. desultores quidem dicebantur qui ejusmodi equos binos et alebant et edocebant. Hinc et 'desultorius equus' ex quo et in quem desiliebatur facile.

68 *Quadrupedum*] Equorum, IV. 234.

Aut solo vectatus equo, nunc arma movebit;
Nunc ciet in longo per cursus prælia circo:
Quicquid de tali studio formatur, habebit.
Hinc mihi Salmoneus (qui cœlum imitatus in urbe

tractabit arma, modo reperiabit mercedem ex cursibus, quamvis fiant in magno circo, id omne quod instituitur de tali arte. Ex hoc sidere natus mihi videtur Sal-

87 Scal. Delph. et vulg. *Per quos vadit equos, ludet p. t. v.* 'Hæc et corrupta sunt et prave interpuncta. Vetusti tres, *Per quos labit equos.* Repone, *Perque volabit equos, ludens p. t. v. Per quos labit* et *perq; volabit*, una tantum litera differunt. Voss. vero *Per quo labit;* quod ne una quidem.' *Bent.* 'Hæc lectio, si quidem ad veterum librorum normam exacta, et scriptione et punctuatione peccat. Legendum sic: *Per quos vadit equos* (:) i. e. per quos desilit. pro *ludens* cod. Paris. *ludit.* Regiom. et ceteri, *ludet.*' Stoeb.—89 Vulg. *Nunc licet in longo percussus p. c.* Scal. et Delph. *Nunc licet i. l. per cursus præmia c.* 'Puerilis error veterum *percussus*, pro *per cursus.* Ita olim emendavimus: ita etiam Gemb.' *Scal.* 'Sic evolvunt orationem: *Nunc* (desultor) *habebit præmia per cursus, licet in longo circo.* Me vero judice nulla præmia habebit qui primus tam insulsam lectionem commentus est. Repone, *Nunc ciet i. l. p. c. prælia c.* Hoc est, Heniochus astrum surgens, *habebit*, dabit, creabit, quicquid ad aurigandi studium pertinet. Illa vero, *Nunc arma movebit, nunc ciet prælia*, de ludis Circensibus accipe; qualis Trojæ ludus, Virg. Æn. v. 580. 'Olli discurrere pares, atque agmina terni Diductis solvere choris; rursusque vocati Convertere vias, infestaque tela tulere. Inde alios ineunt cursus aliosque recursus Adversis spatiis, alternosque orbibus orbes Impediunt, pugnæque cient simulacra sub armis.' Omnia hæc fuse habes, quæ apud Nostrum breviter.' *Bent.* 'Non inscite conjecit Turnebus p. 797. *N. leget in l. per cursus præmia c.* Sed præstare nobis adhuc videtur inveterata codicum priscorum lectio: *N. licet in longo percussus, præmia, C. Quicquid de tali studio formatur, habebit.* Maluit Barth. *præcursus:* rectius autem de eo qui arma tractat dixeris *percussus.* Sensus: ictus, vulneratus licet, tamen, si longum decurrerit circum, id omne quicquid tali studio præmii loco propositum est, obtinebit.' *Stoeb.*—91 Scal. Delph. et vulg. *H. m. Salmoneus, q. c. imitatur in orbe P. impositis, m. que per æ. q. E. s. m. s. visus, et i. A. J. t. de fulmine fingit, S. et immensos ignes, s. i. s. M. J. didicit, g. p. h.* 'Hyperbaton, sententia tamen aperta. Hinc Salmoneus possit videri generatus, qui cælum in terra imitatur, et missis curribus per pontes æneos putabat se admovisse Jovem fulminantem terris, sed malo suo, quippe veros ignes Jovis sensit, et sequutus ipsum verum fulmen didicit et expertus est Jovem.' *Scal.* 'Hæc simul exscribenda erant, ut ex serie orationis de emendatione indicetur. Voss. vs. primo *imitatus in urbe:* [et sic

NOTÆ

91 *Hinc mihi Salmoneus, &c.*] His 6. vss. notat Salmonei genituram, quem sub heniocho natum asserit. Is quippe divinos sibi quærens honores currum agitabat armatus fulmine, Jovemque tonantem imitari voluit exstructo ponte æneo, per quem quadrigas agitabat, facemque ardentem jaculatus in obvium quemque occidi jubebat. Verum non impune tulit, ut ait Poëta noster: 'Morte Jovem didicit.' Namque fulmine percussus misere extinctus est. De quo præclare Virg. Æn. vi. 585. et seqq.

Pontibus impositis, missisque per æra quadrigis
Expressisse sonum mundi sibi visus, et ipsum
Admovisse Jovem terris; male fulmina fingi
Sensit, et immissos ignes super ipse secutus
Morte Jovem didicit) generatus possit haberi.
Hoc genitum credas de sidere Bellerophonten
Imposuisse viam mundo per signa volantem:
Cui cœlum campus fuerat; terræque fretumque

moneus, qui imitatur cœlum in terris, exstructis scilicet pontibus, et emissis quadrijugis per pontes æneos, visus est sibi reddidisse sonitum cœli, et fingit attraxisse Jovem de suo fulmine in terras: verum ipse nimis imitatus ingentia fulmina sensit ea, et cum mortalis esset, expertus est nece sua quid sit velle videri Jovem: putes etiam velim Bellerophontem natum sub hoc signo fecisse iter in cœlo volitantem per sidera: sed cui cœlum fuerat instar soli, et sub cujus pedibus terræ et

legendum vult Reines.] in ceteris scripti consentiunt. *H. m. S.* (*q. c. imitatus in urbe P. impositis, m. que per æ. q. E. s. m. s. visus, et i. A. J. t.; male fulmina fingi S., et immissos i. s. i. s., M. J. d.*) *g. p. h.* *Immissos ignes*, ut et Gronovius Observ. III. 15. ubi et totum hunc de Salmoneo locum expendit. Sic infra versu 501. de aquila: 'Immissosque refert ignes, et fulmina reddit.' Ovid. Fast. II. 495. 'Hinc tonat: hinc missis abrumpitur ignibus æther:' et III. 287. 'Non alias missi cecidere frequentius ignes.'' *Bent.* *in urbe*] scil. Elidis. Virgil. Æn. VI. 588. Frustra nobis hic offerunt libri vetusti *orbe*: nisi quis accipiendum putaverit pro *orbe factitio* magni referente speciem Olympi, cujus ille sonitus imitabatur, quod ait Virgil. l. c. vs. 586. 93. *Admovisse*] Iidem illi *Amovisse Jovem terris* (delent hic distinctionis notam) *de fulmine fingit* (.) 95. *immissos*] Ceteri omnes, *immensos ignes super* (:) Interpunctio Regiom. Vs. 96. *generatus possit haberi*] Sic omnino cod. Paris. et editus Regiom. Aliter recentiores tres, *generatus quo sit habendus*. Vide pluribus ad totum h. l. Gronov. Observ. III. 15. pag. 564. sqq.' *Stoeb.* Pro *fingit* in vs. 93. Reines. legendum vult *finxit*: et 95. 'Emendo,' inquit, '*Sensit et immensos ignes superesse, seipsum Mortalem didicit*: vel, *Morte hominem didicit*, vel morte Jovem eum didicit quo sit habendus generatus, i. e. ad quem originem suam referre debeat: nim. ad mortalem quendam Jovem.'—

NOTÆ

93 *Mundi*] Cœli. Sic Virg. 'Dum flammas Jovis et sonitus imitatur olympi.'

94 *Male fulmina* [*de fulmine*] De sede sua cœlesti, e qua fulmina vibrat.

95 *Super*] I. e. nimis, satis superque.

96 *Possit* [*quid sit*] Jun. Bitur. bene. Scaliger *possit*, minus bene.

97 *Hoc genitum* .... *Bellerophonten, &c.*] His 4. vss. notat et Bellerophontis genituram sub heniochi sidere. Is quippe, superato chimæræ monstro, ausus est in cœlum Pegaso equo alato insidens ascendere: verum immisso a Jove œstro, Gallice *un taon*, qui Pegasum agitaret, superbus eques ex equo excussus decidit in terras, ac interiit. Hinc concludit Poëta cavendum esse heniochi sidus in genituras.

Sub pedibus: non ulla tulit vestigia cursor.
His erit heniochi surgens tibi forma notanda.
Cumque decem partes aries duplicaverit ortu,
Incipient hædi tremulum producere mentum,
Hirtaque tum demum terris promittere terga,
Qua dexter boreas spirat. Ne crede severæ

mare jacuerant; nullum solum portavit plantas pedum illius. Hoc autem heniochi sidus præcavendum erit tibi. At vero quando aries exortus geminaverit decem gradus, hædi incipient proferre mobile mentum, et tandem incipient porrigere supra terras hirsuta sua dorsa ex ea parte, qua boreas flat ad dextram. Neque autem attribue huic

100 Scal. Delph. et vulg. *campus.* '*Campus* male hic repetitur, cum in præcedente versu fuerit. Vossianus *cursus;* ceteri tres *cursu.* Repone, *cursor.* *Cursor* nulla vestigia campo sive stadio impressit. Cicero Tuscul. II. 22. 'In stadio cursores exclamant quam maxime possunt.'' *Bent.* 'Cod. Lips. *cursu.* Paris. Regiom. editique ceteri, *campus,* scil. cælestis ille vs. præc. Ab hac lectione nos, ut discedamus, non movet auctoritas cl. Barthii, qui substituit ex conjectura, *tempus.* Vide Advers. p. 132.' *Stoeb.*—101 Vulg. *Hic erit.* 'Scribe, *Hæc erit .... cavenda.* [et sic Delph.] Sed Gemb. habet *His erit.* Fortasse bene. τὸ *cavere* hic est ex jure.' *Scal.* '*His erit* codices vetusti. Pro *cavenda* Gemb. *cananda,* Lips. *conanda,* Voss. *covanda.* Repone, *His .... notanda.*' Bent. —102 Scal. Delph. et vulg. *ortus.* 'Immo *ortu.*' Bent. 'Malim retinere *ortus* aries, quod dudum invaluit.' *Stoeb.*—105 Scal. Delph. et vulg. *Nec crede.* 'Voss. cum recentioribus, *Ne crede;* quod melius.' *Bent.* 'Scripti pariter ac impressi, *nec* pro neque vero, quod cum sequentibus ita vult necti: neque vero putes severos ad graves mores huic sideri esse asserendos.' *Stoeb.*—

NOTÆ

102 *Cumque decem, &c.*] His 16. vss. seqq. docet Poëta surgere hædos cum 20. gradu arietis. Hædi autem duæ sunt stellæ quas in sinistra manu fert heniochus ad aquilonem, ut dictum I. vs. 372. Sub his autem exorientibus nascuntur non severi censores, qualis fuit Cato; non publicæ libertatis vindices et assertores, quales fuere Brutus et Torquatus et Horatius Cocles; sed petulantes, saltatores et agiles, quos capreolos vocant, et libidinosi. Nascuntur et pastores, qui fistula modulantes rustici carminis modos edant. Sic Firmic. VIII. 6.

104 *Promittere*] Proferre, Gallice *avancer, allonger.*

105 *Qua dexter boreas*] Exorientes enim hædi ita versus aquilonem siti sunt, ut ad dextram intuentium assurgant. Boreas autem seu aquilo ventus est a septemtrione flans, qui et pro septemtrione usurpatur, I. vs. 321.

Ne crede, &c.] Sic IV. 933. 'Ne dubites homini divinos credere visus.' Sic infra vs. 299. 'Teve, Philoctete, cui malim credere parti?' Itaque Manilius vult sub hoc sidere non nasci severæ frontis viros; sed petulantes et lascivos. At Firmicus VIII. 6. aliter sentit; namque, ut ait, 'hoc sidere quicumque nati fuerint, aliud ex fronte pollicentur, aliud latenter in moribus celant. Sunt enim austera facie, prolixa barba, obstinata fronte, ita ut Catonis institutum imitari videantur: sed totum hoc fucato mentiuntur affectu.' Ad cujus mentem sic interpretari debueris hæc

Frontis opus signo, strictas in colla secures,
Abreptumque patri Torquatum, et Horatia facta.

sideri partum austeri vultus, nec severos Catones, aut Brutum, aut Torquatum simi-

106. 107 Vulg. *structos.* 'Inepte. Lege, *strictos.* et mox pro *Tarquinium, Torquatum.* Manifesto legendum *Torquatum*, ut etiam Gemb. et nos in priore editione.'' *Scal.* Scal. *strictos nec crede Catones Aut Brutum atque parem T. e. H. f.* Et sic Delph. vid. not. inf. 'Hæc a libris veteribus nimium quantum abscedunt. Illi sic habent, *signi, strictos in coda Catonis, Abruptamque patri Torquatum et Horatia facta.* Voss. tamen, *strictosque in ceda*, et *abruptumque.* Repone, *ne crede severæ Frontis opus signo, strictas in colla secures, Abreptumque patri Torquatum, e. H. f.* *Securis*, semper libri pro *secures:* at non *Catonis* pro *Catones.* *Strictas secures* proprie, ut strictos enses, gladios, mucrones, cultros. Noster inf. vs. 626. 'Accensosque rogos, et tinctas cæde secures.' Claudian. in Prob. et Olyb. Cons. 232. 'strictasque procul radiare secures:' et in Rufinum I. 249. 'juvenum rorantia colla Ante patrum vultus stricta cecidere securi.' Silius II. 622. 'Hic raptam librans dilectæ in colla securim Conjugis.' *Abruptum* autem pro *abreptum.* Sic III. 355. libri omnes dederunt *Mensibus eruptis*, pro *ereptis.* *Abreptum patri* ad cædem: ut Terent. And. IV. 47. 'Hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.' Virg. Æn. VI. 825. 'Quin Decios, Drusosque procul, sævumque securi Aspice Torquatum.' Nota hic non *severam frontem*, sed *severæ frontis opus.* *Opus* igitur patris Torquati, filius cervice abscisa; opus Horatii, soror pectore perfosso. At si *Catones* legas, non opus *frontis* habebis, sed ipsam tantum frontem. *Horatia facta*, ut Propert. III. 2. de Ennio: 'Et cecinit Curios fratres et Horatia pila.'' *Bent.* '106. *strictas in colla secures*] Cod. Paris. et Regiom. *structos nec crede Catones*, quæ lectio est ceterorum quoque veterum impressorum. *structos* capimus pro, natos et formatos. Cf. not. ad I. 769. 107. *Abreptumque patri Torquatum, &c.*] Hujus lectionis vestigia non obscura tenet cod. Lips. in his: *Abruptumque patri Torq.* Cod. Paris. Regiom. cum editis posteris: *Aut Brutum atque parem Tarquinum*, pro quo Gembl. recte, *Torquatum.* Confirmat hoc Barthius Adversar. pag. 182.' *Stoeb.* 'Omnino scribendum *patrem*

NOTÆ

verba Manilii: 'Nec crede severæ frontis opus,' &c. hoc modo: Noli credere severæ fronti natorum sub hoc sidere; quasi fronti nulla fides sit.

106 *Strictas* [*strictos*] Sic legendum ex ipso Manilio, I. 769. 'Strictas pondere mentes.' Igitur *strictos* vocant rigidos ac severos, Gallice, *des gens entiers et severes*, quales olim apud Romanos fuerunt duo Catones, Censorinus et Minor, de quibus dictum est, 'Triste supercilium, durique severa Catonis Frons,' &c.

107 *Abreptum* [*Brutum*] L. Junium Brutum, qui stultitiam metu Tarquinii Superbi simulans, exactis regibus Romam in libertatem vindicavit, primusque factus est consul. Itaque per *Brutum* intellige vindicem, ac publicæ libertatis assertorem, qualis fuerit ille vir, I. 783.

Patri [*parem*] *Torquatum*] Notat enim Poëta viros austeræ disciplinæ, qualis olim fuit Titus Manlius Torquatus, sic cognominatus a torque, quem occiso Gallo detraxit. Is autem nec proprio filio victori pepercit, quod injussu suo, et contra rei militaris disciplinam hostem, a quo fuerat provocatus, interfecerit. Rom. *Tarquinum*; sed male, pro *Torquinum*, i. e. Torquatum.

Horatia facta] Notat et intrepidam

Majus onus signo est; hædis nec tanta petulcis
Conveniunt. Levibus gaudent, lascivaque signant
Pectora: et in cursus alacres, agilemque vigorem

lem, aut actiones Horatias. Munus est gravius huic sideri, neque tantum opus bene congruit petulantibus hædis; delectantur enim rebus agilibus, et notant libidinosa corda: et nati sub his toti sudant in alacres lusus, et in robur alacre; et agunt ju-

---

Torquatum: ut intelligatur cruenta illa ipsius in filium animadversio.' *Huet.* —108 Vulg. *Majus onus signi est.* 'Gemb. *signo.* Ita etiam nos olim. Illud onus, inquit, est impar molli et lascivo signo.' *Scal.* 'Lege *opus.*' Reines.—110 Vulg. *luxus agiles.* 'Magis probo Gemb. lectionem, *lusus agiles.* 'L. *Lusus.* τὰ X et S vel SS apud veteres notarios alternabant. Manuscriptos Appuleii frequentissime habere X pro S annotavit Brantius. Hinc in eadem vocula corrige Cœlium Aurelianum lib. I. tard. cap. 6. 'Si puerili luxu furentes adficiantur.' *Puerilis luxus* est παιδαριῶδες παίγνιον. Cicero in fragm. Arateorum: 'Neptunia pistrix;' al. pristrix, pristix, id est πρῆστις. In vet. epigramm. 'Præsecuit tenerum lubrica texta caput,' i. e. testa, glacies. *Striglix* apud Vitruvium lib. VII. pro *striglis: naxa* pro *nassa* apud P. Crescent. lib. X. *Follex* in vett. Glossis est θύλακος, al. *follis. Exculentius edulium* apud Petrum Damian. lib. de contemtu sec. cap. 7. *idololatrix religio,* apud Prudent. Hamartigen. v. 405. pro εἰδωλολάτρεις: in notis Tironis, *Lucuplex; Aucupex; Scinifex,* pro *scinifes,* σκνῖπες. Ab ista scribendi ratione manavit, ut Ὀδυσσεὺς diceretur *Ulyxes:* Volusius *Volux,* apud Silium v. Plura ejusmodi notavi in Variis III. 17. ad Festi *cercalopis.* Jam S quoque tam simplex quam duplex pinxere pro X: *Exussit* apud Tertull. lib. ad Martyres cap. 4. ubi de Heracliti hydropici cura, pro *exuxit: assellæ,* pro *axillæ* seu alæ: apud Gariop. v. 15. *Anasilaus* pro *Anaxilaus* apud Macrum ubi de cicuta: *Gynecea testricum* apud Pet. Damian. epist. 26. *essiccata* apud Columell. pro *exiccata:* quod cum non intelligerent viri docti, varia commenti sunt: *cornis* pro *cornix* apud Avien. in Phænom. Et in lapidibus MASSIMVS, EPITEVSIS, AVSENTIVS: in Nemaus. IAPVS LIB. pro IAPYX.' *Reines.* Et sic Delph. vid. not. inf. '*Agiles* et mox *agilem* non sicci solum et jejuni poëtæ est, sed inepti et ignavi. Repone, *et in cursus alacres agilemque vigorem Desudant.* Sic inf. vs. 442. sub Delfino, 'dabit natura vigorem Atque alacres cursus, campoque volantia membra.' *Lusus* enim sedendo aguntur, nec in eos desudare opus est.' *Bent.* 'Codicum auctoritate legendum, *in luxus agiles.* Gemb. *in lusus.* Malim de-

NOTÆ

viri mentem, qualis fuit Horatio Cocliti, qui unus hostium impetum sustinuit, donec a tergo pons, quo aditus in urbem hostibus includeretur, a sociis suis frangeretur, Liv. II. dec. 1. Vel qualis fuit mens tergeminorum Horatiorum, qui tergeminos Curiatios interfecerunt, I. 776. et 779. Itaque videtur Manilius huic eidem heniochi signo asserere timidos, imbecillos, et ut ait Firmicus citat. 'ab omni virtutis officio separatos, et qui pugnarum periculum perhorrescant.'

110 *In cursus* [*lusus*] Quia saltatores et agiles, quos *capreolos* vulgo vocant, sub hædis recte nasci dicuntur. Quanquam capreoli quoque dicuntur luxuriantes. Hinc alii legunt, *in luxus:* verum bis eadem repeteret Poëta; nam sequenti versu addit *vario ducunt in amore juventam;* quibus verbis lascivos et luxuriosos notat. Deinde epithetum *agiles,* non *luxus,* sed *lusus* postulat.

Desudant. Vario ducunt in amore juventam.
In vulnus nunquam virtus, sed sæpe libido
Impellit; turpisque emitur vel morte voluptas.
Et minimum cecidisse malum est, sed crimine victum.
Necnon et cultus pecorum nascentibus addunt,
Pastoremque suum generant, cui fistula collo
Hæreat, et voces alterna per oscula ducat.
Sed cum bis denas augebit septima partes
Lanigeri, surgent hyades: quo tempore natis
Nulla quies placet; in nullo sunt otia fructu:
Sed populum turbamque petunt, rerumque tumultus.
Seditio clamorque juvat; Gracchosque tenentes

ventutem suam in diversa libidine. Nunquam tamen virtus inducit illos in cædem, sed sæpe amor libidinosus; et inhonesta voluptas etiam morte emitur: et minimum peccatum est deliquisse, sed superatur scelere. Quinetiam hædi dant natis sub se curam pecudum, et procreant suum pastorem, ac custodem gregis, cui fistula pendeat e collo, et qui edat modulamina sonoræ vocis per alterna foramina fistulæ. Verum ubi septimus gradus arietis excedet viginti gradus ejusdem, tunc hyades exoriuntur: quo in tempore nascentibus omnis pax displicet, et tranquillitas in nullo est usu: sed amant plebem, et multitudinem populi, et motus rerum; tumultus et contentio verborum placet illis, et petunt

disset *in luctas*, quod sequentia suadent, imo postulant.' *Stoeb.*—114 'Versus irreptitius et insulsus. Pro *sed* vetusti omnes *quia*.' Bent. 'Nolim hunc versum præpropero Bentleii judicio proscriptum. Quippe totidem verbis in nostris libris legitur, et ad sententiæ complementum omnino pertinet. Sensus: Et in majore malo habetur criminis exercitio ab altero victum esse, quam criminis pœnam vel occumbendo dedisse. His compara quæ ad ista verba commentatus est Barth. Adv. p. 159.' *Stoeb.*—119 Scal. Delph. et vulg.

NOTÆ

112 *In vulnus nunquam virtus, &c.*] Scilicet, ut ait Firmicus VIII. 6. 'hi præterea sub hædis nati frequenter libidinibus capti, et præposteri amoris studiis occupati, mortem sibi inferre cogntur:' nòn autem virtus cogit illos in mortem consciscendam.

114 *Cecidisse*] In libidinem turpem abiisse.

Crimine] Scilicet, dum sibi mortem consciscunt.

117 *Oscula*] Parva foramina fistulæ, quam ad os admoventes voces per alterna oscula ducebant.

118 *Sed cum bis denas, &c.*] His 10. vss. docet hyades oriri cum vigesimo gradu arietis, atque sub illis nasci popularis auræ cupidos, turbulentos, seditiosos, pacis ac quietis inimicos, bubulcos etiam et armentarios. Sic Firmic. VIII. 6.

119 *Hyades*] Stellæ sunt septem in capite tauri, I. 371. Quod autem Manilius eas oriri vult cum 20. grad. arietis, id fit ex eo, quod eas non in fronte, sed in posterioribus tauri partibus collocet, ut jam dicetur vs. 142.

122 *Gracchosque*] Notat auræ popularis nimium cupidos, quales olim

Rostra volunt, montemque sacrum, rarosque Quirites:
Pacis bella probant; furtimque alimenta ministrant.

Gracchos, qui occupent rostra, et teneant sacratos colles, et desiderant paucos Quirites; approbant rixas et contentiones, quæ fiunt in tempore pacis, et

surgunt. 'Immo *surgent* legendum est cum Gemb. et Lips.' *Bent.*—123 Vulg. *montesque sacros.* 'Gemb. *montemque sacrum.* Prius magis poëticum. Hoc magis ad historiam. Unus enim est mons sacer. Male distinguitur vulgo. Ita interpunge, *rarosque Quirites Pacis bella probant. Quirites raros pacis* vocat seditiosos, ut quum in montem sacrum secesserunt.' *Scal.* Dissentit Delph. Vid. not. inf. 'Membranæ a Barthio excussæ, cum scriptis ac editis nostris, *montesque sacros.* Bene. Nam *sacri montes* veluti proverbio indicant secessus turbulentæ plebis, non aliter atque mox *Gracchi* homines seditiosissimos. *rarosque Quirites*] i. e. electos, quos noverunt ipsorum partibus studere. Vide Non. Marcell. in voce.' *Stoeb.*—124 Scal. Delph. et vulg. *curæque a. m.* 'Corrupit sententiam Scaliger distinctione prava, *raros pacis Quirites.* Immo *raros* absolute; quia in montem sacrum ex urbe secesserant. *Pacis bella,* ut I. 883. 'Pacis funera:' illic seditiones, hic pestilentia. Sed non placet illud *curæ.* Repone, *furtimque a. m.* Amant seditiones, et clam, furtim, eas alunt.' *Bent.* 'Rectius habet inveterata librorum omnium lectio, *curæque anim. ministr.* scilicet iis, quibus prospiciendum, ne quid respublica detrimenti capiat. Itaque suspicio seditionis oriundæ, et consilia quæ capienda sunt,

NOTÆ

Romæ fuerunt Tiberius et Caius fratres, Tiberii Gracchi ex Cornelia nati, qui relictis optimatibus ad plebem se contulerunt, leges agrarias iterum reduxerunt tanquam perpetuos seditionis fomites; nec antea quieverunt, quam senatum in suam necem armarunt. Tiberius igitur prior occisus fuit a Publio Nasica inter concionandum: Caius vero biennio post a Consule Opimio, cum Capitolinum montem occupasset. Plutarch. in Gracch. vita.

123 *Rostra*] Locus erat in foro, in quo conciones habebantur, ut monui III. 113. not.

Montemque sacrum] Capitolinum scilicet montem, quem cum occupasset Caius Gracchus, ut monebam jam, in eo fuit occisus.

Rarosque Quirites: Pacis, &c.] Ita interpungendum. Intelligit enim Poëta per *raros Quirites,* paucos cives, urbanos scilicet, nec milites. Sic, apud Suetonium, J. Cæsar cum milites exauctorat et dimittit, vocat eos Quirites, i. e. cives urbanos nec jam milites. Sic in concionibus ab oratoribus appellabantur Romani Quirites, quasi cives urbani, nec arma tractantes. Dicti sunt autem Romani Quirites a Curibus Sabinorum urbe; Romulus quippe inito fœdere cum Sabinis, quos in portionem urbis recipi voluit, mixtam Sabinorum et Romanorum gentem uno nomine Quirites appellavit, Liv. I. Itaque per *Gracchos,* qui teneant *raros Quirites,* notat Poëta viros, qui seditionis ac novarum rerum cupidi petant non plurimos, sed paucos Quirites, i. e. viros pacis amantes, nec arma tractantes. Minus autem bene Scaliger legit: *rarosque Quirites pacis: bella probant, &c.* Quasi *raros pacis* Latine sit seditiosos. Immo, *pacis bella probant,* i. e. rixas amant, et jurgia, contentionesque, quæ fieri solent extra bella.

Immundosve greges agitant per sordida rura:
Et fidum Laërtiadæ genuere syboten.

suppeditant nutrimenta solicitudinibus: deducunt etiam sordidos greges per fœdos campos. Hyades generarunt etiam in terris alium fidelem booten. Hyades igitur

ad illam amoliendam apta Nostro *alimenta curæ* dicuntur.' *Stoeb.*—125 Scal. Delph. et vulg. *Immundosque.* 'Immo potius, *Immundosve.*' Bent. '*Immundosve*] quasi vero præter istos seditiosos etiam pastoritiæ artis cultores hoc sidere nascerentur. Somniavit hæc Firmicus VIII. 6. At pessimæ sint, oportet, notæ, qui, quod notanter addit, immundum gregem agitant per sordida rura. Neque Noster quæstum unquam opilionibus sed navigatoribus tribuit. Itaque cum codicibus omnino legendum *Immundosque*, cujus ratio et sensus uberius reddetur nunc ad vs. 126.' *Stoeb.*—126 Vulg. *Et fidi interdum non alium g. Bootem.* 'Bootem sub hoc signo natum innui olim putabamus non futili argumento, quod Hyades sint in tauro. Sed et hoc modo sub Pleiadibus nati fuerint etiam bubulci. Monstrum lectionis præfert Gembl. *Et fidunt nerciadu genuere sybœten.* non magni moliminis est veram lectionem eruere: *Et fidum Laërtiadæ g. syboten.* Hinc, inquit, subulcus, qui Græce συβώτης, Eumæus natus est Ulyssi. Dubitas esse veram lectionem? Dubitabunt sane quidam, quibus omnes nostræ felices conjecturæ sunt ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν, neque eos dormire sinunt, non magis quam illum Miltiadis trophæa. Novimus aliquot horum et ridemus, quos Miltiadis trophæa excitent, quos prius oportebat esse Themistocles. Ibid. *Et fidum Laërtiadæ g. syboten*] Εὔμαιε συβῶτα quoties legitur in Odyssea? Vise locos. Suculæ igitur, quas Græci ὑάδας vocant, subulcos faciunt ortu suo, qui nascuntur. Immerito Ciceronis libertus Tiro Latinos veteres reprehendit, qui ὑάδας Suculas verterunt.' *Scal.* Delph. *Et fidum in terris alium genuere Booten.* Vid. not. inf. 'Emendatio hæc Scaligeri est, tam certa, quam facilis: jactantiam suam hic ei condonamus. Libri veteres, *Et fidunt nerciadu g. sybœten.* Voss. adhuc deterius, *uernadu.*' Bent. '*Et fidum Laërtiadæ genuere syboten*] Hoc quidem pacto Scaliger se locum hactenus depravatissimum certa facilique conjectura restaurasse, non sibi tantum ipsi, verum etiam Barthio Bentleioque persuasit: nobis autem minime. Præterquam enim quod illud *Laërtiadæ* a vera, non ficta, codicum lectione justo longius recedit, sententiæ quoque structura Manilianæ rationi nequaquam est congrua. Quid enim fido Eumæo cum illis hominibus turbulentis, seditiosis: aut cum pravis ejusmodi pastoribus, qui *immundos greges agitant per sordida rura*? Quis item genethliacæ artis magister diversissimos mores uno eodemque astro progigni docuit? Accedit, quod duæ sententiæ sibi adversæ mediante vocula *Et* nectuntur, incommode prorsus. Videant ergo eruditi, quanam

NOTÆ

125 *Immundos greges*] Porcorum, hædorum, atque boum, &c.

126 *Et fidum, &c.*] Sic restituit J. Bitur. nec male. Namque ex Firmico VIII. 6. hyades progenerant bubulcos, opiliones, et armentarios. Bootes autem, ut monui I. 316. bubulcus est inter sidera. Igitur hyades quoque generant in terris booten alium a cœlesti illo. Gemb. *Et fidunt veri dum genuere Booten.* Rom. *Et fidi interdum non alium genuere Booten.* Scaliger, *Et fidum Laërtiadæ genuere Syboten.* Scilicet quia apud Hom. Odyss. Eumæus subulcus, qui Græce συβώτης dicitur, natus est Ulyssi; ideo sic legendum vult apud Manilium. Quasi vero unum Eumæum bubulcum Ulyssi genuerint hyades, non alios bubulcos atque armentarios.

Hos generant hyades mores surgentibus astris.
Ultima lanigeri cum pars excluditur orbi,

procreant hæc studia, stellis illarum exorientibus. Denique quando ultimus gra-

commodiore emendandi ratione versum hiantem miserrimeque omnium laborantem sanare queant. Frustra vero hic Regiomontani requisiveris operam, qui vel in suo codice versum non legit, vel tam scabrum offendit atque corruptum, ut maluerit eum omittere, quam reddere non comptiorem. Et, si veteriores spectaveris libros, vix est, quod de ejus salute speres. In cod. quidem Gembl. Fayus hæc legit, quæ Barthius quoque suo ex Ms. prodidit, *Et fidunt veri dum g. booten.* Eodem vero Scaliger usus faventiore, hanc ibi invenit lectionem, quæ est in Lips. quoque, *Et fidunt nerciadu g. sybæten.* Bentleius tandem e Vossiano *vernadu* prodit, cetera silentio texit, sprevit. Membranæ Paris. lacuna defectum vocis indicantes, hæc scripta ferunt, *Et fidunt g. booten.* Editorum vett. piget referre conjecturas. Aldus, Pruknerus, Molinius, cum Romano, versum illum reddidere metro damnatum, vel sententiæ rationi adversum. Qualis est, quem cl. Fayus ex Junii Bitur. manu reddit, *Et fidum in terris alium g. booten.* Ne vero nos ἀσύμβολοι prorsus huc accessisse videamur, age, nostram quoque conjecturam proponamus, quæ tuo, B. L., æquiore judicio stabitque cadetve. Enimvero nobis facile persuademus, hunc versum, forte etiam præcedentem, e legitima Poëtæ familia non esse; sed vel e Firmici vel alterius cujusdam interpretis manu profectos. A qua opinione non dimovebimur, si quis fuerit codex, præter eum quo usus Regiomontanus, cui versus ille non legatur, qui citra sententiæ detrimentum abesse omnino potest. Quod si vero quid Noster ex abundanti ingenio adjecit, ad hanc fere sententiam verba putamus esse collineanda: *Et findunt, quem Nereides genuere, booten.* Ita namque præter hoc *quem*, quod omnino supplendum, omnia veteri scripturæ quam proxime accedunt. Sensum quoque illa pandunt non minus aptum quam facilem, si antecedentia verba, *immundosque greges agitant per sordida rura* acceperis de seditiosæ plebis seductoribus, de quibus ad continuandam allegoriam addit: *Et findunt*, id est, dividunt, segregant booten sive armenti custodem, qualis Arcturus ille, booten, inquam, quem Nereides, Nymphæ Gratiis similes, genuere vel formavere, id est, ducem vel principem optimum. Has autem Nymphas dictas esse *Hyadas*, de quibus modo agitur, diserte tradit Hesiodus, cujus verba ex ejusdem astronomicis recitat Tzetzes ad Ἔργ. β. pag. 92. et, satis tamen corrupte, Natal. Comes Mythol. IV. 7. pag. 326. νύμφαι Χαρίτεσσιν ὁμοῖαι Φαισύλη, ἠδὲ Κορωνὶς .... Ἃς Ὑάδας καλέουσιν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων. De Hyadum etymo plura, literatore non indigna, Gellius XIII. 9. tot.' *Stoeb.*—127 *H. g. H.* 'Interpunge: *H. g. H. mores. Surgentibus astris.*' Scal. —128 *Excluditur orbi.* 'Fortasse *orti*, non *orbi*. Utrunque probum.' *Idem.*

NOTÆ

127 *Surgentibus astris*] Ita interpungendum ex Gemb. et Rom. i. e. *surgentibus astris*, sup. illarum, pro surgentes, seu dum surgunt. Minus ergo bene Scaliger has voces jungit cum sequenti versu.

128 *Ultima lanigeri, &c.*] His 12. vss. posterioribus docet tandem cum ultimo arietis gradu exoriri Oleniam; quo sub sidere nascuntur nimia mentis trepidatione soliciti, ut Firmici verbis utar VIII. 6. et quorum corpus assiduus tremor semper impugnet; quique levibus commotionibus opprimantur, et levibus etiam nuntiis gravi timoris incursione quassantur. Nascuntur et qui res novas visendi cupiditate teneantur, i. e. ut ait Firmicus citatus, rerum omnium cupidi, et qui quodcumque novum dictum fuerit, id

Quæ totum ostendit terris, atque eruit undis ;
Olenie servans prægressos tollitur hædos,
E gelido stellata polo quæ dextera pars est,
Officio magni mater Jovis. Illa Tonanti
Nutrimenta dedit, pectusque implevit hiantis
Lacte suo, dedit et dignas ad fulmina vires.
Hinc timidæ mentes, tremebundaque corda creantur,
Suspensa in strepitus, levibusque obnoxia causis.

dus arietis emittitur terris, qui quidem gradus exhibet terris totum arietem, et extrahit totum ex aquis, tunc Olenie parens magni Jovis ex ministerio, custodiens hædos antecedentes, et micans stellis exsurgit e frigido polo, quæ pars est dextra. Illa autem præbuit fundamina potenti Jovi, et replevit suo lacte pectus illius patentis, præbuit et vires aptas ad fulmina. Sub hoc sidere pusillanimes et corda pavida generantur, quæ incerta hæreant in rebus dubiis, et quæ commoveantur parvis re-

—131 Vulg. *Et gelido.* 'Scribo *E gelido*, aut *Ex gelido.*' Scal. 'Libri *Et gelido*, unde Scaliger *E gelido.* Sed versus ineptus est et irreptitius.' *Bent.* 'Ita constanter libri omnes, *stellata*, i. e. micans, fulgens in regione septentrionali, *quæ dextera pars est*, scil. vultu1 ad septemtriones converso.' *Stoeb.*—133 Scal. Delph. et vulg. *Fundamenta d.* 'Nihil muto. Videndum tamen, an in archetypo fuerit, *Fidalimenta ;* unde *Fundamenta* factum. Hæc dubitatio ratione non caret. imo vera est. Nam ita legit Firmicus : 'Exoritur capra, quam fabulosi poëtæ alimenta volunt Jovi infantulo præbuisse.' Hæc subscribunt suspicioni nostræ.' *Scal.* 'Quis hic ferat *fundamenta*, quasi de arce, non de puero loqueretur? Repone, *illa Tonanti Nutrimenta.* Sic I. 373. 'Nobilis et mundi nutrito rege capella.' Unde et 'nutrix Jovis' mythologis dicitur. Virg. Æn. I. 179. 'Suscepitque ignem foliis, atque arida circum Nutrimenta dedit.'' *Bent.* 'Lege cum vetustis, *fundamenta*, nimirum vitæ, prima alimenta.' *Stoeb.*—135 'Gemb. *Hinc fidæ mentes.* Non probo.' *Scal.* —136 Vulg. et Delph. *Suspensa in trepidis.* 'Dele τὸ *in.*' Scal. *Trepidis* et *levibus* secum pugnant. *Trepidæ* enim res sunt periculosæ. Horat. Carm. III. 2. 3. 'et Parthos feroces Vexet eques metuendus hasta ; Vitamque sub divo et trepidis agat In rebus.' Vetusti tres, *suspensas trepidus ;* Voss. *suspensas trepitus.* Unde liquido corrigendum, *S. in strepitus, l. que o. c.* Id timido peculiare est, strepitu terreri : unde Virg. Georg. III. 79. 'Nec vanos horret strepitus.' Claudian. in IV. Honorii 280. 'qui talia curat, inanes Horrebit strepitus, nulla non anxius hora.'' *Bent.* 'Malim e libris

NOTÆ

impatienti cupiditate desiderent, ut semper nova quæque curiosa cupiditate sectentur, eaque intelligere studeant.

130 *Olenie*] Vel Olenia, capellæ sidus, I. 368. et II. 30.

Hædos] Vs. 102. et I. 377.

131 *Dextera pars*] Converso enim vultu ad septemtrionem capra exoritur ad dextram.

132 *Officio magni mater Jovis*] Sic I. 373. 'Mundi nutrito rege capella.' Sic II. 30.

133 *Nutrimenta dedit, &c.*] Sic I. 374. 'Cujus ab uberibus magnum ille ascendit olympum, Lacte fero crescens ad fulmina vimque tonandi.'

His tamen ingenita est visendi ignota cupido,
Ut nova per montes quærunt arbusta capellæ,
Semper et ulterius pascentes tendere gaudent.
Taurus, in aversos præceps cum tollitur artus,

bus. Cupiditas quoque visendi res incognitas est illis ingenitum studium, sicut capræ quæritant semper per colles novas arbores pascendas, et gestiunt depascentes progredi longius. Cum taurus deorsum tendens caput assurgit in exortus a poste-

scriptis pariter ac impressis, *in trepidis*, quod recte Bentleius reddit *periculosis*, ex Horat. III. Carm. 2. 3. *levibus obnoxia causis*] id est, vel levis quoque causæ anxia. Justa gradatio, a majoris momenti causis ad leviores.' *Stoeb.* —137 *His etiam ingenium v. i. c.* 'Ingenium cupido est his visendi ignota. An qui sciunt Latine hoc probabunt? Recte olim emendavimus, *His etiam ingenitur v. i. c.* Nascentibus ingenitur quoque cupido ignota visendi.' *Scal.* Delph. vulg. tuetur lect. 'Ita omnes præter Scal. qui legit *ingenitur*. Verum cur hæc immutatio? Recte enim oratio congruit, cupido visendi ignota est illis. *ingenium*, i. e. ingenitum studium, innata inclinatio, ut aiunt.' '*Ingenitur* a Scal. est, nimis antiquum et cascum. Gemb. *ingenium*, Lips. *ingeniem*, Voss. *ingenies*. Venet. *His tamen ingentem*. Repone, *His tamen ingenita est v. i. c.* Recte *tamen*, non *etiam*. *Quamquam* timidi et meticulosi sunt, *tamen* (quod mirum) visere cupiunt regiones ignotas.' *Bent.* 'Suspectam immerito Scaliger reddidit priscam lectionem, a Bentleio demum non Auctoris, sed suo ingenio aptatam: *His etiam ingenium v. i. c. ingenium* dicitur, quidquid cuique rei est naturale et quasi ingenitum. Itaque sic reddes verba, Ad horum quoque naturam pertinet cupido visendi ignota. Nihil in his absurdi. Nec *τὸ etiam* aliquid monstri habere nobis saltem, ita videtur uti Barthio Animadv. pag. 159.' *Stoeb.*—138 Scal. Delph. et vulg. *Ut nova per, montesque ruunt a. c.* 'Gembl. et textus Bonincontrii, *Ut n. per noctisque ruunt a. c.* Malim, *Ut n. per montes quærunt a. c.* Sed nihil mutandum. His significat eos, qui sub capra nascentur, fore ejuscemodi, ut quos *ῥέμβους* Græci vocant.' *Scal.* 'Abeat hinc odiosa et absurda collocatio, quam sic evolvunt, Ut capellæ ruunt per nova arbusta montesque. Recte conjecerat Scal. *U. n. p. montes quærunt a. c.* [et sic Reines.] 'Sed nihil,' inquit, 'mutandum.' Quæ hæc inconstantia? Quam timidus hic et superstitiosus, qui alias quid inausum relinquit?' *Bent.* 'Cod. Paris. et Regiom. ignotam hactenus optimamque lectionem servant his Auctoris ipsius verbis conceptam: *Ut n. pernoctesque ruunt a. c.* In cod. Bonon. eandem reperit Barth. nisi quod *per noctisque* legitur pro *pernoctes*, i. e. pernoctantes. Quod additur *que*, valet *etiam*. De notione vocis *ruunt* non erit nobis cum quoquam magnopere disceptandum. Falsi sunt omnes hactenus, quotquot eam acceperunt pro, festinanter eunt, discurrunt, vagantur. Inde absurda illa verborum collocatio, quam merito castigavit Bentleius. Quin potius hoc *ruere* accusativis, *arbusta nova* junctum agentis est, notatque *diruere*, quod revera capellæ faciunt cum pervadendo tum decerpendo et comedendo virgulta. Cf. Servium ad illa Virgilii Georg. I. 105. 'cumulosque ruit male pinguis arenæ.'' *Stoeb.*—140 Vulg.

NOTÆ

138 *Ut nova, &c.*] Rationem, ut vocant, conformitatis aliquam reddere conatur, quæ, quam impar sit, satis innotescit.

140 *Taurus, in aversos, &c.*] His 17. vss. scribit cum sexta tauri parte oriri pleiades, quibus ascendentibus nascantur vinolenti, luxuriosi, inter dapes et mensas petulantes, urbani scurræ, frontis nitidæ et cultus sui

Sexta parte sui certantes luce sorores
Pleiadas ducit: quibus aspirantibus, almam
In lucem eduntur Bacchi Venerisque sequaces:

rioribus in sexto gradu, tunc trahit in oras luminis pleiades, quæ luctantur ascendendo; quibus ascendentibus sectatores Bacchi et Veneris proferuntur in claras

T. in adversos præceps attollitur ortus. 'Legimus, *T. in aversos præceps ut tollitur ortus.* [et sic Delph.] Taurus oritur posteriore sui parte, hoc est, *τῇ ἀποτομῇ*. Ita Pleiades oriebantur tunc. Nam Vergiliarum sidus constituit *ἀποτομὴν ταύρου*, secundum veteres, quamvis posteriores hoc correxerint. Propterea dicitur aversus oriri, quod non *τῷ βουκράνῳ*, sed posteriore parte oriatur. Deinde præceps oritur, ut dicitur hic; quia nimirum *προνενευκὼς* situs est in zodiaco; quo nomine *πεπτηῶτα* dicit Aratus, ut et alibi monemus. Minus prudenter Vitruvius caudam illi attribuit. Unde enim cauda interciso? Sed habet auctores suos. Nam Calippus *κη΄ Ζυγῶνος* scribit, *τοῦ ταύρου κέρκος δύνει*. Item: *β΄ Ταυρῶνος: τοῦ ταύρου ἡ κέρκος ἐπιτέλλει*. et Nicander in cauda Tauri Pleiadas collocat: *ἀλλ' ὑπὸ ταύρου Ὁλκαίην ψαίρουσαι*.' Scal. 'Libri ceteri *præcepsque attollitur*. Voss. *præceps compellitur*. Quid vero est *aversos ortus*? Repone, *T. i. a. præceps cum tollitur artus*. *Aversos artus*, clunes scil. ut II. 99. 'aspice taurum Clunibus, et geminos pedibus, testudine cancrum Surgere.'' *Bent.*—141 Scal. Delph. et vulg. *lucis ad oras*. 'Quid est *certantes ad oras lucis?* Venet. *lucis odoras*, Gemb. et Lips. *lucis odores*. Repone cum Voss. *luce sorores Pleiadas ducit*. Pleiadas sorores certantes luce et forma. Sic I. 304. 'Septem illam stellæ certantes lumine signant.'' *Bent.* 'Nil dari melius potuerit, consentientibus præsertim optimis libris, Paris. Regiom. et quem Bentleius allegat, Vossiano. Reliqui vitiose, *odores* Lips. *lucis ad horas* Ald. et Prukn. in quibus corrigendis egregiam operam lusisse videtur cl. Burmann. ad Flacc. III. 48. quod enim ille corrigit, *ad oras*, dudum dederat Molin.' *Stoeb.*—143 Vulg. *In lucem educunt*. 'Lego, *eduntur*.' Scal. et sic Delph. 'Libri omnes, *educunt*. cujus gratia Barthius tentavit, *Bacchi Veneresque educunt sequaces suos.* Sed putamus impersonaliter positum hoc *educunt*, uti supra I. 631. 'Hos volucres fecere,' supple, artis magistri.'

NOTÆ

amatores, calamistrati, vulsi, resinati, lævigati, calvi, virtutis nomine morbum ambitionis jactantes; et qui ament et amare videri cupiant.

Aversos] Taurus enim a posterioribus exoritur, I. 264.

141 *Certantes*] Quasi obluctantes. Pleiades autem seorsim subobscuræ sunt stellæ; Cic. in Arat. 'Hæ tenues parvo labentes lumine lucent:' vel *certantes*, i. e. omnes simul conantes reddere lumen; namque ut ait Cicer. ibid. 'At magnum nomen signi clarumque vocatur.' Et German. in Arat. 'Nec faciles cerni, quod coëuntia plura Sidera communem ostendunt ex omnibus ignem.'

148 *Pleiadas ducit*] De his diximus fusius I. 378. ubi pleiades collocatas ostendimus in armo sinistro tauri, hyades vero in ejusdem fronte. Verum non ea videtur fuisse Manilii mens, qui pleiades oriri vult cum sexta tauri parte, hyadas vero cum vigesimo arietis gradu. Namque cum a posterioribus oriatur taurus, prius exoriri debent pleiades, quæ sunt in illius armo, quam hyades, quæ sunt in ejus fronte. Itaque alii alia in parte pleiades ponunt. Germanicus in Arat. ponit pleiades sub genua tauri: 'Poplite sub lævo tauri, certissima signa Pleiades subeunt.' Sic Servius in illud Virgil. Georg. I.

Perque dapes, mensamque super petulantia corda;
Et sale mordaci dulces quærentia risus. 145
Illis cura sui cultus, frontisque decoræ
Semper erit: tortos in fluctum ponere crines,

oras luminis; et mentes petulantes inter epulas et mensas, et quæ mordaci sale verborum quærunt facetos cachinnos. Iidem perpetuo habebunt curam sui cultus, et sui habitus, et nitidæ suæ faciei: scilicet componere capillos inflexos in undas,

Stoeb.—144 Vulg. *mensasque super.* 'Malo *mensaque.*' Scal. 'Libri omnes *mensasque super:* si singularis numerus placeat, *mensam* repone, non *mensæ.*' Bent. —146 Vulg. *sui vultus.* 'Magis placet lectio Gembl. *sui cultus.* nimirum φιλοκάλους, καὶ κομμωτὰς intelligit, tam illa, quam hac lectione.' *Scal.* Et sic Delph. 'Gemb. bene. Alii *vultus,* minus bene; addit enim Poëta *frontisque decoræ.*' Bent. 'Hanc lectionem codicis Gemblac. et fortasse Lips. suam facere non dubitavit Lud. Carrio Ant. Lect. II. 9. pr. Barthii vero nostrique libri, melior illa scriptorum et editorum pars, legunt *vultus.* Hoc magis placet ac alterum, in re præsenti. Cum enim *cultus* est ipsa cura vel studium quoddam in re vel persona colenda positum, otiosum profecto foret illud *cura,* quod additur huic *cultus.* Quæ autem Noster modo de corporis cultu, vel subsannando, tradit, ea quidem ad faciem vultumque referuntur. Quibus addere lubet Auson. Popmæ glossam, de notionis utriusque differentia, p. m. 141. qua oppido clare patebit, quam sit apposita *vultus cura* Poëtæ rationi. 'Facies,' inquit Glossator, 'est naturalis oris species, quæ eadem semper manet: Vultus est habitus faciei adscititius, qui pro motu animi et voluntatis mutatur:' ex quo longa aut lata facies, vultus lætus aut tristis dicitur. Cicero pro Cluent. 'Recordamini faciem, atque illos ejus fictos simultatosque vultus.' Tacit. XIII. 'Non ut hominum vultus, ita locorum facies mutantur.' Confer Nostrum infra vs. 483.' *Stoeb.*—147 Vulg. *tortosque in flexum p. c.*

NOTÆ

'Pleiades, Hyadesque,' &c. Sic Aratus. Nicander vero in cauda tauri collocat illas. Licet enim vulgo taurus posterioribus carere fingatur, huic tamen Nicander, Calippus, et Vitruvius caudam tribuunt. Bene autem cum sexto tauri gradu exoriri possunt pleiades, sive in armo, sive in poplite, sive in cauda tauri sitæ sint: at vix mente concipio hyades, quæ in fronte sunt tauri, posse exoriri cum vigesimo septimo arietis gradu, ut voluit Manilius supra vs. 118. siquidem prius exoriri deberent hyades, quam pleiades; quod tamen falsum esse constat. Nodus sane rescindendus potius quam solvendus.

143 *Bacchi*] Vini, IV. 204.

Venerisque] Libidinis, III. 655.

144 *Petulantia corda*] Quos nimiæ vinolentiæ deditos petulantia vitia extollunt, inquit Firmicus supra citat. VIII. 7.

145 *Sale mordaci, &c.*] Non mimarios notat, sed scurras urbanos, 'qui,' teste Firmico citato, 'falsi sermonis mordacibus dictis risus hominum assueverint concitare.' Sal enim hic usurpatur pro joco, urbanitate, dictisque ad risum facetis. Sic Cicero de Clar. Orat. 'P. Scipio omnes sale et facetiis superat.' Scilicet quia, ut ait Seneca 17. de Consol. ad Hel. 'Sicut sal suavitatem quandam cum mordacitate habet, ita etiam verborum joca.'

147 *In fluctum*] Gemb. bene. i. e. in undas; undantem comam geren-

Aut vinclis revocare comas, et vertice denso
Fingere, et appositis caput emutare capillis,
Pumicibusque cavis horrentia membra polire,
Atque odisse virum, sterilesque optare lacertos.

vel colligere crines nexibus, et aptare illos cacumine capitis condenso; et commutare caput alienis crinibus additis: et concavis pumicibus radere corporis artus pilosos, et odio habere marem videri, et cupere membra carentia pilis. Vestimenta mulie-

'Rectissime Gemb. *tortos in fluctum p. c.* Undantes crines calamistratos intelligit. recte, inquam. *In fluctum*. *κυριολογία*. vocabatur enim ἀπόχυμα. Canones nomine Clementis: *οὐκ ἔξεστί σοι τρέφειν τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς, καὶ ποιεῖν εἰς ἕν, ὅ ἐστι σπατάλιον, καὶ ἀπόχυμα, ἢ μεμερισμένην τηρεῖν.* Ibid. *inflexum ponere crines*. Hanc lectionem videtur agnoscere Firmicus: 'quorum inflexi crines torqueantur.' Nobis magis placuit Gembl. lectio.' *Scal.* Et sic Delph. 'Cod. Paris. et Regiom. *tortosque inflexum*. Paris. *in flexum*. Hoc Turnebo probatum, Adv. pag. 797. Vulgatam Scaligeri secutus est Salmas. Exerc. Plin. p. 535. pr. et 637. qui secus ac ille explicat, de crinibus in morem fluctuum undantium tortis et inflexis, non autem de effusis et liberis, nullaque vitta ligatis, quorum habitus Græcis dicitur ἀπόχυμα.' *Stoeb.*—148 Vulg. *Aut undis r.* 'Ineptissime. Demissi crines sunt undantes, et in fluctum positi; quomodo contrario modo, hoc est, revocati, possunt esse undantes? Non satis absurditas manifesta? Non solum in hoc auctore, sed in omnibus manuscriptis non raro hæc commutant, et alternant *vincla*, *unda*. ut jam vidimus supra. Sic infra 'Sanguineis vinclis' pro *undis* editum fuerat. Profecto et hic quoque legendum *vinclis*. Tæniis aut vittis crines revocare tam effeminatorum, quam in fluctum ponere. Utrunque enim feminæ faciunt. Totus vero locus reliquus ex Gembl. ita concipiendus: *tortos in fluctum p. crines, Aut vinclis r. comas*. Firmicus: *quorum inflexi crines torqueantur semper in ostro*. id est, purpureis vinclis, aut vittis. Nam et διαδήματα *vincla* vocavit Seneca Thyeste: 'Imposita capiti vincla venerando gere.' quæ valde favent emendationi nostræ. Ibid. *Aut undis r.*] Quispiam etiam suspicari posset legendum *Aut vinnis revocare*. Nam *vinnus* cincinnus dicebatur, auctore Isidoro. Prior tamen lectio vera est.' *Scal.* 'Dicti libri, quibus hic accedunt Lips. Ald. Prukn. et Molin. *Aut undis revocare* (,) *et rursus, &c. undis* scil. odoratis seu unguentis, de quibus Junius in Comment. de Coma c. 7.' *Stoeb.*—149 '*caput emutare*] Dictum pro *immutare*. usus voce Quinctil. Just. VIII. 2. 'Quidam, emutatis in perversum dictis, de figuris idem vitium consequuntur.' Non respexit forte hunc locum Barthius, qui illud *emutare* tanquam plebeium ac nimis vile verbum repudiat, suamque, frustra tamen, nobis conjecturam commen-

NOTÆ

tes. Alii, *in flexum*.

150 *Pumicibusque cavis, &c.*] Notat eos, qui, ut ait Firmicus VIII. 7. demtis pilis corpus in fœminei corporis similitudinem transferant. Vetus quippe consuetudo fuit apud Romanos, ut pilos corporis resina aut pice vellerent, aut pumice raderent. Martial. Epig. III. Contra quos Sen. VII. Quæst. Natur. 'Quicquid est boni moris extinguimus lævitate et politura corporum: muliebres munditias antecessimus, colores meretricios matronis quidem non induendos viri sumimus: tenero et molli gressu suspendimus gradum; non ambulamus, sed incedimus.'

151 *Atque odisse virum*] Firm. citat. 'pœnitet eos, quod viri nati sint.'

Fœmineæ vestes; nec in usum tegmina plantis,
Sed speciem; fractique placent ad mollia gressus.
Naturæ pudet, atque habitat sub pectore cæca
Ambitio, et morbum virtutis nomine jactant.
Semper amare parum est: cupient et amare videri.
Jam vero geminis fraterna ferentibus astra

bria placent iis; nec habent velamina pedibus, sed delectantur specie, et incessu effícto ad teneros gradus. Pœnitet eos sui sexus; et superbia inest sub imo corde, et ostentant hunc animi morbum sub titulo virtutis. Parva res est illis perpetuo amore duci, volunt etiam videri amare. Nunc autem geminis attollentibus in cæ-

dat, *caput emptum.* Hæccine magis placeant?' *Idem.*—152. 153 Scal. Delph. et vulg. *Feminea vestes: nec insunt t. p. Sed species; fictique p. ad m. g.* 'Locus depravatus. Vide an legendum præstet: *F. v. nec non sunt t. p.* ἀπὸ κοινοῦ, *feminea.* Constat hanc Poëtæ mentem fuisse, et ita Stat. Theb. VII. 'Brachiaque in manicis et pictæ vincula plantæ.'' *Scal.* 'Locus mendosus. Scal. conjiciebat, *necnon sunt;* Huet. *nec desunt.* Utraque conjectura eodem recidit; utraque a sententia aberrat. Quid enim? an vitio vertendum, *tegmina plantis esse?* an tum nudis pedibus erant viri; soli cinædi calceis utebantur? Repone, et distingue, *Feminea vestes; nec in usum t. p. Sed speciem; fractique p. in m. g.* Pro *species,* vetusti quattuor *specie.* Tegmina sunt plantis non in usum, sed speciem. Ita II. 822. 'Effectu minor in speciem, sed major in usum.' Porro *fracti* lege, non *ficti.* Petronius: 'Scorta placent, fractique enervi corpore gressus.' D. Hieronymus: 'Qui gradum mollius incedendo frangunt.' Vide Heins. ad Claud. in Eutrop. I. 262. et nos ad Horat. Carm. III. 6, 22.' *Bent.* 'Plurimi nostrorum librorum, *Sed species fictique plac.* Huc omnino pertinent illa Senecæ verba, quibus effeminatos suorum civium mores germanum in modum perstringit: 'adhuc quidquid est boni moris, extinguimus lævitate et politura corporum: muliebres munditias antecessimus (leg. forte *arcessimus*), colores meretricios matronis quidem non induendos, viri sumimus: tenero et molli gressu suspendimus gradus; non ambulamus, sed incedimus.' Nat. Quæst. VII. 31. fin.' *Stoeb.*—154 Scal. Delph. et vulg. *cæco.* 'Immo *cæca.*' Bent. 'Significantius *cæco pectore,* quod libri omnes ferunt.' *Stoeb.*—155 Vulg. *et m. v. n. vitant.* 'Immo contrarium Gembl. prodidit vitium: *Et m. v. n. jactant.* Accedit metaphrastes Firmicus: 'Hos tamen sic ambitio solicitat: quem morbum sic appetunt, ut hinc putent virtutem sibi, et maximum gaudium felicitatis accedere.' Satis castigatur vitium vulgatæ lectionis. Quod *morbus* in malam partem accipiatur, nemo nescit. Claudian. 'Quod turpem pateris jam cano podice morbum.' Firmicus refert ad ambitionem: neque illud male.' *Scal.* '*Jactant*] Hoc cod. Paris. in margine, et Carrio A. L. II. 9. Scriptum est et vulgatum veteribus *vitant,* pro quo malim, cum Turnebo, *velant.* Quamvis et alterum ferri possit, cum hac interpretatione: *Vitant morbum,* hoc est, fugiunt ne quis malum morbum dicere possit, dum pro re bona laudant, et virtutis illi nomen imponunt. Notatu sunt digna in hanc sententiam verba Senecæ Nat. Quæst. I. 16. 'Est aliqua etiam prostitutis modestia: et illa corpora, publico objecta ludibrio, aliquid quo infelix patientia lateat obtendunt: adeo quodam modo lupanar quoque vere-

NOTÆ

157 *Jam vero geminis, &c.*] His 17. vss. scribit cum septimo gradu geminorum oriri leporem, quo sub sidere nati 'tanta erunt corporis levi-

In cœlum, summoque natantibus æquore ponti,
Septima pars leporem tollit: quo sidere natis
Vix alas natura negat volucrumque meatus;
Tantus erit per membra vigor referentia ventos.
Ille prius victor stadio, quam missus, abibit:
Ille cito motu rigidos eludere cæstus;
Nunc exire levis missas, nunc mittere palmas:

lum germanas suas stellas, et innatantibus supra supremum campum æquoris, septimus eorum gradus emittit leporem, quo sub astro nascentibus vix natura denegat pennas et celeres cursus, adeo magnum robur inerit eorum artubus imitantibus ventos. Namque alter exibit triumphator e curriculo, antequam emittatur in illud: alter vero agili cursu poterit declinare cæstus feros sibi illatos: modo celer poterit evitare manus sibi inflictas, modo infligere aliis: alius poterit remittere agili pede

candum est.'' *Stoeb.*—159 Vulg. *leporemque tulit.* ' Emenda ex Gemb. *tollit.* Ita etiam nostra editio prior.' *Scal.*—160 Scal. Delph. et vulg. *volucresque.* ' Libri omnes *volucrisque.* Repone, *volucrumque m.* *Meatus* proprie sunt siderum, piscium, avium. Plin. Hist. XI. 140. ' Piscium meatus gubernaculi modo regunt caudæ.' Idem, X. 54. ' Aves solæ vario meatu feruntur.'' *Bent.*—163 Vulg. *Ille cito monitus.* 'Scribe *monitu*, i. e. animadversione; quod cito animadvertit imminentes ictus cestuum et declinat. Sed valde placebat prior conjectura, *cito motu*, ut agilitas designetur.' *Scal.* Delph. *motu.* Vid. not. inf. ' Vetusti tres, *cito moritur;* Voss. *cito motu:* ut et Scal. conjecerat. Recte. Virg. de Darete et Entello, Æn. v. 430. ' Ille pedum melior motu, fretusque juventa; Hic membris et mole valens.' Stat. Theb. VI. 791. in re simili: ' motu Spartanus acuto Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes.'' *Bent.*—164 Vulg. *Nunc e. l. missos n. m. palmis.* ' Recte Gemb. *Nunc e. l.*

NOTÆ

tate, ut cum currere cœperint, velocitate sua agitati, aves superare videantur.' Nascuntur et sub hoc sidere stadiodromi, i. e. qui stadio certent cursibus: pyctomachi, i. e. qui pugilatu agiles decertent: pililudii, i. e. qui pilotello ludant, pedibusque pariter ac manibus pilas reddant: vigiles, diligentes, et qui se variis ludis exerceant, quos omnes his vers. complectitur Plautus in Bacch. 'Illi cursu luctando, hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo se exercebant magis,' &c.

162 *Ille prius victor stadio, &c.*] Hoc vs. notat stadiodromos. Stadium autem locus erat CXX. pass. longus, in quo athletæ cursu certabant, sic dictus ἀπὸ τῆς στάσεως, *a statione.* Hercules quippe par loci spatium uno spiritu emensus Olympici stadii curriculum clarissimum fecit. Plutarch.

163 *Ille cito motu, &c.*] Notat enim Poëta pyctomachos, qui tanta corporis levitate et agilitate valerent, ut inter certandum adversariorum palmas ac cæstus effugerent. Virgil. Æn. v. Scaliger *monitu*, aut *monitus.* Quasi animadvertens cito ictus ac cæstus. Ejusmodi autem pugiles nudi, sed oleo uncti, certabant cæstu, quod genus erat clavæ, cui pilæ plumbeæ loris bubulcis appenderentur. Virg. Æn. v.

164 *Exire*] Evitare, eludere, declinare, &c. Virg. Æn. v.

Ille pilam celeri fugientem reddere planta,
Et pedibus pensare manus, et ludere folle,
Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis:
Ille potens turba perfundere membra pilarum,

globulum volitantem, et agilitate pedum compensare manus, et saliendo ludere, et agilibus brachiis ingeminare celeres ictus: alius poterit circumspergere multitudi-

missas, nunc mittere, palmas.' Scal. et sic Delph.—166 Scal. Delph. et vulg. *ludere saltu.* 'Habes apud Hom. pila ludentes saltare, et pedibus pilam reddere: quod hic dicitur 'ludere saltu.' Nam inepte in textu Bonincontrii legitur, *ludere fulcro;* quod ipse commentus est.' *Scal.* 'In priore editione Scal. vs. 167. subjunxerat vs. 164. idem postea præcepit Huet. In secunda Scal. tacuit. Recte. *Cito* enim *motu*, et uno tantum vs. interveniente *citos ictus*, non satis venuste. Moverat viros egregios illud *saltu;* quod ad alium prorsus ludum pertinet. Sed veteres libri *ludere fulto*, non *saltu:* Voss. vero *fulco*. Repone, *ludere folle*. *Follis* sæpe Martiali memoratus, ut XIV. 45. 'Ite procul juvenes, mitis mihi convenit ætas: Folle decet pueros ludere, folle senes.'' *Bent.* 'Nostri, et quos recenset Barth. Gembl. Ms. cum vulgata Bononiensi, *saltu*, quod ut restituamus, seqq. monent.' *Stoeb.*—168 Vulg. *Ille p. turbam, p. certa p.* 'Repone ex Gembl. *membra pilarum.* Ille potens fundere per membra turbam pilarum. Correptas utraque manu pilas, quot poterat, a tergo altera manu capiebat, quas ab ante altera projecerat: contra ab ante capiebat, quas a tergo projecerat: et ita per totum corpus pilis ludebat, tanquam duo essent, qui datatim pila luderent. Hoc est, quod dicit, per membra fundere

NOTÆ

165 *Ille pilam, &c.*] His 3. vss. notat pililudios, et antiquum pila ludendi genus. Quadruplex autem pilæ ludus fuit: trigonalis, paganica, follis, harpastum. Trigonalis in Trigone agebatur, qui locus fuit in thermis a trigona figura sic dictus. Quo de ludo Martial. II. 12. et 14. Paganica a pagis seu villis sic dicitur, quo pilæ ludo utebantur rustici. Ea autem pila crassior laxiorque erat, pluma plena, nec ad usum adeo agilis. Martial. XIV. 45. Follis genus est pilæ ex aluta vento inflata. Martial. XIV. 47. 'Ite procul juvenes, mitis mihi convenit ætas: Folle decet pueros ludere, folle senes.' Scilicet et lentius fertur, et tardius descendit, et magis resilit. Gallice, *un ballon*. Denique harpastum genus est pilæ grandioris, quæ non repercutitur, sed quam multi hinc inde in duas partes divisi conantur arripere, et extra certos limites transmittere: quod ludi genus laboriosum est. Martial. XIV. 48. Itaque per voces 'reddere pilam' notat primum pilæ genus: per 'pedibus pensare manus,' secundum; per 'ludere saltu,' tertium: per 'mobilibusque citos glomerare ictus,' &c. quartum.

166 *Pedibus pensare manus*] Vel efficere ut agilitate pedum fugientem pilam assequatur; vel pro manibus uti pedibus inter excipiendam pilam.

167 *Mobilibusque citos, &c.*] Sic de eodem pilæ genere Martialis XIV. 46. 'Si me mobilibus scis expulsare sinistris,' &c.

168 *Ille potens, &c.*] His 4. vss. aliud pilæ genus notat. Scilicet cum quis mira dexteritate correptas utraque manu pilas, quot poterat, illas una manu post tergum projiciebat, quas excipiebat altera: et vicissim

Per totumque vagas corpus disponere palmas,
Ut teneat tantos orbes, sibique ipse reludat,
Et velut edoctos jubeat volitare per ipsum.
Invigilant curis: somnos industria vincit:

nem globulorum per artus suos, et agitare manus huc et illuc circa totum suum corpus, ut sustineat tot globos, et sibi ipse datatim reludat, et faciat illos quasi bene edoctos volare circa ipsum. Vigilat etiam inter dormiendum: solertia ejus superat

turbam pilarum: et quia per totum corpus ludebat, propterea dicit: *Per totumque vagas corpus disponere palmas:* et se sibi ludere, et sibi reludere. Hoc audio hodie Turcarum pililudios dexteritate mira facere, quod hic innuit Manilius. Hi sunt, quos vocabant pililudios. Non enim intelligit sphæristas.' *Scal.* Et sic Delph. 'Barthii *crate* ingratum est, quippe ineptum huic loco maxime ob verbum *perfundere.* Præferam *rore.* Ros pilarum, i. e. crebræ pilæ, continuus et densus pilarum jactus.' *Reines.* 'Quid est *turbam perfundere membra?* Sic scil. resolvunt, fundere turbam per membra. Puderet Auctorem talis auxilii. Repone ex vetustis omnibus, *Ille p. turba p. m. p.* Perfundere membra turba pilarum.' *Bent.* 'Mavult cl. Barthius pag. 162. *crate p.* nullius codicis fide vel auctoritate. Illi *certa p.* ferunt, uti Paris. Regiom. Ald. et Prukn. *cuncta p.* Molin. qui etiam legit *turba*, ceteri *turbam.* Versum sic puto constituendum: *Ille p. turbam perfundere certa p.* Alius, inquit, poterit fundere per turbam pilas certas, non vagas, sed certo tenore directas: *certa pilarum* Attica est elegantia dictum. Similiter Apuleius Metam. I. 'Postquam ardua montium, et lubrica vallium, et roscida cespitum, et glebosa camporum emersi.' Sic Ephes. VI. 12. τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας sunt *malitiæ spirituales.*' Stoeb.—169 Vulg. *plantas.* 'Gembl. *palmas*, non *plantas*, et recte. Valde differunt qui pila ludunt et qui pililudii Firmico dicuntur. Pililudios jam descripsit. Pila ludentes, sunt σφαιρισταὶ, qui pila datatim ludunt, quos pilicrepos vocat L. Seneca.' *Scal.*—170 Vulg. *recludat.* 'Repone *reludat*, ex Gembl. Nam pilas per totum corpus jacit et recipit, tanquam sibi ludat datatim, et reludat. Ego antea hunc locum non capiebam. Non erat spes intelligendi sine ope codicis. Nunc luce clarior.' *Scal.*—172 Scal. Delph. et vulg. *Invigilat somnis: curas i. v.* et mox 173. pro *exercent*, *exercet.* '' *Invigilat somnis,*' inquit Huet. 'qui lepores apertis oculis dormire solent.' Ergone *invigilat somnis* idem erit quod vigilat in somnis. Quis hoc ferat? Quid porro est *industria vincit curas?* Auget certe, non vincit. Repone, mutato verborum ordine, *Invigilant curis: somnos i. v. O. p. v. exercent d. l. Invigilant, exercent*, nati scil. hoc sidere vs. 159. *Invigilant curis*, ut Silius X. 330. 'Sed mens invigilat curis, noctisque quietem Ferre nequit. Stimulat dona inter tanta Deorum. Hortatur nondum portas intrasse Quirini.' ubi obiter in doctiss. Drakenborchii gratiam locum conclamatum sic emendo, *st. d. i. t. Deorum Corda pudor, n. p. i. Q. Vincit* autem *somnos*, hoc est, pellit; ut Ovid. Met. I. 685. 'Ille tamen pugnat molles evincere somnos.' Et ea ratio est, cur otia sua non somno et ignavia transigunt, sed per dulces lusus exercent.

NOTÆ

altera manu rejiciebat post frontem, alteraque excipiebat, atque ita sibi ipse ludebat et reludebat. Cujusmodi pililudios, ætate sua apud Turcas fuisse scribit hic Scaliger.

170 *Tantos*] I. e. vel tot, vel tam diuturnos aut magnos gyros, a tergo in frontem, et a fronte in tergum, quasi in continuos orbes agitando manus.

Otia per varios exercent dulcia lusus.
Nunc cancro vicina canam, cui parte sinistra
Consurgunt jugulæ: quibus aspirantibus orti
Te, Meleagre, colunt flammis absentibus ustum,

omnes curas: agit jucundam vitæ quietem per diversas exercitationes. Jam vero cantabo sidera proxima cancro, cum quo ex parte læva jugulæ attolluntur, quibus suffragantibus nati amant te, o Meleagre, qui combustus ignibus latentibus periisti,

Quia lepus patentibus oculis dormire creditur, ideo vigilantes, industrios, et in otio etiam exercitos creat.' *Bent.* 'Constans est et proba librorum veterum lectio: *Invigilat somnis: curas i. v. Invigilat somnis* dictum pro, vigilat in somnis, scil. ipsius industria; quæ ne in somnis quidem cessat præstitutæ rei incumbere. Plane sic Statius 'curam,' ait, 'invigilare quiete' Theb. VIII. 623. *curas industria vincit*] Eadem omnium, quæ solicitum athletam tenent curarum uti maxima est, ita effectu quoque potentissima.' *Stoeb.*—173 'Qui modo dedere libri *Invigilat,* iidem hoc loci legunt *exercet*, quod non mutandum.' *Idem.*—176 Scal. et vulg. *habitantibus.* 'Leg. *latitantibus.* Conjecto enim

NOTÆ

174 *Nunc cancro vicina canam, &c.*] His 23. vss. docet cum primis cancri partibus exoriri jugulas, quibus aspirantibus nascuntur venatores et piscatores.

175 *Jugulæ*] Aselli cancri. Hygin. Poët. Astron. II. 'In cancri deformationis parte sunt quædam stellæ, quæ asini appellantur a Libero in testa cancri duabus stellis figurati.' Fabulantur autem Liberum patrem a Junone in furorem actum fugisse ad templum Jovis Dodonæi petiturum, qua ratione ad sanam mentem redire posset. Sed cum ad paludem quandam pervenisset, nec eam pedes transire posset, de duobus asinis, quos invenit, alterum ascendit, quo transvectus paludem trajecit. Cujus beneficii memor ambo asellos inter astra retulit. Addunt alii huic asino, quo vectus fuerat Liber, vocem humanam fuisse datam: sed cum is cum Priapo Deo ausus esset contendere, ab eo fuit victus et interfectus. Cujus mortem deflens Liber ejus formam inter astra supra cancrum collocavit. Eratosthenes rem aliter commentus est. Scribit enim, quo tempore cum gigantibus pugnaverunt Dii, horum nonnullos, puta Liberum patrem, Vulcanum, Satyros, et Silenos asinis vectos adversus gigantas venisse: cum ad hostes accessissent, asinos metu perterritos edidisse clamorem, quo percussi gigantes fugam arripuerint. Cujus rei causa Dii asellos inter sidera collocarunt. Sunt autem qui per *jugulas* intelligunt orionem. Namque ex Varrone et Scholiaste in Germanicum 'Jugula signum est cœleste, quem oriona vocant, sic dictus quod sit armatus ut gladius stellarum luce terribilis et clarissimus.' Verum Manilius supra vs. 57. dixit orionem oriri cum decima arietis parte. Quomodo ergo jam eundem oriri diceret cum prima cancri parte?

176 *Meleagre*] Meleagrus, vel Meleager, Œnei Calydoniæ regis filius fuit ex Althæa Thestii filia. Quo nato parens sibi visa est vidisse tres Parcas, quæ cum ardenti stipite æqualem puero vitam assignarent; quibus recedentibus extinctum stipitem servavit Althæa. Ovid. Metam. VIII. Adultus autem Meleagrus, collecta

Reddentemque tuæ post mortem mutua matri;
Cujus et ante necem paulatim vita sepulta est:

et qui per interitum tuum retulisti officia parenti tuæ; et cujus vita identidem fuit

---

in ignem torre seu titione ardente, qui nato Meleagro in regia Œnei adparuerat, ab Althæa matre, interiit. Hyginus fab. 171. 174. 239. 249.' *Reines.* Et sic Delph. 'Scriptio isthæc est a Reines. cum libri omnes habeant *habitantibus*, hoc est, *ἐνοικοῦσι*: *intestinis.*' Huet. 'Quomodo *habitantibus flammis?* an ut I. 132. 'flammæque micantes Quæ mundi fecere oculos, habitantque per omne Corpus, et in cælo vibrantia fulmina fingunt?' hoc sensu Meleager flammas sibi ingenitas, instar Caci, haberet: nec ab iis ustus, sed tutus esset. Probat tamen Huetius *habitantibus*; Reines. substituit *latitantibus*. Uterque frustra. Codex Vossianus, *flammis habentibus*. Unde certa fit Gronovii conjectura Observ. II. 11. *absentibus*, quam ille ex Ovidii Metam. VIII. 515. deducit, 'Inscius atque absens flamma Meleagros in illa Uritur.' Clarius petiisse potuit ex ejusdem Ibide, versu 603. 'Natus ut Althææ flammis absentibus arsit:' aut Fast. V. 305. 'Respice Thestiaden: flammis absentibus arsit:' Remed. versu 721. 'Thestias absentem succendit stipite natum:' vel ex Propertii III. 21. 31. 'Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes, Exitium nato matre movente suo.'' *Bent.* 'Libri scripti ac editi principes legunt *habitantibus*, quod Nostro fere idem ac *latitantibus*, unde factum, ut quidam viri docti hoc *latitabat* substituere vellent huic *habitabat* I. 75. 'Tumque in desertis habitabat montibus aurum.'' *Stoeb.*—177 Scal. Delph. et vulg. *per mortem munera matri.* 'Legam *mutua.* Patiebatur enim Althæa idem quod filio fecerat.' *Reines.* '*Reddentem munera*, hoc est, aiunt, vitam, animam: scilicet ex illis Ovidii Met. VIII. 502. ubi mater deliberans sic secum loquitur, 'vixisti munere nostro, Nunc merito moriere tuo: cape præmia facti: Bisque datam, primum partu, mox stipite rapto, Redde animam.' Quæramus aliud melius. Ingeniose Reines. *mutua* pro *munera*: tu adde *post* pro *per*, et repone *post mortem mutua m. Reddentem mutua*, reddentem vices, tuæ matri post tuam mortem. Quippe illa, sera pœnitentia, vel ut quidam narrant, mærore contabuit, vel ut alii et Naso ibidem, gladio se transegit; Met. VIII. 530. 'Nam de matre manus, diri sibi conscia facti, Exegit pœnas, acto per viscera ferro.'' *Bent.*—178 'Etiam hunc versum miris modis sollicitant. Gronovius de matre accipit, et sic interpolat, *Cujus et a. n. cum gnato v. sepulta est.* Reinesius itidem de matre, et substituit, *Illius a. n. paulatim v. secuta est.* Nos de Meleagro ipso interpretamur; nec ex verbis quicquam movemus. Vita paulatim extincta est,

NOTÆ

juvenum manu, Calydonium aprum agros vastantem jussu Dianæ Œneo missum interfecit: caput apri dedit Atalantæ filiæ Jasii regis Argivorum, quæ prima vulneraverat aprum. Quod ægre ferentes Plexippus et Toxeus Althææ fratres, caput apri Atalantæ eripere conati sunt. Qua injuria indignatus Meleager illos interfecit, Atalantamque duxit in uxorem. Althæa autem, nuntiata fratrum nece, fatalem prædictum stipitem iterum accendit, quo tandem exhausto et exusto Meleager quoque consumtis intestinis interiit. Ovid. ibid.

177 *Reddentemque tuæ, &c.*] Scilicet Meleagro quidem officia præstiterat mater, dum stipitem a Parcis accensum extinxerat: sed eadem munera reddidit matri Meleager, dum extinctus est per eundem stipitem, quem illa fratrum nece indignata in ignem conjecit, quo combusto extinctus est Meleager. Ovid. ibid.

Atque Atlanteos conatum ferre labores:
Et Calydonea bellantem rupe puellam,
Vincentemque viros; et, quam potuisse videre

extincta ante mortem, et qui tentasti probare facta Atalantea, et virginem certantem in monte Calydoniæ, et superantem viros, et quam potuisse cerni dejicientem humi

etiam ante mortem: cum ceteri heroës semel simulque morerentur. Ovidius ibidem de fatali torre et Meleagro, Met. VIII. 524. 'simul est extinctus uterque, Inque leves abiit paulatim spiritus auras.' 'Vita sepulta est,' ut Lucretius III. 1060. 'Tu vero dubitabis et indignabere obire, Mortua cui vita est prope jam vivo atque videnti.'' *Idem.*—179 Scal. Delph. et vulg. *Atalanteos.* 'Versiculum hunc, qui in omnibus membranis hunc locum sortitus est, removit Scaliger supra versum 177. idque jure, si *Atalanteos* hic admittatur: nusquam enim alias collocari potest. Sed videamus, quo tibicine fulciatur ea lectio. Quinam, quæso, sunt isti *Atalantei labores?* Venatus, et nihil aliud. Anne hi tanti sunt, ut eos *conatus ferre* dicatur heroum post Herculem princeps? Gembl. *Athlanteos*, Lips. *Adlanteos.* Repone, *Atlanteos.* De Hercule accipe, qui Atlante fesso cælum humeris sustinuit, dum ille paulum respiraret. Nam et Hercules venator; nec monstra solum, sed feras in mensam domuit. Claudianus IV. Honorii, 530. 'Scis quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas Armenius, refugo quæ sit fiducia Partho. Sic Amphioniæ pulcher sudore palestræ Alcides pharetras Dircæaque tela solebat Prætentare feris; olim domitura gigantas, Et pacem latura polo: semperque cruentus Ibat, et Alcmenæ prædam referebat ovanti.'' *Bent.*—180 Vulg. *Calydoniaca.* Correxit Scal. ex Gemb.—181. 182 Scal. Delph. et vulg. *e. q. p. videri V. m. e. sternentem v. p.* 'Gemb. vitiose habet *Virgine natus e.* Malim *primos.* Neque verisimile est aliter scripsisse Manilium.' *Scal.* 'Hæc mendosa sunt, in quibus hæsit aqua viro magno. Vossianus *videre;* quod et vidit Gronovii perspicacia. Repone, *Videre V. majus erat, stringentem v. primo. Quam* feram, belluam (vel si mavis *quem* aprum, vel *quod* monstrum) etiam videre et contueri, supra virginis animos erat. Sic infra, versu 611. de ceto bellua; 'Tunc quoque terribilis, nec virginis ore videnda.' Ceterum ex historia *stringentem* lege, non *sternentem.* Ovid. Met. VIII. 380. 'celerem Tegeæa sagittam Imposuit nervo, sinuatoque expulit arcu. Fixa sub aure

NOTÆ

179 *Atlanteos* [*Atalanteos*] *conatum ferre labores*] I. e. probare ac tueri virginis Atalantæ factum, quæ prima vulneraverat aprum, et cui in laboris præmium caput apri ipse dederat; quam nec bellantem ita, nec præmio donatam, fratres ejus ferre potuerant. Ovid. ibid.

180 *Calydonea . . . rupe*] Juxta Calydonem Ætolorum civitatem, in qua regnavit Oëneus, vicina sylva fuit, in qua ferox ille aper, quem miserat Diana in excidium illius regionis, indignata quod is ceteris Diis decimas frugum persolvisset, nec sibi quicquam votum esset, percussus fuit primus ab Atalanta, et a Meleagro tandem interfectus. Ovid. ibid.

Puellam] Atalantam, quam Meleager in uxorem duxit. Duplex enim Atalanta fuit: altera Schœnei regis insulæ Scyri in Ægæo mari filia, quam duxit Hippomenes; altera Jasii Argivorum regis filia, quæ Meleagro nupsit.

181 *Vincentemque viros*] Nimirum juvenes illos, qui ad aprum in sylva Calydoniaca occidendum convenerant.

Virgine majus erat, stringentem vulnere primo:
Quaque erat Actæon sylvis imitandus, et ante
Quam canibus nova præda fuit. Ducuntur et ipsi
Retibus, et claudunt vastos formidine montes,
Mendacesque parant foveas, laqueosque tenaces,
Currentesque feras pedicarum compede nectunt,
Aut canibus ferrove necant, prædasque reportant.
Sunt quibus in pontum studium est, cepisse natantum

feras primo ictu erat supra vires puellæ; et quam Actæon debuerat imitari, etiam priusquam jacuit nova præda suis canibus. Similiter nati sub hoc sidere delectantur laqueis, et circumsepiunt agros terrore mortis, et præparant fallaces fossas et retinentia retia, et implicant vinculis laqueorum feras fugientes, vel interficiunt illas canibus aut ferro, et referunt exuvias. Alii sunt etiam, qui amant comprehendisse va-

feri summum destringit arundo Corpus, et exiguo rubefecit sanguine setas.'' *Bent.* 'Vs. 177. ad 182. Hos versus curatius excusserunt viri docti, Barth. pag. 206. Turneb. pag. 797. Gronov. Observ. pag. 292. sq. D'Orville ad Chariton. pag. 544. quos, si tanti videbitur, evolve. Nobis vero tricis hisce immorari non licet, quibus difficiliora restant enodanda.' *Stoeb.*—183 Delph. et vulg. *Quamque e. A. s. imitandus.* 'Τὸ *imitandus* est nulli rei. Scribo *mirandus*, i. e. tunc cum formidolosus esset silvis: nisi forte quis malit *metuendus*, quod fortasse melius.' *Scal.* 'Gronovius *Quaque erit;* et distinctiones mutat. Repone, *Quaque e. A. s. imitandus.* Sententia totius loci est, colunt Meleagrum, Herculem, Atalantam; quin et Actæonem, quatenus erat imitandus; antequam scilicet in cervum transformatus suis ipse canibus præda fuit.' *Bent.*—185 Scal. Delph. et vulg. *c. campos f. mortis.* 'Merito illud *mortis* displicuit Huetio; qui *pennæ*, vel simile quid malebat. Sed Venet. habet *mentes.* Lips. et Voss. *montes.* Repone, *et c. vastos f. montes. Formidine*, metu, terrore absolute pro linea et rubra penna.' *Bent.* 'Cod. Lips. ab altera manu, *mortis*, quod nostri diserte ferunt. Neque ulli dubitamus, hæc ita Nostrum dedisse, *Et c. campos f. mortis.* Sensus: Pedicis, retibus, canibus, velis etiam circumquaque distentis ita clausos tenent agros, ut quocumque se vertant, feræ mortem incurrere sibi videantur. Dicitur autem formido ab effectu, contextus variarum plumarum, quo feræ, præsertim cervi, terrentur et in retia adiguntur. Virgil. III. Georg. 373. Æneid. XII. 750. Confer. omnino Vlit. ad Gratii Cyneg. vs. 89.' *Stoeb.*—189 Scal. Delph. et vulg. *ponto.* 'Immo repone *pontum;* ut IV. 252. 'Addis et in vestes studium mercemque fugacem;' et IV. 274. 'His erit in pontum studium.'' *Bent.* Ibid. Scal. Delph. et vulg. *cepisse ferarum D. f.* Quis cre-

NOTÆ

183 *Quaque erat Actæon imitandus*] Quippe quæ adeo strenua venatrix fuerit, ut Actæon ipse venationis peritissimus huic in venatu fuerit inferior. Actæon autem venator insignis fuit, quem, Diana in cervum mutatum, quod eam cum suis nymphis nudam in balneis viderit, canes ipsius dilaceraverunt. Ovid. Metam. III.

185 *Formidine*] Retibus, pedicis, quæ mortem feris intentant. Dicitur et *formido* in venatu contextus variarum plumarum, quo feræ, sed cervi præsertim, terrentur, et in retia adiguntur. Virg. Georg. III. et Æn. V. 750.

Diversas facies, et cæco mersa profundo
Sternere littoreis monstrorum corpora arenis,
Horrendasque fretis in bella lacessere phocas,
Et colare vagos inductis retibus amnes,
Ac per nulla sequi dubias vestigia prædas.
Luxuriæ quia terra parum, fastidiet orbem

rias formas animalium in mari, et exponere supra maritimas arenas corpora monstrorum, quæ immersa erant in alto mari, et promovere in bella mare, quod animalibus horret, et percolare fluvios fluentes longe linis immissis, et audent insectari prædas per certas semitas in undis. Quippe quia terra non sat luxuriæ habet, ideo venter

dat, aut saltem quis ferat, *ferarum* de piscibus dici? Repone, *c. natantum D. f.* Virg. Georg. III. 541. 'Jam maris immensi prolem et genus omne natantum Litore in extremo, ceu naufraga corpora, pontus Proluit.'' *Bent.* '*In pontum studium est cepisse natantum Diversas facies*] Hæc scriptione et interpunctione sententiam pervertunt. Libri veteres constanter, *in ponto.* Mox illud *natantum* minus aptum, quam *ferarum*, quod in codd. visitur. A feris silvestribus ad marinas transit cum suis venatoribus. Sunt, ait, qui student capere in ponto varias feras, cetos, thunnos et quæ sunt ejusmodi monstrorum, quæ dicit 'corpora' vs. 191. quorum plura esse putant, quam ferarum terrestrium. Cato in Diris vs. 55. sq. coll. Arnoldi nota ad loc. 'Nigro multa mari dicunt portenta natare, Monstra repentinis terrentia sæpe figuris.'' *Stoeb.*—192 Scal. et vulg. *Horrendumque fretis i. b. l. pontum.* Delph. *Horrendumque feris.* 'Piscibus, quos piscatu capiant piscatores.' '*Pontum, mundum, cælum, sidera* ubique ingerunt hi librarii. Quid vero est *pontum horrendum fretis?* Quale illud, *studium in pontum, lacessere pontum?* Mirificæ elegantiæ. Repone, *Horrendasque f. i. b. l. phocas.* Phocas ipsis fretis horrendas. Virg. de Proteo, Georg. IV. 394. 'Quippe ita Neptuno visum est, immania cujus Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas.' Noster inf. vs. 661. 'Et velut in laxo securas æquore phocas Carceribus claudunt raris.'' *Bent.* 'Legere possis cum Molinio et Fayo, *Horrendumque feris in b. l. pontum.* Malim vero sequi vetustiores, qui habent *fretis.* quod non ineptum, si tertio casu accipias. Confer supra IV. 624. in nota.' *Stoeb.* 'Lege, *Horrentemque feris.*' Reines.—193 Vulg. *Et celare vagos.* 'Eleganter Gemb. *colare:* etiam cola Ausonio inter supellectilem piscatoriam: 'Colaque et insutos terrenis vermibus hamos.'' *Scal.*—194 Scal. Delph. et vulg. *A. p. n. s. dubitant v. p.* '*Ac dubitant sequi?* Ergo non sequuntur, quod falsum. Acute igitur Gronov. *Nec dubitant.* Sed aliter ipse Auctor. Repone, *A. p. n. s. dubias v. p. Dubia præda*, cui opponitur certa, facilis, parata, &c. Moschus Idyll. v. 10. καὶ ἰχθὺς ἁ πλάνος ἄγρα.' *Bent.* 'Sententiæ ratio omnino postulat, ut cum Gronovio legamus *Nec per null. seq. dubitant.* Et hoc fatu dignum, illos qui hoc venandi studio tenentur (vs. 189.) non dubitare sequi prædas in ponto et vagis amnibus, ubi nulla sunt ferarum vestigia.' *Stoeb.*—

NOTÆ

191 *Monstrorum*] Sup. maritimorum, id est, magnorum et ingentium piscium, puta cetos et thunnos, *des thons et des baleines, &c.*

193 *Colare*] Verbum piscatorium. *Colum* enim genus est retis in quadrum formati, quod vulgo dicitur *un quarré.* Ausonius de instrumentis piscatoriis: 'Et jacula et fundas et villica nomina lini, Colaque et insutos terrenis vermibus hamos.'

195 *Luxuriæ quia, &c.*] Sic Juve-

Venter, et ipse gulam Nereus ex æquore pascet.
At Procyon oriens, cum jam vicesima cancri
Septimaque ex undis pars sese emergit in astra,
Venatus non ille quidem, verum arma creatis
Venandi tribuit: catulos nutrire sagaces,
Et genus a proavis, mores numerare per urbes;
Retiaque, et valida venabula cuspide fixa,
Lentaque contextis formare hastilia nodis;
Et quodcumque solet venandi poscere cura
In proprios fabricare dabit venalia quæstus.
Cum vero in vastos surget Nemeæus hiatus;

respuet terram, et Nereus ipse alet gulam ex mari. Verum ubi primum vicesimus et septimus gradus cancri extollit se ab aquis ad sidera, tunc Procyon exoriens non quidem tribuet venationes, sed dat instrumenta venandi natis sub se: v. g. alere canes odoros, et commemorare per certas cognitiones speciem et mores ab eorum proavis; et fabricare laqueos, et spicula præfixa firmo mucrone, et scapos hastarum flexiles insertis quibusdam nodis; et tribuet formare res venaticas quæ venduntur in propria lucra, et id omne quod ars venandi assuevit postulare. At ubi

195 'Lege, *Luxurians quia terriparum fastidiit orbem Venter. Terriparus*, ut 'viviparus,' 'pueliiparus.' *Terriparus orbis*, i. e. mensa in qua edulia, quæ terra produxit in cibum homini, proponuntur: quibus contentus esse debebat homo e terra creatus et ipse.' *Reines.*—197 'Conferendus hic Pontedera de Manil. Astron. § 2.' *Stoeb*. Vid. inter notas Huetii huic editioni appensas.—201 Scal. Delph. et vulg. *per artes*. '*Artes* et *mores* idem significant. Vetusti quattuor, *per urbes*. Quod recte asserit et explicat Gronov. Observ. II. 11. *Per urbes*, per patrias; sitne Lacon, Molossus, Umber, &c.' *Bent.* '*Per urbes*] i. e. per genitale solum. Ita fere codd. Gemblac. et Lips. Minus proba ceterorum omnium lectio *per artes*, puta ἰχνευτικάς. Vlit. ad Gratium vs. 13. Vide et Gron. Observ. p. 295. sq.' *Stoeb.*—203 Vulg. *Lentaque connexis formant.* 'Concinnius Gemb. *formare.*' Scal. 'Immo, decutiuntur et emendantur nodi, ut formentur rasæ hastilia virgæ. Lege igitur *consectis.*' Huet. 'Pro *contextis*, quod omnes libri habent, Huet. *consectis*. Janus quoque Vlitius ad Gratium vel *consectis* vel *correctis*. [quo sensu videant alii? *Stoeb.*] Silius XIV. 320. 'Trabs fabre teres atque erasis undique nodis, Navali similis malo.'' *Bent.*—204 'Lege, *Et quæcumque.*' Reines.—206 Scal. Delph. et

NOTÆ

nal. Sat. VI. 'o! prodiga rerum Luxuries, nunquam parvo contenta paratu, Et quæsitorum terra pelagoque ciborum Ambitiosa fames, et latæ gloria mensæ,' &c.

196 *Nereus*] Deus maris, Oceani ex Thetide natus, Nereidum nympharum parens. Hesiod. in Theog.

197 *At Procyon oriens, &c.*] His 9. vss. docet cum vigesimo gradu cancri exoriri Procyonem, seu antecanem, quo sub sidere nascantur non quidem venatores, sed qui arma instrumentaque venandi ministrent ac fabricent. De Procyone dictum est I. 402.

200 *Cum vero in vastos, &c.*] His 28. vss. ait cum leonis primis parti-

Exoriturque canis, latratque canicula flammas,
Et rabit igne suo, geminatque incendia solis:
Qua subdente facem terris, radiosque movente,
Dimicat in cineres orbis, fatumque supremum
Sortitur, languetque suis Neptunus in undis,
Et viridis nemori sanguis decedit, et herbis.
Cuncta peregrinos orbes animalia quærunt:
Atque eget alterius mundus. Natura suismet
Ægrotat morbis, nimios obsessa per æstus,

Nemeæus leo tollitur in latos rictus, tunc et canis oritur, et canicula ardens latrat, et furit flamma sua, et duplicat ardores solis, qua quidem canicula subministrante ignem terris, et vibrante suos radios, terra certat in cineres, et periclitatur extremam sortem ac interitum, et Neptunus ipse Deus maris languescit in aquis suis, et humor virens recedit ex sylva et ex graminibus cunctis: omnia animalia petunt alienas regiones, et universum indiget altero universo: natura oppressa per nimios ardores solis languescit ex propriis morbis, et vivit in busto,

vulg. et sic Paris. et Regiom. *surgit.* 'Immo *surget*, ut vetusti omnes.' *Bent.* —207 Vulg. *l. que canicula, flammas Et rapit i. s.* 'Interpolata sunt hæc vel a Bonincontrio, vel a similibus homuncionibus. Legendum, *latratque canicula flammans, Et rabit i. suo, geminatque incendia solis.* Et Latinitatis et poëtices imperitum esse oportet, qui ita legendum esse non videat; malignum, qui neget. Qui igitur oriente canicula nascuntur, erunt furiosi, violenti, iracundi, omniumque in odio et metu erunt: præfestinato loquentes, faciles moveri, rabidi, temulenti. Feris subsistent, et eas venabulo collocabunt.' *Scal.*—208 *Et rapit i. s.*] '*Et rabit*, ut jam monuimus. Idem error infra, *Lingua rapit*, pro *Lingua rabit*. Canicula rabit, ut 'insana Canicula' Satirico.' *Idem.* 'Lege *flammas*. Illud *que canis* etiam mendose fertur. Solam hic caniculam memorat, ut patet ex vs. 218. 'Hæc ubi se ponto.' Sic I. 405. 'Subsequitur rapido contenta canicula cursu.' *Canis* et *canicula* idem sunt.' *Bent.* 'Summo est acumine dictum, æque ac illud Germanici de eodem Sirio vs. 342. 'Ore vomit flammas.' Potiores enim ille stellas ore

NOTÆ

bus oriri caniculam, ac canem majorem; canicula enim dicitur ea stella, quæ lucet in ore majoris canis, I. 386. quibus aspirantibus oriuntur effræni, violenti, iracundi, in convicia proni, furiosi, si vini vitium accesserit, quos homines metuant pariter ac oderint, sed qui nec apros, nec leones, nec feras metuant, quibus bella parare nullo modo dubitent. De cujus sideris effectibus jam primo disputatum est I. 403. et seqq.

210 *Fatum supremum*] Excidium mundi extremum, I. 1.

211 *Neptunus*] Deus maris, qui pro ipso oceano usurpatur, II. 447.

212 *Sanguis*] Succus, humor, sapa arborum; Gallice, *la seve des arbres.*

213 *Peregrinos orbes*] Alias regiones, aliasque terras ab iis, quibus versantur, quasi aliis in locis minus ardore solis, ac caniculæ ignibus coquerentur. Poëtica locutio.

214 *Suismet morbis*] Nimirum incendiis, quæ fecit per ignes caniculæ.

Inque rogo vivit. Tantus per sidera fervor
Funditur, aque uno se accendunt lumine cuncta.
Hæc ubi se ponto per pronas extulit oras,
Nascentem si quem pelagi perstrinxerit unda,
Effrænos animos, violentaque pectora finget,
Irarumque dabit fluctus, odiumque, metumque
Totius vulgi. Præcurrunt verba loquentes:
Ante os est animus: nec magnis concita causis

quod ipsa accendit. Adeo magnus ardor diffunditur, et quasi omnia sidera sint in uno illo igne caniculæ. Cum autem hæc canicula emisit sese ex mari super oras proclives terræ, si aqua suprema maris pertigerit tunc aliquem nascentem, procreat mentes furiosas, et corda petulantia, et tribuet æstus irarum, et invidiam ac timorem totius populi: voces antecedunt mentem illius dum loquitur, mens præcedit linguam: et corda excitata parvis de causis palpitant, et lingua furit,

fert. Vide Hygini Poët. Astronom. cap. 34.' *Stoeb.*—217 Scal. et Delph. *atque uno ceu sint in lumine cuncta.* 'Vulg. et Rom. *flumine:* mallem ego *in fulmine.*' Delph. Reines. *atque imo sitiunt in flumine cuncta.* '*Atque ceu sint* inepte et putide. Libri veteres, *atque uno ceu sunt in flumine c.* Repono, *aque uno se accendunt lumine cuncta.* Omnia sidera ab unius caniculæ æstu accenduntur. Ennius, 'Quasi lumen de suo lumine accendat facit.'' *Bent.* 'Hæc suo finxit ingenio Bentleius, qui fere semper aliud dicere maluit, quam melius. Satis enim commoda, neque ipsi ignota, lectio cod. Lips. et aliorum veterum librorum, *atque uno ceu sint in flumine c.* Quibus sane significatur, omnia quasi liquefacta calore diffluere, ut cera aut metallum igui impositum. Magis autem, uti videtur, apposite cod. Paris. et Regiom. ferunt *fulmine*, quod valet igne ardentissimo. Dictum autem *fulmen*, auctore Festo, a fluore flammæ, cui nihil convenientius, quam quod Noster modo dixerat, 'tantus per sidera fervor Funditur.' et paulo infra, 'Irarumque dabit fluctus.'' *Stoeb.*—218 'Lege, *per primas.*' Reines.—219 'Gembl. *restinxerit*, ceteri *restrinxerit.* Voss. pro *si quem*, habet *quam nec.* An legendum, *Tosta siti, quam nec p. restinxerit u.* Ovid. Fast. IV. 940. 'Est canis (Icarium dicunt) quo sidere moto Tosta sitit tellus, præcipiturque seges.' Tibullus I. 4. 36. 'Et canis arenti torreat arva siti.'' *Bent.* Reines. *conspexerit.*—220 Scal. Delph. et vulg. *fingit.* 'Gemb. *finget*, ut mox *dabit.*' Bent. Et sic Reines. —222 Scal. Delph. et vulg. *præcurrunt verba: loquentis A. o. e. a.* Lege et distingue, *p. verba loquentes, &c.* 'Loquentes (casu recto) præcurrunt verba, et animus est ante os. Adeo properant, ut articulate distincteque loqui

NOTÆ

217 *Uno lumine*] In uno ignito sidere caniculæ.

Cuncta] Sup. sidera.

218 *Per pronas...oras*] Supra horizontem, ad quem supremi cœli partes undique pronæ ac proclives cadunt.

219 *Pelagi unda*] Suprema maris superficies, quam radit horizon; i. e. horizon ipse.

222 *Præcurrunt verba loquentes*] Ita raptim loquuntur, ut prius voces ediderint, quam, quod loqui velint, mente conceperint: i. e. lingua præcurrit mentem.

223 *Ante os est animus*] Adeo in omne convicium præceps fertur, ut incautus mentem palam faciat, ac lo-

Corda micant, et lingua rabit, latratque loquendo:
Morsibus et crebris dentes in voce relinquit.
Ardescit vino vitium, viresque ministrat
Bacchus, et in flammam sævas exsuscitat iras.
Nec sylvas rupesve timent, unguesve leonis,
Aut spumantis apri dentes, aut cornua tauri:

*et latrat loquendo, et inter loquendum linquit dentes in verbis per frequentiores morsus: vitium istud accenditur altero vitio superaddito, et Bacchus subdit quasdam vires, et excitat rabidos furores iræ in ipso igne iracundiæ: * * aut dentes spumiferi apri, aut arma ferocium belluarum; et conjicit suos ignes in exerendas*

nequeant.' *Bent.*—224 Vulg. *rapit.* 'Et hic quoque inepte pro *rabit.*' Scal.—225 Vulg. et Delph. *M. in crebris.* 'Non male olim legebamus, *M. increpitis.* Nam non solum ita Poëtæ loquuntur, quum dicunt ῥαθαγεῖν τοῖς ὀδοῦσι, sed etiam omnino ita legit Firmicus paraphrastes: 'ita sæpius impetu et furore commoti, aut dentes quatiant, aut attritos semper exacuant.' Sed potest ferri lectio Gembl. *M. et crebris.*' Scal. 'Sic cod. Gemblac. quem Scaliger secutus. Regiom. cum cod. Paris. *M. in crebris dentes.* Cod. Ms. *dentesque, &c.* Quorum sensus hoc ordine videtur evolvendus: Relinquit dentes in morsibus crebris et in voce. Id est, cum crebrius tum acrius mordet. Est elegantissime dictum, quasi, dentes animis imprimit loquendo.' *Stoeb.* Ibid. 'Pro *in voce*, lege *in cote.* Firm. VIII. 10.' *Reines.*—226 Scal. Delph. et vulg. *A. vitio vitium.* 'Immo *A. vino v.* quod sequentia ostendunt, *viresque ministrat Bacchus.* Ovid. Heroid. XVI. 229. 'Sæpe mero volui flammam compescere: at illa Crevit: et ebrietas ignis in igne fuit:' et Metam. XII. 220. 'Nam tibi, sævorum sævissime centaurorum, Euryte, quam vino pectus, tam virgine visa Ardet; et ebrietas geminata libidine regnat.' Contra, Horatius Carm. III. 21. 11, 'Narratur et prisci Catonis, Sæpe mero incaluisse virtus.'' *Bent.* 'Vulgata Scaligeri hæc, *ard. vitio vit.* cum optimis, quos videre est, libris convenit. Vitium alterum est temulentia, quæ si accedat iracundiæ, perinde sit esse, ac si oleum camino addatur. E sensu veritatis Ovid. Heroid. XVI. 229. 'Sæpe mero volui flammam compescere: at illa Crevit, et ebrietas ignis in igne fuit.'' *Stoeb.*—227 Scal. Delph. et vulg. *flamma.* 'Lege cum Vossiano, *in flammam.* Sic Virgilius, 'suscitat in arma,' 'in prælia.'' *Bent.* 'Hujus lectionis auctor cod. Voss. Ceteri omnes, cum vulgatis, *in flamma.* Nec ita male. *Sævas* enim *iras* nemo facile erit, qui concipere sine flammis possit. *Bacchus in flamma*, i. e. vino inflammatus, sævas exsuscitat iras.' *Stoeb.*—228. 229 Scal. Delph. et vulg. *N. s. rupesque timet vastosque leones A. s. a. d. atque arma ferarum:* 'Libri omnes *timent;* sub canicula nati scil. Alioqui erit, *Bacchus non timet.* Lege igitur, *N. s. rupesve timent.* Post leones et apri dentes, quam putidum est addere *arma ferarum.* Non leo et aper feræ sunt? Non

NOTÆ

quatur ea quæ dixisse aliquando pœniteat. Firmic. VIII. 10.

225 *Dentes in voce relinquit*] Adeo raptim loquitur, ut voces non formet, sed intercidat dentibus, atque in ipsis vocibus quasi dentes relinquat; Gallice, *entrecouper sa voix et ses paroles.*

226 *Ardescit vino* [*vitio*] *vitium*] Eleganter; quasi ignis irarum ignescat et augeat igne ac flamma vini, perinde ac si oleum camino ardenti superjiciatur.

227 *Bacchus*] Vinum, vinolentia, IV. 204.

Effunduntque suas concesso in robore flammas.
Nec tales mirere artes sub sidere tali:
Cernis, ut ipsum etiam sidus venetur in astris?
Prægressum quærit leporem comprendere cursu.
Ultima pars magni cum tollitur orbe leonis,
Crater auratis surgit cælatus ab astris.

vires a natura datas. Neque autem admireris talia studia dari a tali sidere; vides quod hoc quoque astrum venetur inter sidera, conatur enim currendo apprehendere leporem præcurrentem. At ubi gradus ultimus immanis leonis assurgit ex orbe terrarum, crater exoritur, qui videtur incisus ab aureis stellis. Quis-

dentes sunt arma? Si Auctori magis quam librariis faves, crede illum sic dedisse, *unguesve leonis, A. s. a. d. aut cornua tauri.* Non magis hæc a literarum ductibus abscedunt quam infinita hic alia.' *Bent.*—230 Scal. Delph. et vulg. *Effunditque.* 'Etiam hic vetusti omnes *Effunduntque*, ut supra *timent*. Et Voss. *concesso in corpore.*' Bent. Reines. *concessa in robora.* Et sic Delph. 'In vires a natura datas, et quas ab hoc sidere capiunt. Alii, *concesso in robore*, minus eleganter.' '228. sq. *timent Effunduntque*] Libri omnes, præter scriptum Lips. qui peccat in *ripasque*, pro quo Paris. omnino rectius *rupesve*, legunt *timet Effunditque* scil. ille, *qui mero incaluit, sævaque excanduit ira. unguesve leonis*] Cum iisdem legere tuto possis, *castosque leones.* Quod enim sequitur vs. 229. *spumantis apri dentes*, dictum videtur pro *aprum spumantem*, uti 'robur ferri' pro ferrum. Cf. adnot. ad II. 780. *aut cornua tauri*] Reponendum ex iisdem libris, *aut arma ferarum*, id est, aut feras alias armatas. Vs. 230. *Effunduntque*] Vide dicta ad vs. 228. sq. *effundetque* Molin. *concesso in robore*] I. e. quo sævire licet. Ovid. ad Liv. vs. 305. 'Tu concessus amor.' Id est, licitus.' *Stoeb.*—233 'Post hunc fortasse inserendus est, qui libro primo vs. 442. alienum locum occuparat, *Intentans morsum similis jam jamque tenenti.* Sic enim Avienus ex Arato de lepore: 'Urgetur cursu rutili canis: ille per æthram Effugit instantem: premit autem Sirius ore.'' *Bent.*—234 Vulg. *ore leonis.* 'Lege *orbe.* Supra: 'Ultima lanigeri quum pars excluditur orbe.'' *Scal.* 'Illud *orbe* contra omnium librorum scripturam, neque adeo hujus loci est. Elegans et perspicua locutio, *in ore*, id est, cum oriente ore leonis ultima pars caniculæ occidit.' *Stoeb.*—235 Vulg. *stellatus.* Scal. et Delph. ex Gemb. *cælatus.* 'Codd. Paris. et Lips. cum aliis, quos Barthius perlustravit, *Ceteraque*, deturpatum ex hoc *Craterque*, quod Regiom.

NOTÆ

232 *Cernis, ut ipsum, &c.*] Aliquam conformitatis, ut aiunt, rationem reddere videtur, cur nati sub canicula viferis bella parent; quippe quia canicula ipsa, seu canis ipse major, etiam inter astra leporem venetur. Situs est enim canis major post leporem, I. 408. not.

234 *Ultima pars magni, &c.*] His 17. vss. ait cum ultimis leonis partibus exoriri craterem, quo sub sidere nascuntur qui colant irriguos campos, fontes ac rivos ab alveo ad alia loca deducant, ulmos vitibus maritent, vitesque jugamentis, palis, ridicis erigant, aut arbustis disponant, vinumque sine aquæ mixtione bibant; et qui merces peregrinas mari committant, ac frumenta vehant, Firmic. VIII. 10.

235 *Crater*] I. 425.

Inde trahit quicumque genus moresque, sequetur
Irriguos rivis campos, amnesque, lacusque:
Et te, Bacche, tuas nubentem junget ad ulmos,
Disponetve jugis, imitatus fronde choreas;
Robore vel proprio fidentem in brachia ducet,

quis ex hoc sidere ducit originem, ac studia, is colet humida æquora camporum, et fluvios, et lacus: et alligabit te, o Bacche, ad tuas ulmos, quibus maritas teipsum; et a summis verticibus adornabit simulatas choreas ex frondibus vinearum; et trahet te, o Bacche, in ramos extensos vel stipite proprio nixum, et perpetuo

vulgavit. *que* valet *etiam*. Pro *cælatus*, idem *stellatus*, uti vulgatorum reliqui, assentiente cod. Paris. Illud astrothesiæ non minus aptum quam alterum. *cælatus* est *cavatus*. Vide Cardanum apud Brodæum Miscell. vi. 30.' *Stoeb.*—236 'In scriptis editisque sic legitur: *Inde trahit quicunque genus moresque sequentur*. Inde, ab astris, trahit scil. Crater amnes illos quicunque sequentur moresque genusque ejus, nimirum Irriguos rivis campos, &c.' *Idem.*—237 Scal. Delph. et vulg. *I. ruris campos*. 'Immo, *Irriguos rivis*. Horat. Carm. i. 7. 13. 'Tiburni lucus, et uda Mobilibus pomaria rivis.'' *Bent.* 'Libri vero constanter, *Irrig. ruris camp.* Eadem dictum figura videtur, ac 'æquora ponti.' Quin et 'agros campi' conjungit Virgil. Georg. ii. 274.' *Stoeb.*—239 Scal. et Delph. *Disponetque j. imitatas f. c.* Gemb. et Voss. *imitatus*; hic etiam *disponetve*. Repone, *Disponetve jugis, imitatus f. c.* *Disponet* Bacchum, vitem, jugis; non disponet choreas.' *Bent.*—240 Vulg. *fundentem*. 'Inepte. Gemb. *findentem*: ne id quoque bene; sed tamen propius veritati. Quin etiam vetustissima est menda. Agnoscitur enim a Firmico; cujus paraphrasis hæc; 'et qui in fecundis arboribus fecundos inserat surculos.' Nam *infindere* est inserere apud Cic. in Bruto. Sed hæc nugatoria sunt. Notum enim vetustiores libros habere *findere*, *relinquisti*, *instinguo*, pro *fidere*, *reliquisti*, *instigo*. Et hic quoque haud dubie *fidentem* scripsit Manil. librarius *findentem*, non quidem habens in animo sententiam mutare, sed utens vitio sæculi ita scribentis. Vites aut junguntur, aut solutæ in suo sibi stipite singulari relinquuntur. Junguntur multifariam: nam aut maritantur, aut juguntur, aut impluviatæ flectuntur. Singulari stipite relinquuntur aut adminiculatæ, aut solitariæ; et quidem solitariæ, hoc est, sine

NOTÆ

237 *Irriguos campos*] Prata, quæ in planos campos æquantur.

238 *Bacche*] Vitis, ii. 20. Scilicet qui sub hoc sidere crateris nascentur, ii vitem colent, maritabunt ulmis, ac eam jugamentis, palis, ridicis erigent, aut arbustis disponent. Firm. viii. 10.

Junget ad ulmos] Maritationem vitis celebrant rei rusticæ scriptores, præsertim cum ulmo. Ulmus enim mas est; vitis fœmina. Plin. xvii. 23. Hinc eleganter Poëta dixit de Baccho *nubentem*, quæ vox de fœmina dicitur, quæ in matrimonio collocatur. Virg. Georg. ii. Juven. Sat. viii.

239 *Jugis*] I. e. a superiori parte. Scilicet cum vites per plures virgas in circulum flexas videntur quasi choreas agere, et invicem sese sustinere.

240 *Robore vel proprio fidentem*] I. e. sine ullo adminiculo. Scilicet vel ulmis jugantur vites, vel ridicis alligantur, vel perticis sustentantur, vel solitariæ suo stipite fiduntur.

Teque tibi credet: Semeleve a matre resectum
Adjunget palis, segetemque interseret uvis:
Quæque alia innumeri cultus est forma per orbem,
Pro regione colet. Nec parce vina recepta
Hauriet e cratere, et fructibus ipse fruetur,

committet te tibimet: quinetiam alligabit te teretibus virgis postquam amputaverit te a tua matrice, et interplantabit tanquam semen ad uvas ferendas: et excolet te secundum diversam regionem, per omnem aliam rationem infinitæ culturæ, quæ est per totam terram. Neque modice bibet vina collecta temperans illa aqua, et ipse

ridicis; minus quidem vini, sed præstantius, ut in multis locis Galliæ nostræ. Eæ igitur, quæ in singulari stipite sine adminiculo nituntur, manifesto *fidunt* robore suo, utpote quibus ridicis opus non sit, neque adminiculis. Vel igitur, inquit, vites jugat, vel *fidentes* suo stipite in brachia ducit. Vides quam vetustæ sint librorum mendæ, quæ etiam a veteribus auctoribus agnoscantur. Itaque qui dicunt non temere recedendum a veteribus codicibus, opponi illis potest, ne temere quoque illis fidendum. Habes hic exemplum illustre.' *Scal.* 'Malim cum libris præstantioribus, *fundentem in brachia ducit.*' Stoeb.—241 Vulg. *Teque sibi credit.* 'Scribe audacter *Teque tibi credit.* Elegantissime. Nam fidentem proprio robore dixit eadem mente, qua nunc dicit ipsum sibi ipsi credi. Te tibi credit, non ridicis, aut palis, aut ulmis. Ibid. vulg. *qui m. refectus.* Bonincontrius interpolavit *qui m. relictum.* Gembl. *resectum.* Plana sententia. Sarmentum e matrice resectum pangit in segete; quod in multis locis Campaniæ in Italia, et in agro opimo ad Tarnim Aquitaniæ meæ. Lege igitur, *T. q. tibi c. semper; quin m. resectum Adjungit calamis.* Recentes enim surculi pacti adjunguntur calamis in novelletis.' *Scal.* Et sic Delph. 'Pro *quin* libri omnes *qui.* Illud *semper* putide et ignave, quin et falso dicitur. Repono, *Teque tibi credet: Semeleve a m. resectum Adjunget palis. Resectum a matre Semele,* ut olim a Semeles utero. Ovid. Met. III. 310. 'Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo Eripitur.' *Palis,* ut Tibull. I. 8. 33. 'Hic docuit teneram palis adjungere vitem.'' *Bent.* 'Omissa distinctione lego apud Regiom. et cod. Paris. *Teque sibi credit semper qui matre resectis Adjungit calamis.* Nihili autem hic, inquit Barthius, *calami,* quibus ille substituit *culmis,* quos postulat Ceres, suo Libero jungenda. *Teque sibi credit semper;* quo notat eos qui sub Cratere nati sunt, semper potare. Acumen porro Poëtæ in eo est, quod dicit a matre resectus, quibus alludens ad fabulam Bacchi, qui Jovis femori insitus, maturitatis tempus explevit, hoc ipso vitium insitionem haud obscure tradit. *interseret*] Cod. Paris. et Regiom. cum vulgatis reliquis, *interserit.* uti mox vs. 244. *colit.*' Stoeb.—245 Vulg. *H. e miseris*] Ubi *miscere* scriptum erat, Gembl. habet *miserere.* quod mendum in aliis quoque manuscriptis non raro occurrit. ita hic sine ullo dubio *emiscens* legendum pro *e miseris.* *Emiscere,* ex cratere haurire. 'Miscere Falernum' Martiali, haurire. Homerus *κεραίρειν.* *ζωρότερον δὲ κέραιρε·* et *κρᾶμα* vinum. in idiotismo Græco *κρασί.* Scio principem et ornamentum harum literarum Adrianum Turnebum *mystris* legere. Sed cur Latini voce peregrina utantur, relicta propria *cochlear,* sive *ligula?*

NOTÆ

241 *Matre resectum*] Surculus quippe vitis a sua matrice amputatus, et in alium locum in segetem plantatus, adminiculo debet inniti ne arescat. Virg. Georg. II. Gallice *provigner, faire de nouveau plant.*

Gaudebitque mero, mergetque in pocula mentem.

perfruetur suis fructibus, et delectabitur vino, et immerget animum in crateres.

Sane illud joculare, ligulis aut cochlearibus in conviviis vinum haurire. Crater erat ingens vas vinarium, quod in media mensa supra machinulam incitegam destituebatur. Ex eo cyathis vinum emiscebant, id est, hauriebant. *H. emiscens*] Vera conjectura. Firmicus agnoscit. Sed *emiscere* paulo sequius, quanquam non male, interpretatur, quod hic vinum sine aquæ admixtione libenter bibet. *Emiscere*, interpretatur contrarium τῷ *miscere*. At non est. Est enim e cratere in scyphum miscere. 'Miscere vinum,' ut diximus, est haurire, in pocula defundere. Constat a Paraphraste Firmico correctionem nostram agnosci. Quod autem dicit, *n. p. v. r. H. emiscens*, procul-dubio est, quod Græci dicunt ζωρότερον κεράσαι. ex Homerico ζωρότερον δὲ κέραιρε. Quod Martialis vertit *vividius*, lib. VII. 'Hic scyphus est, in quo misceri jussit amicis Largius Æacides vividiusque merum.' Vulgata lectio valde discrepat. Nos ex scriptis ita legimus, ubi exaratum est corrupte *invidiusque*.' Scal. 'Libri omnes mendose, *H. e miseris*. Unde olim Turnebus conjectavit, *H. e mystris*. Quippe μύστρον, Latinis inauditum, Græcis est *cochleare*. Ergo cochlearibus bibebant vinum? indigna tanto viro sententia. Qua repudiata, Scaliger suam protulit, *Hauriet emiscens*. Sed neque usquam lectum est *emiscere*; neque *emiscet* vinum, qui *mero gaudet*, hoc est, non mixto. Repono, *n. p. v. r. H. e cratere, et fructibus ipse fruetur*. Ex *cratere* dederunt *miseris*, et primo *misere*, librarii omnium ignarissimi. Sic versu 235. pro *crater auratis* dederant *ceteraque auratis*; et versu 250. pro *crater humoris*, *craterum mortis* vel *moris*. Recte vero *Hauriet e cratere*, cum sub cratere natus sit. Ex crateribus vinum bibebant. Virgilius passim: Æn. III. 525. 'Tum pater Anchises magnum cratera corona Induit, implevitque mero.' et Æn. IX. 165. 'Indulgent vino, et vertunt crateras ahenos.' Ovid. Met. VIII. 679. 'Interea quoties haustum cratera repleri Sponte sua, per seque vident succrescere vina.' Nec te moveat *crătere* cum ictu in prima syllaba; sic enim et Virgilius Æn. V. 536. 'Cratera impressum signis.'' *Bent*. Illud *parce* vulgatis omnibus insidet. Idem, ab altera tamen manu acceptum, refert cod. Lips. Scriptum enim erat *parte*, pro quo cod. Paris. *per te*. Quæ his nectuntur, *nec parce vina recepta Hauriet e Cratere*, Bentleii forte quam Auctoris genio respondent magis. Neque enim idem h. l. per μείωσιν dixisse censendus est, quod statim sequitur (vs. 246.) *mergetque in pocula mentem*. Quare videndum, qua ratione sanum elicias sensum ex scripta vulgataque veteri lectione. Regiomontani quidem hæc est: *n. p. v. r. H.* (:) *e miseris et frugibus ipse fovetur*. Ceteri non variant, nisi in ordinanda distinctionis nota, quæ si huic *miseris* subjungatur, intelligas, necesse est, miseras has *vites*, quæ quoad externum habitum magna cum veritatis specie dici ita possunt. Altera, quæ est codd. Paris. et Lips. lectio, si quidem curatius expensa, eodem videtur redire: *nec per te v. r. Hauriet, &c.* Nimirum hæc dicit Auctor: Nec solum vina tuo, Bacche, beneficio recepta potabit avidius et copiosius, sed et e frugibus miseris, id est vilibus, vel quæ misere ab illo habentur et subinde destruuntur, ut capiat ex illis liquorem ad palatum ipsius compositum, et hoc quoque fovetur, id est, incalescet, vel ad crapulam, aliaque corporis incommoda atque morbos ex immoderata potatione obortos discutiendum, mitigandumque, quasi fomenti loco, utetur. Suggessit hæc nobis Stukius, qui de ejusmodi vinis factitiis et medicatis omnino videndus in Antiq. Conviv. III. 9. tom. I. Opp. p. m. 519. sq. et cap. 11. p. 533. Quis vero putabit, post tot alios auctores a Stuckio excitatos, Nostrum illud potionis genus omisisse, quod ad inebriandi, quam persequitur, rationem omnino pertinet? Ellipticam vero locutionem, *Nec* (solum) *hauriet* (sed) *et fovetur*, mox ipse plenius dedit his: *Nec solum credet, sequetur quoque, &c.* Et illa

Nec solum terræ spem credet in annua vota:
Annonæ quoque vectigal, mercesque sequetur,
Præcipue quas humor alit; nec deserit unda.
Tales effinget crater humoris amator.
Jam subit Erigone: quæ cum tibi quinque feretur

Neque tantum committet terræ suam spem: sed aget vana vota, scilicet vectigal rei frumentariæ, et merces, præsertim eas quas aqua nutrit, neque relinquet aquas. Crater amans latices procreabit hujusmodi homines. Nunc autem virgo sequitur,

quidem non poëtis modo, sed etiam oratoribus usitata. Cicero Epist. x. 1. 'Furnium nostrum tantum a te fieri, nec miror, et gaudeo.' Est ubi in priore tantum membro particula supplenda venit, uti apud Liv. xxviii. 11. fin. 'Quum agmen jam grave præda esset, in saltu angusto, a Bruttiis jaculatoribusque Numidis turbati sunt, ita ut non præda, sed armati quoque in periculo fuerint.' Excitatum video hunc locum a Dukero ad Thuc. iv. 92. pag. 292. quem miror adhuc dubitare, an eadem ellipsis, vocis *μόνον*, ullius Græci scriptoris testimonio confirmari possit. Præter enim ea quæ H. Steph. de Dialect. pag. 104. e Luciano, Thuc. et Xen. produxit, de quibus aliter sentire non nemo possit, suppetit nobis Arriani locus, extra omnem dubitationis aleam positus; de Exped. Alex. v. p. 370. ed. Blanc. vel p. 231. ed. Gronov. ubi Alexander ad ordinum duces his verbis: *Καὶ ἐπειδὰν ἐπεξέλθωμεν τὴν Ἀσίαν, τότε οὐκ* (pro *οὐ μόνον*) *ἐμπλήσας μὰ Δία ὑμᾶς, ἀλλὰ καὶ ὑπερβαλὼν ὅσα ἕκαστος ἐλπίζει ἀγαθὰ ἔσεσθαι.* Eadem apud Sacros N. T. Scriptores, et multo frequentius, obtinet. Nos duo tantum exempla, ab aliis forte neglecta, h. l. adservabimus: alterum legitur Eph. iv. 12. coll. Gal. v. 17. alterum vero, Phil. ii. 4. coll. 1 Cor. x. 24.' *Stoeb.* ibid. Vulg. *et frugibus ipse fovetur.* 'Gembl. *fructibus.* Optime. Nam cui bono hic fruges? Lego igitur *et fructibus ipse fruetur.* Ipse, inquit, ipsos fructus absumet, neque ex illis negotiabitur, aut compendium faciet. ebibet enim omnes.' *Scal.*—247 Vulg. *S. c. inania vota.* 'Nihil potuit ineptius concipi. Gembl. perspicue, *in annua vota*, ut etiam nos olim. Supra: 'Annua solliciti consumunt vota coloni.'' *Idem.* Delph. *inania vota.* 'Sic Gemb. et Rom. Etenim qui maris merces sequuntur, ii sæpius spe cadunt et naufragia faciunt. Inania igitur sunt hæc vota.' '*in annua vota*] Ita quidem in cod. Gembl. scriptum esse Scaliger affirmat. Ex eodem vero Fayus hanc dedit, quæ communis omnium est, lectionem: *Nec solum terræ spem credit* (,) *inania vota, Annonæ quoque vectigal, &c.* Nec videmus profecto, cur hæc, Barthii utor verbis, magno sit delirio habenda; præsertim cum sola distinctione dilucidior redditur sententia, quæ alioquin *spem* et *vota*, *ἰσοδυναμοῦντα* nempe, minus apte conjungit. *Inania* autem *vota*, justa epicrisi, vocat ea, 'quæ ventis creduntur et undis.' Conf. i. 77. Nimirum *annonæ vectigal* seu portorium ex annona mercibusque navi deportandis perceptum.' *Stoeb.*—249 Vulg. *nec deserit undam.* 'Lege *unda.*' Scal. Delph. *undas.* Reines. *deseret.* 'Et hic restituenda vetus lectio, *nec deserit undam.* Id est, Natus sub cratere nunquam fere a navigatione cessabit.' *Stoeb.*—250 Vulg. *T. craterum mores effinget a.* 'Gembl. *T. effinget craterum mortis a.* Minima mutatione lego: *T. effinget crater umoris a. umoris* pro *humoris* etiam libro secundo positum erat.' *Scal.* 'Regiom. optime dedit, *T. effinget mores crateris a.* Ad verbum conspirat cod. Paris. nisi quod legit *effingit* pro *effinget.*' Stoeb.—251 Scal.

NOTÆ

248 *Annonæ vectigal, &c.*] Cibaria frumentaque.

Partibus ereptis ponto, tollentur ab undis
Clara Ariadneæ quondam monumenta coronæ,
Et molles tribuent artes. Hinc dona puellæ
Namque nitent; illinc oriens est ipsa puella.
Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum,
Pallentes violas, et purpureos hyacinthos,
Liliaque, et Tyrios imitata papavera fucos,

quæ ubi quindecim gradibus e mari eductis ducetur, lucida testimonia olim coronæ Ariadneæ attollentur ab aquis, et dabunt studia effœminata. Etenim ex una parte munera virginis lucent: ex altera autem parte ipsa virgo est ascendens. Qui tunc nascetur, is excolet hortum resplendentem pulchris floribus, et pallidas violas, et purpureos hyacinthos, et lilia, et papavera quæ imitantur colores Tyrios, et florem

Delph. et vulg. *quæ cum ter q.* ' In xv. parte virginis ait oriri coronam. At Firmicus quinta parte. Et sane corruptus est locus. Nam infra spica oritur decima parte. Non ergo scripsit Manilius *quæ quum ter q.* sed *quæ quando q.* aut simile quid. Sed nugatur. Nam illius sæculo corona oriebatur supra finitorem barbaricum a xxx. virginis, ad ix. libræ hora una fere.' *Scal.* ' Quomodo hic *ter quinque,* cum mox versu 270. *decimam* partem signet, et semper recto partium ordine procedat? Repone, *quæ cum tibi q. feretur.* Firmicus viii. 11. hic *quintam* partem agnoscit, ut illic *decimam.* Sensit hoc et Scaliger; qui conjiciebat, *quæ quando quinque:* satis invenuste ob literam *q* toties verba inchoantem.' *Bent.* ' Idem cod. *quæ cum ter q. ferentur.* Regiom. *feretur.* Recentiores fere omnes, *ter q. feratur.* Putamus omnino Manilium *ter quinque* dedisse. Firmicus autem quinta virginis parte coronam oriri docet. Quæ quidem mutandi causa fuit interpretibus ætatis nostræ. Scaliger quidem sic: *quæ quando q. feretur.* Barth. *Jam subit Erigone quantum per q. feruntur Partib. erept. ponto.* Pontedera § 5. commodissima variatione tentavit: *quæ quum de q. feretur Partibus, &c.* Nobis autem major est Poëtæ auctoritas, quam interpretis. Sua illi opinio servanda, cujus non dubitamus gravissimos ei auctores extitisse. Forsan Eudoxus ille, qui, quod ait Petronius, in cacumine excelsissimi montis consenuit, ut astrorum cælique motus deprehenderet. Vel Hipparchus, cui ad gradum 27. ortus coronæ refertur. Vide apud Petav. pag. 229. fin. Aliis forte alia stetit sententia, et intemerata stetit hactenus. Æquos ergo nosmet interpretes præstemus Nostro, non rigidos correctores.' *Stoeb.*—252 Vulg. *Cara.* Correxit Scal. ex Gemb.—258 Scal. Delph. et vulg. *Tyrias i. p. luces.* ' *Tyrias luces* ineptum et κακόζηλον. Repone, *et Tyrios i. p. fucos.* Sic passim poëtæ:

NOTÆ

251 *Jam subit Erigone, &c.*] His 19. vss. ait cum virginis 15. grad. oriri coronam Ariadneam, quo sub sidere 'quicumque natus fuerit,' inquit Firm. viii. 11. 'erit variis deliciarum voluptatibus occupatus, ac muliebrium artium studiis deditus, florumque et coronarum inventor, et qui amœnis hortorum delectationibus adhæerescat, odores, unguenta, aromata, studiosa cupiditate desiderans, corpusque suum lenocinio pulchritudinis excolens,' &c.

252 *Ariadneæ . . . coronæ*] i. 312.

254 *Puellæ*] Ariadnæ; cujus corona inter sidera micat in septemtrionali parte, i. 319.

255 *Puella*] Virgo ipsa, seu Erigone, quæ quasi ex adverso lucet.

258 *Tyrios fucos* [*Tyrias luces*] Pur-

Vernantisque rosæ rubicundo sanguine florem.
Cœruleumque oleis, viridemve in palmite collem
Conseret, et veris depinget prata figuris:
Aut varios nectet flores, sertisque locabit;
Effingetque suum sidus: quin mutua pressos

rosæ micantis rubro colore. Inseminabit clivum cæruleum frondibus, et virecentem herba, et pinget prata nativis coloribus: vel intertexet diversos flores, et aptabit in corollas, et formabit illos in modum gyri: coquet illos expressos,

sed alias sæpe librarii dederunt *succos*, hic *luces*. Ovid. Metam. VI. 222. 'Tyrioque rubentia fuco Terga premunt.' Claud. in Rufin. I. 208. 'rapiunt Tyrios ibi vellera fucos;' ubi vide accuratissimum Nic. Heinsium. Iterum Met. IX. 340. 'Tyrios imitata colores, In spem baccarum florebat aquatica lotos.'' *Bent.* 'Repone ex libris probatæ fidei, *et Tyrias imitata papavera luces.* Id est, splendorem purpuræ Tyriæ, quo ea solis radiis objecta nitere solet. Vide Vulpium ad Catull. carm. LXIII. 49. et D'Orvill. ad Charit. pag. 542. qui hujus lectionis præstantiam contra illos interpolandi conatus quam optime defendit.' *Stoeb.*—260 Delph. et vulg. *viridemque in gramine.* Scal. *Cæruleum foliis viridi quin gramine c. C.* '*Quin* a Scal. est, vetusti omnes *viridemve in gramine:* Voss. etiam *Cæruleumque foliis.* Repone, *C. que oleis, viridemve in palmite c. C.* Ut vitis viridis, ita olea cærulea et glauca. Ovid. Art. Am. II. 518. 'Cærula quot baccas Pallados arbor habet.' Lucret. v. 1371. 'Prata, lacus, rivos, segetes, vinetaque læta Collibus et campis ut haberent: atque olearum Cærula distinguens inter plaga currere posset Per tumulos et convalles camposque profusa.' *Palmite collem*, ut Statius Silv. IV. 2. 36. 'sic vitifero sub palmite nudos Umbravit colles et sobria rura Lyæus.' *Bent.* 'Rescribo, *Cæruleum foliis.* Mox, *gramine* legendum pro *palmite.* Ita libri sinceriores.' *Stoeb.*—261 'Pro *veris*, potes et legere *vernis.*' Scal.—263. 264 Scal. *Effingetque suum similes: in m. p. I. atque A. s. mulcebit o.* Delph. et vulg. *Effingetque sinu.* Vid. not. inf. 'Quid est *effingere sinu flores?* quid *similes excoquere?* Nugas egerit tam qui interpretationem exiget quam qui dabit. Gemb. *Effingetque suum similes.* Quod est verissimum. Effinget suum similes, suorum similes flores. Suorum florum coronæ est idiotismus Manilianus: 'ab ipso ad ipsum.' Hoc est, a seipso ad seipsum. Effinget flores sertis, cujusmodi flores habet corona Ariadnæ. Omnino finget similes suorum coronæ florum, ut Maniliane loquar. Virg. 'Namque suam antiqua patria cinis ater habebat:' suam Didonis nutricem dixit, ut Noster suorum coronæ florum. Sic Ovid. Met. XV. 'Tu facies natusque suus.'' *Scal.* 'Variant hic codices vetusti. Gembl. ut editum. Venet. et Lips. *E. que suos similesque in m. p.* Voss. *E. que suum sidus similesque in m. p.* Unde certa nascitur emendatio. Repono enim, *E. que suum sidus: quin m. p.*

NOTÆ

pureos colores. *Tyrius* enim, i. e. purpureus; quia urbs Tyri olim purpuræ tinctura claruit. Virg. Georg. III. *Lux* autem, i. e. color, qui splendidus est.

263 *Sidus* [*sinu*] Ita omnes, præter Scaligerum, qui legit *suum* pro *suorum*, quasi ipsi coronæ florum. Sed *sinu* pro *sinui* legunt alii omnes, nempe dativum pro accusativo plerumque usurpant poëtæ. Flores igitur sinui similes, i. e. in modum sinus aptati, Gallice *bouquets en ondes et en festons.*

Incoquet, eque Arabum sylvis miscebit odores;
Et Medos unguenta dabit referentia flatus,
Ut sit adulterio succorum gratia major:
Munditiæ cultusque placent, artesque decoræ,
Et lenocinium vitæ, præsensque voluptas.
Virginis hoc anni poscunt, floresque coronæ.

et immiscebit illis odores de sylvis Arabum, et faciet unguenta quæ reddant halitus salutiferos, ut gratior dulcedo insit ex mixtione succorum: munditiæ et cultus corporis, et artes nitidæ, et illecebræ vitæ, et maximæ deliciæ non desunt. Ætas virginis, et flores coronæ postulant istud. Verum ubi hirsuta spica

Incoquet. Effinget ex floribus coronam, sub quo sidere natus est: erit *στεφανοπλόκος.* Apparet, *sidus* in *similes* mutatum esse; et in Voss. utramque lectionem retentam. *Quin mutua pressos*, flores scilicet. *Mutua* autem pro *mutuo*, ut Virgilius Æn. IX. 124. 'cunctatur et amnis Rauca sonans;' hoc est, rauce: et vetus proverbium 'mutua muli.' Ceterum, si magnorum virorum erratis indulgebis, vide Gronovium Observ. I. 11. et Salmasium Epist. CXI. 264 *A. A. s. mulcebit o.*] Reinesius sic refingit, *eque A. s. miscebit o.* Seneca Herc. Fur. 910. 'Arabesque odoris quicquid arboribus legunt.'' *Bent.* 'Lege cum iisdem libris, *E. que sinu* (,) *similesque in m. p. Incoque* (:) *a. A. s. mulcebit o.* *Sinu* pro in sinu. nisi scriptum erat *sinum*, cujus ultimum elementum lineola transversa præcedenti illinitum, vel modulantis voce, vel scribentis negligentia periit. Adeoque diceret Auctor: serta illa sinui aptabit, similesque in mutua pressos, i. e. invicem, uti Æneid. VII. 66. 'pedibus per mutua nexis,' &c. Sic quoque, 'in alternum' supra III. 53. not. Sed erunt fortasse, quibus aliorum magis arrideant conjecturæ. Adeant hi, per me licet, Gevartium Elect. I. 14. Barth. Advers. v. 23. et Gronov. I. 11.' *Stoeb.*—265 Scal. Delph. et vulg. *medicos.* 'Quinam sunt illi *medici flatus?* In materia medica sunt omne genus odorum: ergo nulli certi flatus dici possunt medici. Quod si ulli essent, vix credo unguentorum compositionem ingrediebantur, quæ non medicinæ, sed voluptatis gratia veniebant. Vetusti quattuor, non *medicos*, sed *Medios.* Repone, *Et Medos u. d. r. f.* Medicum malum intelligit odoris gratissimi. *Medos* adjective, ut Horat. Carm. I. 27. 5. 'Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat.' Ceterum ut Noster 'eque Arabum silvis,' ita Virg. postquam 'felix' illud Mediæ malum descripserat, Georg. II. 136. 'Sed neque Medorum silvæ, ditissima terra.'' *Bent.* 'Planior erit sententia, si legas cum cod. Paris. editisque Regiom. et ceteris, *medicos flatus*, i. e. halitus salutiferos, uti rectissime Fayus.' *Stoeb.*—267 Scal. Delph. et vulg. *cultusque adsunt.* 'Illud *adsunt* ab omnibus vetustis abest.' Suppleverunt vs. recentiores: sed non satis commode *adest præsens voluptas.* Quare sic potius supplebis, *M. c. q. placent a. q. d.* ut supra 153. 'fractique placent ad mollia gressus.'' *Bent.* 'Libri modo laudati constanter cum Scalig. *adsunt.* Cur hoc mutemus? *artesque decoræ*] Cod. Lips. *decori*, secundo casu *τοῦ decorum*,

NOTÆ

264 *Arabum sylvis, &c.*] Arabes enim in Asia populi thure, balsamo, et aromatum omni genere divites sylvas habent; IV. 655.

266 *Adulterio*] Mixtione, per metaphoram.

267 *Munditiæ cultusque, &c.*] Quales describit Ovid. Art. I.

269 *Virginis*] Erigones.

Coronæ] Ariadneæ.

At cum, per decimam consurgens horrida partem,
Spica feret præ se vallantes corpus aristas,

surgens in decimo gradu virginis præfert corpus aristæ hispidæ, ingignit studium

omnino placet.' *Stoeb.*—271 'Locus contaminatissimus. Gembl. *Spica, feret præsens valentis corpus aristas.* Lege confidenter: *At quum per d. c. horrida* [lege *torrida*. Reines.] *p. Spica, feret præ se squalentis corpus a. Corpus,* appositive *squallentis* sive *squallentes* aristas. Rectissima lectio. Magis placeret *squallentis corpus aristæ.* Quare aristæ dicantur squallidæ, non magis ratio exigi debet, quam quare dicantur horridæ. Nonnus *Διονυσιακῶν ια'. Καὶ στάχυν ἀκροκόμοισι πεμφρίσσοντα κορύμβοις.* Alioqui *squallere* est contaminari, et *squallor* contaminatio. Firmicus in partium scorpii myriogenesi: 'turpes faciet homines, meretricio squallore sæpe pollutos.' Tertullianus exhortatione ad castitatem c. 10. 'ingredi in disciplina Domini non secundum carnis esqualentiæ concupiscentiam.' Nulla fere mutatione legendum, *et squallentiæ concupiscentiam.* Vertit enim ad verbum, ut alias solet, locum ex secundo capite posterioris Epistolæ Petri, *ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευομένους. Squallentia* igitur Tertulliano, et *squallor* Firmico est *μιασμός.* Locus ille ex epistola Petri nondum notatus est in locis scripturæ a Tertulliano citatis.' *Scal.* Et sic Delph. 'Hæc lectio Scal. est: qui et sic quoque conjectat, *squallentes corpus a.: squallentes corpus* appositive. Salmas. vero ad Solinum ita refingit: *A. c. p. d. c. torrida p. S. f. p. s. s. corbis a.* Videamus jam, quid libri veteres ferant. Gemb. Lips. et Venet. *Spica feret præsens valentis corpus a.* Voss. *præsens vallantis corpus a.* Repone, *Spica feret præ se vallantes corpus a. Spica horrida,* hispida, hirsuta; ut Virg. 'horrida barba;' 'horridior rusco;' 'horrentes rubi.' *Aristas vallantes corpus spicæ;* cingentes, munientes. Cic. de Nat. Deor. 'Munitæque sunt palpebræ tamquam vallo pilorum.' Idem de Senectute c. 15. 'Fundit frugem spici ordine structam, et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum.' Ubi *spici* a *spicum* idem quod *spicæ.*' Bent. '*præ se vallantes corpus aristas*] Hæccine satis Latine et eleganter? *præ se vallabit corpus.* Cur non dedit potius *circumvallabit?* Scilicet hoc, si metrum ferret, rei naturæ magis aptum. Sed mitte hanc et ceteras non interpretum, sed criticorum, conjecturas. In promptu est genuina Poëtæ scriptura, quam servant cod. Paris. et editi Regiom. Aldi, Pruckneri: *At cum per d. c. horrida p. Spica* (,) *feret præsens nascentis campus a.:* Molinius variat *seret præs. nascentes camp. arist.* Altera rectior omnino, sanoque sensui accommodatior. Eum hoc ordine putamus evolvendum: Cum spica horrida, i. e. aspera, hispida, consurgens scil. est, pro consurgit, per decimam partem virginis, tum vero campus præsens nascentis, quasi recens nascentis, vel sub id tempus nascentis, feret aristas. Redde summatim: Natus sub spica frugifero usurus est campo. Subsequitur asserti ratio vs. 272. arvorum enim ingenerat spica studium, &c. Illud *consurgens* accepimus per defectionem verbi *est*, inductione exemplorum passim obviorum. Vide modo IV. 451. et Phædr. V. Fab. 3. 12. In aliis hoc *est* additur; v. c. 'tribuens est' pro tribuit, infra vs. 388. Vide plura apud Buchner. de Comm. Rat. Dic. p. 326. Præ primis vero A. Gellium v. 8.

NOTÆ

270 *At cum, per decimam, &c.*] His 18. vss. ait cum 10. grad. virginis exoriri spicam, quo sub sidere nati erunt ruralibus officiis semper applicati, et ad agrorum cultum patientia laboris adjuncti, et qui ad vitæ subsidium multas fruges in horrea condent, inquit Firm. VIII. 11. Spica autem stella est, quam sinistra gerit virgo, I. 266. et Hygin. III. de Sign. cœlestibus.

Arvorum ingenerat studium rurisque colendi;
Seminaque in fœnus sulcatis credere terris;
Usuramque sequi majorem sorte, receptis
Frugibus innumeris; atque horrea quærere messi:
(Quod solum decuit mortales nosse metallum:
Nulla fames, non ulla forent jejunia terris.)
Dives erat census saturatis gentibus orbis,
Et si forte labor ruris tardaverit artes,

agrorum, et excolendi campi: dabit et committere terris proscissis in sulcos segetes ad lucrum, et quærere quæstum majorem sorte segetum, acceptis scilicet immensis fructibus; et parare horrea messibus. Quod quidem metallum unum cognoscere homines debuerunt; sic enim nulla fames, nulla annonæ caritas forent in terris. Locuples erat reditus terrarum populis bene satiatis, licet fortasse cultus agrorum

ubi, '*Est*,' inquit, 'et *erat* et *fuit* plerumque absunt, cum elegantia, sine detrimento sententiæ.'' *Stoeb.*—273 Vulg. *s. reddere t.* 'Melius Gemb. *credere*. Supra, 'Tum Cererem plena reddentem credita messe.'' *Scal.* 'Proprium est hoc *fœnus* in rebus e terra nascentibus. Tibull. Eleg. vii. 3. sq. 'Spes alit agricolas. Spes sulcis credit aratis Semina, quæ magno fœnore reddat ager.' Ubi consule interpretes. Hujus loci respectu malumus hoc *credere*, quod ex Gembl. dedit Scaliger, quam quod ferunt vulgati vetustiores, *reddere*; codex quoque Paris. omissa prima littera, *redere*. Quamvis et illud *reddere* salvo retineri sensu possit. Semina enim e terra percepta colonus ipsi reddit in fœnus.' *Stoeb.*—274 Vulg. *Usuramque sequi majori sorte*. 'Melius Gemb. *majorem sorte*. Et nos quoque ita olim edidimus. Imperite, ut alias, lectionem innovavit Bonincontrius: *Versuramque sequi*. Nam quæ versura hic intelligenda est, quum loquatur de terræ fide, quæ majore fœnore fruges reddit? Est enim metaphora. Neque Danistæ hic magis locum habent, quam agricolatio in foro Romano. Sine metaphora aut allegoria extulit paraphrastes Firmicus: 'qui novis seminibus per annos singulos novitatem etiam frugibus pariat.' *Scal.*—276 Vulg. *docuit*. 'Lege *decuit*.' Scal. —278 '*Orbi* libri veteres: ut ordo sit, Dives erat census orbi, gentibus saturatis. Sed vs. irreptitius est; et a sententia loci alienus. *Dives erat*, inquiunt, pro esset. Ut Virg. de malo Medica, Georg. ii. 132. 'Et, si non alium late jactaret odorem, Laurus erat.' Recte quidem Maro; sed Noster, cum semel dixisset *forent*, non recte subjunxisset *erat*.' Bent. 'Nihil hic mutandum, ne dum versus, quod soli visum acutissimo Bentleio, expungendus. Distingue sic: *Dives erat census, saturatis gentibus, orbis*. Sensus semet ipse recludit: Se quisque, stomachum vel pane curans, satis divitem æstimavit.' *Stoeb.*—279 Vulg. *tardaverat*. Sententia postulat *tarda-*

NOTÆ

273 *Seminaque*] Segetes frugum.

274 *Usuramque sequi majorem sorte*] I. e. recipere majorem copiam frugum aut quæstum percipere, quam sors seminis ac segetum terris fuit credita.

276 *Quod . . . metallum*] Commune vocabulum, cujus species præcipuæ sunt aurum, argentum, æs, ferrum, ac plumbum. Hic autem *metallum* usurpatur pro divitiis, i. e. frugibus, quas solas nosse decuerit mortales, et quasi his unis satiari: aurum vero et argentum procul a terris arceri debuerint.

278 *Census*] Divitiæ, i. 12.

Quîs sine nulla Ceres, non ullus seminis usus,
Subdere fracturo silici frumenta, superque
Ducere pendentes orbes, et mergere farra,
Ac torrere focis, hominumque alimenta parare,
Atque unum genus in multas variare figuras.

impedierat artes, sine quibus nullus est panis, nullus est usus frugum: puta subjicere tritica saxo trituro, et imponere desuper suspensas moles saxeas, et diluere farinas aqua, coquere furnis, et præparare nutrimenta mortalium, et mutare

verit. Ita enim Gemb.' *Scal.*—281 Vulg. *fracturos silicis.* Al. *S. facturos sulcis.* 'Lege: *S. fracturis sulcis f.* Calpurnius: 'Vilia quum subigit manualibus ordea sulcis.' *Sulcos* pro molis nuspiam alibi legi. unde ἔργον μυλήφατον Apollonio, et aliis poëtis.' *Scal.* 'Gembl. et Lips. *facturos luci;* Voss *facturos liti.* Repone, *S. fracturo silici f. Fracturo silici,* ut Virg. Georg. I. 267. 'Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo:' et Æn. I. 182. 'frugesque receptas Et torrere parant flammis, et frangere saxo.'' *Bent.* 'Ita Barthius olim correxit Advers. p. 256. at sine codicum auctoritate. Lips. enim, legente Vierschroto, habet *facturos luci,* et ab altera manu *sulci,* quod vulgare non dubitavit Regiom. *sulcis* cod. Paris. et editi Ald. Pruckn. Moliu. *fracturos* aptius omnino videtur, ac *factur.* Hoc autem tanto librorum consensu firmatum, equidem mutare nolim. Quin accipiendum potius pro *confecturos frumentum,* ope scilicet molarum, quarum Noster eam h. l. notat structuram, quæ Vitruvio *hydraularum* nomine describuntur x. 10. Ejus hæc maxime verba transcribemus, quæ et emendantis opem expetunt, et sententiam Nostri quam maxime illustrant. Ita vero ille: 'Eadem ratione etiam versantur *hydraulæ,* in quibus eadem sunt omnia, præterquam quod in uno capite axis habent tympanum dentatum et inclusum.' Pro *hydraulæ* malim equidem *hydromylæ,* auctore Turnebo Advers. III. 7. fin. Cetera in eo quod penes me est exemplo, manus docta e commentariis, sic opinor, Balth. Peruzzii, correxit, *tympanum dentatum habens axem inclusum.* 'id autem,' sic pergit Vitruvius, 'ad perpendiculum collocatum in cultrum, versatur cum rota pariter.' Hinc etenim, ni fallor, intelligitur, Nostro *sulcum* dici, in re molitoria, tympanum illud dentatum, quod in cultrum collocatum, cum rota versatur. Hoc est quod ait vs. 282. *superque ducere pendentes orbes.* Interpretationi nostræ cum primis favet Glossa Non. Marcelli: '*Sulcus* omne quicquid in longitudinem aculeatum est, dici potest veterum auctoritate doctorum. Virgil. Æn. II. 475. 'linguis micat ore trisulcis.'' *Stoeb.*—282 'Lege *tergere,* i. e. purgare excussis glumis et paleis.' *Reines.*—284 Vulg. *variasque f.* 'Lege, *variare f.* Intelligit pistorium, aut dulciarium opus. Martialis interpretis vicem esto: 'Mille tibi dulces operum manus

NOTÆ

280 *Nulla Ceres*] Nullus panis usus. Ceres enim Dea frugum aliquando pro pane usurpatur, IV. 732.

281 *Fracturo silici*] Silex masc. et fœmin. est. Virg. Æn. VIII. 233. Ovid. Met. VII. *Fracturo silici,* i. e. molæ inferiori: sicut per *orbes pendentes* intelligit Poëta molas superiores, quæ rotantur in orbem, et quibus grana triticorum teruntur.

282 *Mergere farra*] Rom. bene, i. e. diluere, Gallice *detremper la farine.* Alii *tergere farra,* quasi purgare triticum; minus bene.

284 *In multas variare figuras*] Notat artem pistoriam ac dulciariam, Martial. XIV. 222.

Et quia dispositis habitatur spica per artem
Frugibus, et structo similis componitur ordo,
Seminibusque suis cellas atque horrea præbet;

idem genus farris in plures formas. Et quia spica hirsuta ordinatur granis ex arte ordinatis, par ordo aptatus disponitur, et ipsa dat granaria et cellas suis segeti·

ista figuras Exstruit.'' *Scal.*—285 Scal. Delph. et vulg. *aptatur:* et in vs. seq. vulg. *instructus similis.* 'Lege: *Et q. d. aptatur s. p. a. Frugibus, instructu simili c. o.* Cicero in Catone: 'Fundit frugem spici ordine structam.' Quemadmodum in spica grana suis cellis et folliculis inclusa ac disposita sunt, ita etiam qui sub hoc sidere nascuntur, disponent fruges per horrea et cellas. Intelligit vero publica horrea, cujusmodi horrea Sulpitia, et quæ præterea in singulis regionibus Urbis ponit Sex. Aur. Victor: quibus etiam curatores præficiebantur, quorum crebra mentio in veteribus monimentis. *Fruges* vero accipit pro grano ipso frumenti. Unde proverbiale dictum, 'Frugem non faciet.' Nam proprie dicitur de culmo, qui granum non cepit suo tempore. In Gembl. erat, *exstructos similis componitur ordo.* fortasse *extructu* legendum. Nihil interest ad sententiam. Firmicus recte concepit hæc: 'qui ad vitæ subsidium multas fruges in horreis condat.'' *Scal.* 'Pro *aptatur,* quod recentiorum codicum est, Venet. *habetur.* Gemb. et Lips. *habeatur;* Voss. et pro varia lect. *habitatur.* Porro pro *exstructu simili* Gemb. *exstructos similis,* Lips. et Voss. *destructos similis.* Repone, *Et q. d. habitatur s. p. a. Frugibus, et structo similis c. o.* Quia spica, inquit, habitatur frugibus, sive granis, quas in glumis aut folliculis, tamquam in cellis atque horreis conditas tenet; eæque fruges in spica artificiose dispositæ sunt, et componunt ordinem similem ordini humana arte atque opera structo: quia hæc, inquam, in spica fiunt, quasi arte et ordine et rationibus architectonicis, idcirco *Sculpentem faciet sanctis laquearia templis.* Hic locus ex omnium difficillimo nunc facilis est et planus: et apparet insignis viri magni error, qui quinque sequentes versus ultra versum 508. relegavit: ubi tam inviti habitant, quam hinc absunt. Si hinc tollis; post illud *quia spica, &c.* nulla redditio est, et sententia membro suo mutilatur: si illic ponis; tum in eodem colo habes *artifices auri faciet,* et mox *sculpentem faciet,* putide et invenuste.' *Bent.* 'Quod erat vulgatum, *aptatur,* cod. Paris. et Regiom. cum ceteris impressis, agnoscunt. Itaque retineri malim. 286. *et structo similis componitur ordo*] Cod. Paris. *instructus.* Regiom. *instructis.* Utrumque rectius edito Bentleii. Prævalet autem posterius, quod aptissimum hunc parit sensum: Et quia spica aptatur, i. e. instruitur vel instructa est (Virg. Æn. III. 472.) frugibus vel granis per artem, pro artificiose dispositis; fit inde ut ordo eorum componatur vel habeatur similis instructis scil. ordinibus, vel agminibus bellicis, ubi conserti viri hastis in altum porrectis incedunt. Bellissimam habes hic spicæ picturam. Cui plane congruit, quod Curtius de Macedonum agminibus: 'Vir viro, armis arma conserta sunt.' Græcorum τάξις Nostro pariter *ordo, agmen,* ἡγεμόνες τῶν τάξεων, *ordinum* vel *agminum duces.* Arrian. Expedit. Alex. v. p. 366. ed. Blanc. *Instructi* Homero, οἱ διαστάντες, σφέας

NOTÆ

285 *Et quia dispositis, &c.*] Rationem, ut aiunt, conformitatis aliquam reddere videtur, cur spicæ sidus dat parare horrea, cellasque messibus: quia et ipsa spica in certas cellas, certosque granorum ordines formatur.

Sculpentem faciet sanctis laquearia templis,
Condentemque novum cœlum per tecta Tonanti.
Hæc fuerat quondam divis concessa figura:
At jam luxuriæ paret. Triclinia templis
Concertant; tectique auro jam vescimur auro.

bus. Formabit artificem, qui cœlet laquearia in ædibus sacris, et qui faciat novum laqueare per ædes Jovis Tonantis. Hæc enim forma data fuerat olim solis Diis: sed jam nunc pars est luxus hominum. Scilicet jam privata conclavia contendunt cum ædibus sacris; et supertecti auro nunc etiam sumimus cibum in auro. Verum

αὐτοὺς ὀρτύναντες, Iliad. M. 86.' *Stoeb.*—289 Scal. Delph. et vulg. *tonantis.* Vetusti quattuor, *per tecta tenacis.* Lege, *tonanti.*' Bent.—291 Scal. Delph. et vulg. *Nunc jam l. pars est.* Gemb. et Lips. *pars et.* A Voss. abest *et.* Repone, *At j. l. paret.* *n̄c* et *at* facile permutantur. *Nunc jam* hoc loco ridicule.' *Bent.* 'Cod. Paris. et Regiom. *Nunc jam l. pars* (:) *et triclinia, &c.* Sic quoque editores ceteri, qui præterea hos quinque versus ipso eodemque loco, secus ac Scaligero visum, retinuerunt. Rectissime. Ratio nexus in spicæ falci maturæ colore, qui certe flavo similis auro. Totum hunc locum recitavit et, Scaligeri præsertim verbis, illustravit Gronov. ad Gell. xv. 8. pag. 676.' *Stoeb.*—292 '*Vescimur auro*] Hæc religiosi videtur esse lectio grammatistæ, qui æqua ferre mente non potuit *vescimur aurum*, quod ceteroquin juxta cod. Paris. vulgati Regiom. et ceteri omnes tenent. Observandum vero *τὸ vesci* activam et passivam sustinere notionem. Active sumptum id est quod *edere*, et gaudet accusativo. Passive dicitur pro *pasci*,

NOTÆ

289 *Condentemque novum cœlum, &c.*] Musivario scilicet opere. Opus autem musivum dicitur, v. g. pavimentum sectilibus scutulis aut tessellis structum, et ad regulam exacte perfricatum. Hæc autem pavimenti species vocatur *tesselatio*: artifices vero *tessellatores*. Duplicem autem *tesselationem* distinguit Plinius l. xxxv. 1. alteram quæ crustis marmorum diversicolorum vermiculatas animalium et rerum effigies referat; alteram, quæ marmoris maculas alieno marmori inserat, ac orbes aut ovatas figuras marmori includat. Sic Seneca epist. 87. 'Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis pretiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint.'

Novum cœlum] I. e. novum laqueare in modum cœli cavatum et arte cælatum. Alludit quippe ad illud etymon vocabuli *cœlum*, quod dictum sit S. Ambros. Hexamer. *cœlum*, quasi cælatum, impressa stellarum lumina habens. Vel ad etymon Græcum *κοῖλος cavatus*, quasi cœlum dicatur a concavitate. Quam autem Jovi Tonanti sacrarat ædem Augustus, illius cœlum, hoc est, laqueare, novis figuris distinguendum, maculis inserendum, ac orbibus pretiosis cælandum atque arte elaborandum curaverat. Forte et pavimentum etiam sectilibus scutulis aut tessellis structum erat, hoc est, musivario opere elaboratum.

290 *Hæc fuerat, &c.*] His 3. vss. arguit ex occasione luxum Romanorum, qui sicut ædes sacras, ita sua triclinia inaurabant; et auro bibebant, quod olim unis Divis erat concessum atque consecratum.

292 *Tectique auro, &c.*] I. e. cuban-

Sed parte octava surgentem cerne sagittam
Chelarum. Dabit hæc jaculum torquere lacertis,
Et calamum nervis, glebas et mittere virgis;
Pendentemque suo volucrem deprendere cœlo,
Cuspide vel triplici securum figere piscem.
Quod potius dederim Teucro sidusve genusve?
Teve, Philoctete, cui malim credere parti?

aspice sagittam exorientem cum octavo gradu signi libræ; tribuet et vibrare telum brachiis, et vibrare arundinem arcu, et jacere cespites verberibus, et attingere avem volitantem per summum aëra; aut etiam transfigere spiculo tridenti piscem tutum in aquis. Quodnam autem vel astrum vel quamnam genituram tribuerim magis Teucro? Vel te, o strenue Philoctete, cui sorti omnium siderum malim tri-

jungiturque ablativo, propter defectionem præpositionis *per*, *cum*, vel *de*. Utriusque notionis exempla prostant apud auctores probatissimos. Passiva quidem apud Plinium H. N. IX. 35. ubi: 'Parum est,' inquit, 'nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur.' Eadem est utrinsque verbi constructio; itaque et significatus obtinet passivus τοῦ *vescimur*, quem nisi admittas, insigni sermonem elegantia privabis. Active sumsit Accius apud Non. Marcell. in voce: 'Ne cum tyranno quisquam epulandi gratia accumbat mensam, aut eandem vescatur dapem.' Adde Tacitum Agric. cap. 28. med. 'Eo ad extremum inopiæ venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur.'' *Idem*.—294 Scal. Delph. et vulg. *Dabit et*. 'Immo, *dabit hæc*.' Bent. 'Lege, *dabit huc*.' Reines.—295 'Lege, *glebis admittere virgis*.

NOTÆ

tes sub tectis ac laquearibus inauratis sumimus cibum auratis crateribus. Scilicet materia pro opere. Sic Virg. Æn. I. 739. 'Pleno se proluit auro.' Et Georg. II. 506. 'ut gemma bibat;' i. e. patera ex auro et gemmis ornata.

293 *Sed parte octava, &c.*] His 5. vss. ait octavo libræ gradu exoriri sagittam, quæ dat jaculatores, sagittarios, qui et aves in aëre volantes, et pisces in aquis securos transfodere cuspide ac sagitta valeant.

Sagittam] I. 342.

294 *Chelarum*] Lib. I. 609. II. 629.

Jaculum] Teli genus, quod manu vibratur; Gallice, *un dard*.

295 *Calamum*] Materia pro re. Sagittæ quippe calamis et arundinibus constant. Virg. Æn. v. 525.

Nervis] Arcu; pars pro toto. Chorda enim arcus ex nervis construitur. Virg. Æn. v. 502.

Glebas] Vel cespites ac saxa, quæ verberibus seu funda emittuntur: vel glandes plumbeas, quæ calamis, quibus annexæ essent, in aëra mittebantur, et per aëra liquefiebant. Stat. Theb. x. 533. 'arsuras cœli per inania glandes.' *Gleba* autem genus est armorum, Cicer. pro Cæcin. § 54.

298 *Quod potius dederim, &c.*] His 5. vss. rem exemplo confirmat; vultque sub hoc sidere sagittæ natos esse Teucrum et Philoctetem peritissimos sagittarios.

Teucro] Ajacis fratri, Telamonis filio, qui sagittandi fuit peritissimus. Homer. Il. VIII.

299 *Philoctete*] Philoctetes Pæantis filius fuit, Herculis comes, et cui Hercules moriens pharetram reliquit et sagittas centauri et hydræ san-

Hectoris ille faces arcu de classe fugavit,
Mittebat qui vos, ignes, in mille carinas:
Hic sortem pharetra Trojæ bellique gerebat,

buere? Scilicet ille prior propulsavit arcu et sagitta ignes Hectoris, qui injiciebat suas faces in mille naves Græcorum: hic vero posterior tulit pharetram et arma in

Gronov. III. Observ. cap. 18. aliter exponit.' *Reines.*—300 Vulg. *arcus et tela fugavit.* 'Repone ex Gemb. *arcu teloque f.* [Et sic Delph.] Non multum aberamus olim a lectione. Nam a sententia non abfuimus *arcu telisque.* 'Ridiculum est *arcu teloque.* Voss. *telumque.* Lips. *telaque.* Unde repone, *H. i. f. a. de classe f.* Apud Ovid. Met. XIII. 7. Ajax, qui tum una cum fratre Teucro ἠρίστευσε, sic loquitur; 'At non Hectoreis dubitavit cedere flammis, Quas ego sustinui, quas hac a classe fugavi.'' *Bent.* 'Lectio vetusta nobis minime videtur absurda, *arcus et tela f.* Quæ si, propter vocem otiosam, ridenda, Bentleii judicio foret, eandem, necesse est, feras sententiam in illud Virgil. Æn. XII. 815. 'Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum.' Hac quidem ratione D'Orvill. ad Charit. pag. 388. sq. veterem lectionem defendit. Addimus et hoc, quod *tela*, ab arcu distincta, quævis missilia notant, in primis jacula; quæ sola manu mittuntur. Talia illa βέλεα, ἃ ἔῤῥεον ἐκ χειρῶν Homer. Iliad. M. 159.' *Stoeb.*—301 Vulg. *Mittebatque suos ignes.* 'Ita intelligeretur de Philoctete, quod est Hectoris. Sane vetus poëta dixisset: *Mittebat qui suos ignes:* ut Ennius et Lucretius. Sed Manilius nunquam hoc dixerit. Minimum receditur a lectione, si ita legeris: *Mittebat qui vos, ignes, in mille carinas.* quod valde placet.' *Scal.* 'Ita Scal. indigna tanto viro conjectura. Vetusti omnes *Mittebatque suos ignes et mille carinis.* Sed *suos ignes* quam barbare! *Mittebat* pro *pellebat*, quam languide! Nempe cum *de classe* depravatum semel esset in *telaque*, *teloque*, cuculus aliquis sensit deesse sententiæ *classem* vel *carinas*, unde faces Hectoris fugatæ sint.' *Bent.* 'Valde placet Scaligero hæc, quæ sua est, loci conclamati restauratio. Parum autem animadvertit vir summus, admodum frigide ad ipsos ignes sermonem converti. *Vos ignes*, qualis apostrophe! Proinde Barthius, Advers. p. 257. tentavit *frigios*, D'Orvillius ad Charit. p. 389. *Phrygios ignes* substituit et totum versum uncis parentheseos includit. Verum et hanc operam dedignatur Noster, cujus scripturam, tametsi non nimis corruptam, servant codd. Mss. et cum Regiom. vulgati omnes: *Mittebatque suos ignes, &c.* Unde certissima vel ultro se offert emendatio: *Mittebat quîs hos i. in m. carinas. quîs, quibus* pro cum quibus, scil. telis. Vides adeo, quam male rationi Manilianæ consulat, qui illa tela vs. præc. cum hoc ipso commate cupit eliminata, Bentleius. Telorum enim diserte facit mentionem

NOTÆ

guine illitas: peritissimus etiam sagittandi fuit, ut jam dicetur vs. 301.

300 *Hectoris ille faces, &c.*] Teucer enim, teste Homero Il. VIII. sub clypeo fratris sui Ajacis latitans multos Trojanos occulte ex insidiis vulneravit: navesque Danaorum liberavit ab igne, quem Hector in eas mittere conatus est. Quanquam non unus Teucer, sed et Ajax cum illo, ut ipse Ajax jactitat apud Ovid. Met. XIII. 91. 'Ecce ferunt Troës ferrumque ignesque Jovemque In Danaas classes: ubi nunc facundus Ulyxes? Nempe ego mille meo protexi pectore puppes, Spem vestri reditus: date tot pro navibus arma,' &c.

301 *Qui vos* [*suos*] Synæresis; monosyllaba vox, pro dissyllaba. Sic apud Virg. hæ trisyllabæ voces, al-

Major et armatis hostis subsederat exul.
Quinetiam ille pater tali de sidere cretus
Esse potest, qui serpentem super ora cubantem,
Infelix, nati, somnumque animamque bibentem,
Sustinuit misso petere ac prosternere telo.
Ars erat esse patrem: vicit natura periclum,

Trojam; et quamvis exulatus a suis remanserat tamen potentior hostis, quam arma gerentes. Immo etiam parens ille infortunatus, qui potuit ferire, et projicere vibrata sagitta anguem incubantem supra vultum sui filii, et sorbentem illius sanguinem et quietem, potuit esse creatus sub tali astro. Ars quidem fuit esse patrem;

Hom. Il. O.727. *Αἴας δ' οὐκέτ' ἔμιμνε, βιάζετο γὰρ βελέεσσιν. Hos ignes* cum emphasi legendum; est enim dictum pro *tot tantosque* ignes *in mille carinas*, numerus definitus pro indefinito. Vide supra ad IV. 631.' *Stoeb.* Delph. *Mittebatque suos ignes.* Vid. Not. inf.—302 Vulg. *Hic autem pharetram.* ' Gembl. *Hic ortam pharetram.* Legendum proculdubio: *Hinc ortam pharetram, T. bellumque g. Hinc*, ex hoc sidere, quod genus loquendi in his apotelesmatis frequentissimum. Infra: 'Hinc venient vocis dotes.'' *Scal.* Delph. *Hic autem et pharetram Trojæ bellumque g.* 'Vetusti omnes *hic*; sine dubio recte: *ille* Teucer, *hic* Philoctetes. Cetera ineptissima sunt, quæ ventilare piget. Repone, *Hic sortem pharetra T. bellique g.* Philoctetes fatum Trojæ et tam longi belli in pharetra sua gerebat: Troja enim sine sagittis Herculeis capi non potuit. Res pueris nota. Ulixes ad Pyrrhum de Philoctete: *Εἰ γὰρ τὰ τοῦδε τόξα μὴ ληφθήσεται, Οὐκ ἔστι πέρσαι σοι τὸ Δαρδάνου πέδον. Αἴρει τὰ τόξα ταῦτα τὴν Τροίην μόνα.' Bent.* ' Regiom. et reliqui vetustiores impressi, *Hic autem pharetram T. bellumque* (cod. Paris. *bellique*) *g.*' Stoeb.—307 Scal.

NOTÆ

veo, aureis. Sic apud Lucret. Hor. Juven. suave, suetus, suadet, et similes voces dissyllabæ fiunt. Rom. *mittebatque suos.* Quæ sunt veræ lectionis vestigia. Scaliger castigat, *mittebat qui, vos, ignes, &c.* Nec male.

302 *Hic sortem, &c.*] Nempe Philoctetes, qui ad bellum Trojanum deductus est, utpote qui solus Lernæis sagittis uti posset, quibus ex oraculo ad Trojam evertendam opus habebant Græci. Casu autem una e letiferis suis sagittis vulneratus in pede, relictus est a Græcis in Lemno insula: ex qua Ulysses eum ad Trojam traduxit, Paridemque singulari certamine sagittis interfecit. Hinc Manilius addit, 'Major et armatis hostis subsederat exul.'

303 *Armatis*] I. e. quam ceteri Græci tela mittentes in Trojam. Scilicet in fatis erat ut Lernæis sagittis everteretur Troja: unus autem Philoctetes iis bene uti poterat: casu igitur sagitta vulneratus licet a Græcis in Lemnum exulatus, necessario fuit revocandus.

304 *Quinetiam ille pater, &c.*] His 7. vss. iterum rem exemplo confirmat, aitque non alio sub sidere, quam sub sagitta natum Alconem Cretensem sagittarium, qui adeo sagittandi peritus fuit, ut draconem, qui super ora filii ejus in cunis cubans sanguinem bibebat, sagitta percusserit, non vulnerato puero. Sic Martial. lib. VI. et Valer. Flacc. I. Arg.

Et pariter juvenem somnoque ac morte levavit,
Tunc iterum natum, et fato per somnia raptum.
At cum secretis improvidus hædus in arvis
Erranti similis fratrum vestigia quærit,
Postque gregem longo producitur intervallo;
Solertes animos, agitataque pectora in usus
Effingit varios, nec deficientia curis,
Nec contenta domo. Populi sunt illa ministra,
Perque magistratus, et publica jura feruntur.
Non illo coram digitos quæsiverit hasta;

natura superavit periculum, et simul eripuit puerum et quieti et morti, tunc quasi rursus nascentem, et ereptum morti per somnos. Sed ubi inopinatus hædus, vaganti similis, investigat vestigia fratrum suorum inter occulta sidera, et profertur longo spatio post gregem, procreat ingeniosas mentes et animos solicitos circa rerum usus, et qui non fatigentur diversis solicitudinibus; et qui non sunt contenti sua familia, sed ministri sunt plebis, et obeunt magistratus et publica juris officia: hasta non careat omni digito, nec quacumque feratur, nec emtor bonorum

Delph. et vulg. *et prosternere.* 'Libri omnes, *ac prosternere.*' Bent.—311 Scal. Delph. et vulg. *in astris.* 'Quænam ista quæ hic memorat, *secreta astra?* Repone, *in arvis. Similis erranti in secretis arvis.* Auctor Nucis: 'Felix secreto quæ nascitur arbor in arvo.'' *Bent.*—314 Vulg. *a. p. fundit Et fingit.* 'Hæc depravata egregie restituit Gembl. *a.que p. in usus Effingit variis n. d. curis, Nec contenta domo.*' Scal.—315 Scal. Delph. et vulg. *variis.* 'Repone ex vetustis omnibus, *varios.* Ovid. Fast. II. 291. 'Vita feræ similis, nullos agitata per usus.'' *Bent.*—316 Vulg. *Nec tentata domo.* Reines. *Nec tentata domi.* Scal. et Delph. ex Gemb. *Nec contenta domo.*—318 Vulg. *Non ullos curant digitos.* 'Egregius antiquitatis locus fœdis maculis scripturæ obsolevit. Scripsit Manilius: *Non ullo careat digito, quaque iverit hasta, D. ve b. s.* Sectores aut mancupes manu sublata significabant se auctores emptionis esse, ut ait Festus. Inde in Verrinis digitum tollere in auctionibus: item apud Martialem: 'Nam mea jam digitum sustulit hospitibus.' Hoc est, Mea suppel-

NOTÆ

310 *Fato*] Morti, I. 1.

311 *At cum secretis, &c.*] His 13. vss. videtur Poëta docere cum ejusdem libræ octava parte surgere hædum, qui dat solertes animos, indelassata curis pectora, quæ suas ac domesticas res curare non habent satis, sed et publicas administrant; sectores, reos, et fraudulentos debitores. Verum quis sit ille hædus non satis constat. Neque enim plures inter sidera feruntur quam duo, de quibus jam supra fecit apotelesmata vs. 103. et quos cum arietis 20. grad. exoriri docuit. Est et capellæ sidus, seu olenies, quam pariter cum ultima arietis parte surgere dixit vs. 130. Firmicus autem VIII. 11. tradit hædum oriri cum 15. grad. libræ.

318 *Non illo coram digitos* [*ullo careat digito*] Sensus est, quod ex hoc sidere non deerunt, qui laborent ac curent de cognoscendis auctionibus, sectionibus, pœnis, et vadimoniis. Hasta scilicet olim apud Romanos figi solebat in auctionibus, cui bona

Defueritve bonis sector, pœnamve lucretur
Noxius, aut patriam fraudarit debitor æris. 320

defuerit, nec reus lucrifaciat supplicium, nec debitor æris alieni frustrarit pa-

lex in auctione mancupes invenit, ut amplius hospitibus servire non possit. Quamdiu, inquit, qui sub hoc signo nascetur, vivet, nunquam deerit, qui in sectionibus tollat digitum. Hastam autem in auctionibus poni solitam, puta quum bona damnati venderentur, vulgo palam est. 'Quaque' pro quacunque, et 'quandoque' pro quandocunque veteribus dictum notant et docti ætatis nostræ viri.' *Scal.* Et sic Delph. Reines. *quave.* 'Rem egregie explicavit Scaliger; in verbis lapsus est. Gemb. *Non ullo curam digito qui viverit hastæ.* Sic et ceteri tres; nisi quod Lips. *qui juverit*, Venet. *qui irruerit*, Voss. *que juverit.* Hic autem et Venet. *illo*, non *ullo:* omnes tres *hasta.* Repone, *Non illo coram digitos quæsiverit hasta.* Coram illo, numquam hasta caruerit digitis: hasta enim in auctionibus erigebatur, et licitatores digitum tollebant. Mos notissimus. Cicero I. Verr. c. 54. 'Accurrunt ad tempus tutores: digitum tollit Junius patruus:' et alibi non semel. Acutissimus Gronovius ad Statii Silvas, p. 408. sic refingit, *Non illo coram digito, qui juverit, hastæD. que b. s. Illo coram* feliciter: cetera, quæ dedit, perplexa sunt et ἑλικτά.' *Bent.* 'Cod. Paris. pariter ac Regiom. *Non ullo curam digito quæ quiverit hastam.* Hæc nulli bono. Editi Ald. Pruckn. et Molin. *Non ullo curant digito quaque iverit hasta.* Lege, cum Defensore Salmasii ad Jus Attic. *Non ullos curant digitos, quæque iverit hasta.* Non proscriptos, non addictos, nec pecuniæ publicæ condemnatos sub hædo nascituros ait Poëta; sed cognitores (vs. 321.) qui adsunt reis, et causam eorum defendunt. Hi sunt, qui nullum curant digitum sectoris. Nam digito sublato sectores sive mancipes significabant se auctores esse emptionis, ut notat Festus. Nec curant illi quacunque iverit hasta vel auctio, sive etiam defuerit bonis sector, adeoque noxius pœnam lucretur, i. e. absolvatur, aut (libri meliores rectius *et*) *patriam fraudarit debitor æris* scil. publici. Per hunc omnino intelligit reum de residuis vel peculatu, qui patriam, quod signate additum, pecunia publica fraudavit. Qui cum absolvitur, pœnam lucratur, et debitor pecuniæ publicæ fraudatorque nihilominus manet. Longe aliam hujus loci lectionem et interpretationem dedit Barthius ad Gratii Cyneg. vs. 12. Cui si quis accedere velit, equidem ei non succensebo.' *Stoeb.*—319. 320 Scal. Delph. et vulg. *Defueritque b. s. pœnamque l. N. et p. f. d. æ.* 'Immo repone, *Defueritve b. s. pœnamve l. N. aut, &c.*' Bent.—

NOTÆ

subjicerentur ut auctione publica venderentur. Hinc 'sub hasta subire,' i. e. vendi. Plaut. in Mostell. 'Qui trium nummorum causa subeunt sub hasta.' Gallice *vendre, ou être vendu à l'encan.* Sectores autem aut mancupes manu sublata significabant se auctores emtionis esse, ut ait Festus. Hinc in Verrinis, 'digitum tollere in auctionibus,' et Martial. 'Nam mea jam digitum sustulit hospitibus.' Sup. supellex: i. e. mea supellex in auctione mancupes invenit, ut amplius hospitibus servire non possit. Itaque sensus horum trium versuum Manilii hic est, ut quamdiu sub hoc sidere hædi nascentur homines, aut vivent, non deerunt qui sublato digito auctiones faciant: non deerunt qui bona publicata emant in auctionibus: non deerunt qui de peculatus reis pœnas petant: qui debitores æris alieni impune sinant abire ac patriam relinquere. Erit etiam qui cognituris seu sectionibus præsit.

319 *Sector*] Sectores dicebantur ii,

Cognitor est urbis. Necnon lascivit amores
In varios, ponitque forum, suadente Lyæo;

triam. Natus sub hoc sidere cognituris præest: atque etiam verbis petulans fertur in diversas libidines, et relinquit illud forense munus, et se dedit Baccho: agi-

321 Vulg. *C. est verbis.* ‘ Lege, *C. est urbis.* Cognitor et sector pene idem. Est autem is, qui sectionibus præest, cujus munus cognitura dicitur. Suet. in Vitellio: ‘ Filius sectionibus et cognituris uberius compendium nactus.’ Ovid. ‘Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ, Quas aliquis duro cognitor ore legat.’ Glossæ: *Cognitor, ἔκδικος.* Est ergo proprie, qui compendii sui caussa nullum non manubiarum genus experitur. Apud Asconium *cognitor* est, qui præsentis caussam defendit: apud Prudentium judex quæstionis, in Romano: ‘ hic tum cognitor pronunciat, Claudatur infans carcere.’ Minus hæc intelligit paraphrastes Firmicus, qui publicorum officia vectigalium tractaturos scribit.’ *Scal.* Et sic legendum vult Reines. Delph. *verbis.* Vid. Not. inf. ‘ Legendum omnino cum scriptis et editis optimæ notæ, *verbis.* Neque tamen in sententiam concedimus Auctoris Observat. ad Jus Attic. qui interpungit, *Cognitor est* (.) *Verbis nec non, &c.*’ Stoeb.—322 Vulg. *ponetque f.* ‘ *ponitque f.* Gembl. Quadruplaturis, cognituris, sectionibus volup-

NOTÆ

qui compendii sui causa bona damnatorum emebant in auctionibus, ac postea pro suo compendio venditabant. Hinc a Cicer. II. Philip. Antonius appellatur ‘Pompeii sector,’ quod ejus bona emisset. Ita Asconius. At Laur. Vall. I. Eleg. sectores vocat illos accusatores, qui ex damnatione accusati dimidiam bonorum partem expectabant, aut certam aliam partem sequebantur. Budæus sectores vocat eos, qui delationibus faciendis confiscationes a principibus impetrant, ut homines insontes fortunis omnibus evertant.

Pœnamve lucretur, &c.] I. e. non erit quisquam de peculatu reus, qui peculatum impune fecerit. Scilicet nascetur sub hoc sidere quadruplator, qui reos accuset et persequatur. Igitur *lucrari pœnam* est aliquod scelus impune committere.

320 *Debitor æris*] I. e. nascentur quadruplatores sub hoc sidere, qui debitores æris alieni non sinant abire e patria, creditoresque suo ære fraudari, quippe quia insectabuntur illos, donec æs alienum solverint.

321 *Cognitor est urbis:* [*C. est: verbis,*] *&c.*] Ita interpungendum: i. e. quadruplator erit, quem vulgo dicunt procuratorem judicialem, Gall. *procureur fiscal,* qui auctiones curet, qui cognituris præsit, ne sector desit in auctionibus: ne in ære alieno fraus subrepat: ne in reorum pœnis ipsi rei pœnam lucrentur, ac impune crimen admiserint. Scaliger legit, *cognitor est urbis.* Verum non dicitur *cognitor urbis,* sed simpliciter *cognitor.* Nascuntur igitur et cognitores sub hoc sidere hædi.

Necnon, &c.] Nascuntur et sub hoc sidere qui verbis lasciviant in varias libidines: qui res illas forenses interdum ponant, ut vino indulgeant. Itaque cognitor ejusmodi prædictus auctionibus, sectionibus, ac cognituris aliquando supersedebit, ut Veneri ac Baccho indulgeat. Namque per *forum* intelligit sane Poëta prædictas res forenses, nempe cognituras, sectiones, et auctiones. Ita enim ratio postulat.

322 *Lyæo*] Baccho, i. e. vino. Bacchus enim cognominatur *Lyæus,* verbo

Mobilis in saltus, et scenæ mollior arte.
Nunc surgente nepa, testudinis enatat undis

lis est etiam ad saltationes, et plus æquo effæminatus in arte scenæ. At vero quando lyra exoritur, figura illius testæ, quæ retulit solum per sui hæredem ea,

tates etiam interjiciet: neque semper publicis illis muneribus distringetur. Nam fori appellatione quadruplaturam, secturam, et cognituram intelligit. Itaque τὸ *ponitque forum*, est abjicit curam fori, cognituræ, sectionis, quadruplaturæ, &c. Hinc colligitur recte a nobis correctum, *cognitor est urbis.* Est enim publica persona. ideo in foro venali, et hasta ejus cura. Ibid. *madetque Lyæo*] Interpolatum, ut et illud apud Boninc. Ibid. *mandetque Lyæo*] Gembl. *suadetque Lyæo.* Profecto Manil. scripsit: *se datque Lyæo.* Adstipulatur paraphrastes Firmicus: 'vinoque et epulis deditus.'' *Scal.* Et sic Delph. 'Sic Scaliger; cum Gembl. habeat *sua detque;* tres reliqui, *suadetque.* Repone, *ponitque f. suadente Lyæo.* Deserit forum, suadente et invitante Baccho.' *Bent.* '*ponitque forum*] id est, abjicit curam fori, cognituræ, &c. Regiom. *ponet et for.* Cod. Paris. vulgatam tenet. *suadente Lyæo*] Hæc nova locutio, eaque notæ minus probæ. Latine dicendum foret, *auctore Lyæo.* Vetus scriptura multo sonantius sic, *madetque,* vel, ut cod. Paris. *madet atque Lyæo,* i. e. vino. recte.' *Stoeb.*—324 Scal. Delph. et vulg. *surgente lyra.* 'Quid hoc est, *Surgente lyra?* testudo sive lyra oritur? Ubi vero est *scorpios,* qui post chelas sive libram ordine suo sequi hic debebat? Repone, *N. s. nepa.* Cum prima, inquit, parte nepæ, surgit lyra: ut infra versu 339. cum octava parte *nepæ,* surgit ara: ubi tamen librarii, ut hic *lyra,* ita *pari* dederunt pro *nepæ:* quam emendationem Scaligero debemus.' *Bent.* 'Libri optimæ notæ legunt *lyra.* Sic quoque Pontedera Epist. § 6. quem operæ pretium est ad

NOTÆ

Græco λύειν, i. e. *solvere,* quod membra solvat ac curet vinum, pro quo Bacchus a poëtis usurpatur; vel a nomine Græco λύα, *rixa,* quod rixas excitet vinum.

323 *Mobilis in saltus*] Notat sub hoc eodem sidere nasci pantomimos, qui gestu et voce res expromunt.

Scenæ mollior arte] Notat et histriones. Scena proprie tabernaculum significat ex frondibus et ramis inumbrationis causa compositum, a voce Græca σκιὰ, *umbra.* Sed quoniam olim Attica juventus, cum adhuc vicatim ageret, in ejusmodi tabernaculis carmina quædam incondita decantabat, fabulasque suo more agebat, factum est ut postea in urbibus degens theatris suis idem nomen *scenæ* dederit. Quod et Romani nomen idem retinuerunt, *scenamque* pro quintuplici theatrorum genere usurparunt. Est enim scena tragica, comica, satirica, versatilis, ductilis. Scena tragica columnis, fastigiis, palatiis, signis, et alio regali apparatu ornabatur. Comica privatorum ædificiorum ac mediocris cultus speciem habebat. Satirica arboribus, montibus, speluncisque exornabatur. Versatilis subito tota machinis vertebat diversas formas, faciemque diversam præbebat. Ductilis contractis tabulatis hac atque illac interiorem picturæ speciem denudabat. Hinc per has voces *scenæ mollior arte* notat Poëta histriones et comœdos.

324 *Nunc surgente nepa* [*lyra*], *&c.*] His 13. vss. ait Poëta cum libræ grad. 8. quoque surgere primam lyræ partem, quam testudinem seu cameram vocant. Neque enim est

Forma, per hæredem tantum post fata sonantis,

quæ præludit, emergit ex aquis oceani; qua scilicet olim Orpheus Œagrius reddens

hunc locum conferre.' *Stoeb.*—325 'Post hunc versum interjice: *Chelarum surget quum pars vicesima sexta.* Nam deest locus sive pars signi, in qua oritur lyra. At iste versus eo loco, ubi vulgo legitur, inepte positus est. quia si eum ibi esse sinamus, maxima absurditas consequetur, ut ara sit in vicesima sexta parte libræ simul et octava scorpii. Quid potuit absurdius excogitari? In vulgatis exemplaribus Firmici omissus est hic locus totus de lyræ tam ortu quam occasu. At Boninc. videtur usus codice Firmici, in quo lyra dicatur oriri parte libræ. Sed neutrum verum est. Nam hodie tota lyra extat supra finitorem barbaricum in octava sagittarii, non in quinta parte capricorni, ut nugatur Bonincontrius. Tempore vero Manilii lyra oriebatur a IV. scorpii, ad XV. ejusdem, hor. 0. 45'. in finitore barbarico. Igitur lyra oriente, fidicines, flatores tibiarum, hydraulæ, organarii, cantores nascentur.' *Scal.* Ibid. vulg. *per heredem tantum prolata Tonantis.* 'Quis est iste heres Tonantis, qui lyram protulit? Dicunt a Mercurio prolatam. Sed ubi sunt tabulæ testamenti, quibus Jupiter instituit heredem suum Mercurium, quum morietur ipse? Commentitia est lectio. Gembl. *per heredem tantum præfata sonantis.* Optime. Heres Lyræ est Orpheus: nam a Mercurio facta Orpheo tradita est, auctore Hygino et Nicomacho Geraseno lib. II. Musices. Ea igitur lyra per solum Orpheum duntaxat sonabat præfata, id est, *τὰ προοίμια, προκιθαρίσματα, ἐνδόσιμα.* alio enim tangente non sonabat. quasi nulli citharœdo pareret præterquam Orpheo heredi ipsius lyræ.' *Idem.* Et sic Delph. 'Sic quidem Gembl. et Lips. quæ mirifice interpretantur Scal. et Huet. *præfata* scilicet substantive præludia, *προοίμια*; sic et testudo præludia sonuerit per heredem solum Orphea; alio tangente non sonuerit. Nec verba attigerunt, nec sententiam. Codex Venet. *profata.* Voss. *post fata.* Repone, *Forma, p. h. t. post fata s. Heredem tantum*, h. e. tam magnum, Mercu-

NOTÆ

cur Scaliger arguat hic lyram surgere cum 20. gr. libræ. Namque bene quidem Manilius infra vs. 387. ait cornua lyræ surgere cum vigesimo libræ gradu: sed non est cur pars lyræ posterior, seu camera lyræ, qua exoritur in cœlis, oriatur cum 20. gr. libræ. Eodem enim orationis textu et sensu loqui videtur Poëta de lyræ primo exortu, ac de hædi et sagittæ ortu. Dixit autem vs. 293. exoriri sagittam cum 8. grad. libræ: et vs. 306. hædum surgere pariter cum eodem 8. libræ grad. Neque enim Poëta rem aliter notat. Itaque docet sub lyræ testudine exoriente nasci cantores, citharædos, fidicines, et qui inter epulas cantu Bacchum mulceant, et inter curas murmure furtivo carminum mentem suam levent, sibique ipsi ad aures proprias perpetuo cantent.

Testudinis] Testudo lyræ, camera est seu testa, quæ posteriorem lyræ partem effingit, qua inter sidera exoritur. Cur autem lyra dicatur testudo, fabulas retulimus I. 324. et Hygin. refert Poët. Astron. II.

325 *Per hæredem, &c.*] Notat Poëta fabulam Orphei, qui unus hæres fuit illius testudinis, quam invenit, exesa carne, relictis solis nervis, quos digitis percutiens non inamœnum reddebant sonum; et ad cujus imaginem lyræ deinde formatæ sunt. Hinc lyra, seu testudo illa, quæ in cœlis est, per unum Orpheum sui hæredem præfata sonabat: eamque inter sidera relatam volunt poëtæ. I. 331.

Qua quondam mentemque feris Œagrius Orpheus,
Et sensus scopulis, et sylvis addidit aures,
Et Diti lacrymas, et Parcis denique filum.

sonum, dedit et saxis sensus, et sylvis aures, et Plutoni lacrymas, et tandem morti

riam intellige, qui ex mortua testudine primus lyram effecit. Historia vulgatissima.' *Bent.* 'Cod. Paris. *prælata tonantis.* Regiom. et editi ceteri, *prolata ton.* Optima quin et verissima hujus loci elicitur interpretatio, si scripseris, uti Molinius recte, *Tonantis*, i. e. Jovis. Integrum locum sic habe: *Nunc surgens lyra testudinis enatat undis Forma, per heredem tantum prolata Tonantis.* Ea, inquit, oritur lyræ forma, quæ prolata, i. e. inventa, prodita, producta est per tantum, i. e. tam magnum Tonantis heredem, qui est Mercurius, Jovis et Maiæ Atlantis filius. De hujus lyræ inventione et forma uberius Natalis Comes Mythol. v. 5. p. m. 438. pr.' *Stoeb.*—326 Vulg. *sonitumque ferens.* 'Mallem *serens.*' Scal. 'Lege, *sonitum referens.* De re eadem egit I. 4.' *Reines.* Et sic Delph. Et mox 328. Scal. Delph. et vulg. *et morti denique finem.* '*Serens* a Scal. est: nam libri omnes *ferens;* et Voss. præterea *somnumque.* Haud dubie mendosa sunt, *sonitumque ferens*, seu *serens.* Conjunctio *que* prorsus supervacua est; et continuo post *sonantis* addere *sonitum* non poëtæ est vigilantis. Repono, *Qua quondam mentemque feris ... et Parcis d. filum.* Versus sane egregii: Ovid. Metam. XI. 1. 'Carmine dum tali silvas animosque ferarum Threicius vates et saxa sequentia ducit:' et mox versu 41. 'perque os (pro Juppiter) illud Auditum saxis, intellectumque ferarum Sensibus, in ventos anima exhalata recessit. Te mæstæ volucres, Orpheu, te turba ferarum, Te rigidi silices, tua carmina sæpe secutæ Fleverunt silvæ.' Ceterum addidit *filum Parcis*, non *morti finem.* Fine enim morti data, nemo postea moreretur. Filum addidit Parcis, cum Eurydicen uxorem mortuam, iterum victuram recepit. Parcarum fila, stamina, colus, pensa, cui non cognita? Orpheus apud Ovid. Met. X. 31. 'Eurydices, oro, properata retexite fila.' Statius Silv. III. 1. 172. 'Parcarum fila tenebo, Extendamque colos; duram scio vincere mortem:' et Theb. VIII. 57. Pluto de Orpheo narrat, 'Odrysiis etiam (pudet heu) patuisse querelis Tartara: vidi egomet blanda inter carmina turpes Eumenidum lacrimas, iterataque pensa sororum.' Martial. IV. 54. 'Nil adicit penso. Lachesis.' et VII. 46. 'Et raptas fatis reddidit ipse colos.'' *Bent.* 'Restituo e cod. Paris. et editis vetustis, *sonitumque ferens*, ubi hoc *que* ad metrum, non ad sensum, supplendum facit. 328. *et Parcis d. filum*] Cur non retineamus potius antiquam lec-

NOTÆ

326 *Œagrius Orpheus*] Orpheus enim, de quo I. 332. filius fuit Œagri ex Calliope Musa. Orpheus autem adeo perite lyra canebat, ut saxa, sylvas, manes, Plutonem, et mortem ipsam cantu lyræ ceperit; I. 332. 'Qua quondam ceperat Orpheus Omne quod attigerat cantu, manesque per ipsos Fecit iter, domuitque infernas carmine leges,' &c. Et Virg. Æn. VI. 119. et seqq.

328 *Diti*] Plutoni, quem *Ditem* vocant a divitiis. Huic autem addidit lacrymas Orpheus, dum accepta lyra apud Inferos delapsus Plutonem et Proserpinam carmine tantopere demulsit, ut uxorem Eurydicen ab Inferis reduxerit, ut notatum est I. 332.

Et Parcis filum [*morti finem*] Domuit quippe mortis leges, quibus cautum est ac vetitum ne quis vita functus ex Inferis revocetur ad superiores auras, vitaque iterum fruatur:

Hinc venient vocis dotes citharæque sonantis,
Garrulaque in modulos diversa tibia forma,
Et quodcumque manu loquitur, flatuve movetur.
Ille dabit cantus inter convivia dulces,
Mulcebitque sono Bacchum, noctesque tenebit.

finem. Ex hoc sidere creabuntur munera vocis canoræ, et fistula loquax, quæ reddit varia modulamina boreæ sonori ; et id omne instrumentum quod sonat ope manus, et pulsatur flatu. Natus sub hoc sidere reddet jucundos cantus inter epulas, et mitigabit suo cantu Bacchum, et ducet noctes cantando. Immo etiam inter ipsos

---

tionem, *et morti d. finem?* Quod saltem in Eurydice factum, quam Orpheus, Plutone, et Proserpina cantus suavitate placatis, secum ex Inferis abduxit.' *Stoeb.*—329 Vulg. *H. v. voces doctæ belleque sonantes.* 'Plane ἰδιωτισμὸν redolent. Gembl. longissime ab hac vulgata lectione discedit: *H. v. vocis dotes, Boreæque sonantis. Vocis dotes,* acroamata, et cantores. *Boreæque sonantis:* ἐμπνευστα ὄργανα Athenæo, aliis πνευστικὰ, quæ vento animantur, sive tibiæ sint, sive hydraulica. Artificiose enim expressit triplicem soni naturam, ἁρμονικὴν, ὀργανικὴν, ῥυθμικὴν. *vocis dotes* ἁρμονική. *Garrula, quæ modulis,* ὀργανική: ex flatu enim consistit. *Et quodcunque manu loquitur,* ῥυθμική. quæ impulsu digitorum numeros recipit.' *Scal.* Et sic Delph. 'Quid boreæ cum musicis? abeat hinc in Scythiam suam. Voss. *boreæ:* unde Vossius ad Catullum substituit, *auræque.* Tu repone, *Hinc venient vocis dotes citharæque sonantis.* Ita lib. IV. vs. 529. 'sed dulci tincta lepore Corda creat, vocisque bonis citharæque sonantis Instruit, et dotes cantus cum pectine jungit.' Ovid. Metamorph. v. 112. 'Sed qui pacis opus citharam cum voce moveres.' Statius Achilleid. I. 578. 'digitosque sonanti Infringit citharæ.'' *Bent.* 'Cod. Paris. cum Gemblac. *boreæque sonantis.* Regiom. *belleque son.* Propius ad verum accedere nobis videntur editi Ald. et Molin. *voces docte belleque son.* Vel etiam Pruckn. *voc. doctæ, belleq. son.* Qua quidem nos lectione contenti, recensendis doctorum Belgarum conjecturis, quæ in collectis eorum observationibus ad h. l. passim leguntur, otii quippe parci, lubentes supersedemus.' *Stoeb.*—330 Vulg. *Garrula quæ modulo diversa tibia forma.* 'Manifesto legendum: *G. quæ modulis diverse t. formai.*' Scal. Reines. *Garrula per modulos.* Delph. *G. quæ modulos diversos t. format.* 'Ita Scaliger: sed vetusti codices, *G. quæ modulos diversa t. forma.* Nisi quod Vossianus, *Garrulaque modulos:* et Venetus, *Garrulaque in modulos.* Recte: et sic repone, ut et Vossius ad Catullum, *Garrulaque in modulos diversa t. forma. Garrula in modulos:* modus loquendi multum Nostro dilectus. Ita II. 39. 'et Pana sonantem In calamos.' et 246. 'ariesque in cornua torvus.' ubi vide plura.' *Bent.* 'Regiom. et ceteri impressi vetustiores juxta cum cod. Paris. *Garr. quæ mod.*' Stoeb.—331 Scal. Delph. et vulg. *manu l. flatuque m.* ''Scribe *manus,*' inquit doctissimus Huet. Non obtempero. Non enim *manus,* sed cithara vel tibia *manu* loquitur. Noster IV. 154. 'Et graciles calamos, et nervis insita verba.' Lucret. IV. 978. 'Et citharæ liquidum carmen, chordasque loquentes.' Ceterum pro *flatuque,* lege *flatuve.*' Bent.—333 Vulg. *M. que a.*

NOTÆ

reduxit enim uxorem suam ex Inferis.

329 *Citharæ* [*boreæque*] *sonantis*] Per boream sonantem intelligit flatum omnem quo tibiæ, fistulæ, aut organa resonant.

331 *Quodcumque manu*] Intelligit instrumentum omne musicum quod manu pulsatur ac digitis.

333 *Bacchum*] Vinum aut vinolentiam, IV. 204.

Quinetiam curas inter, secreta movebit
Carmina, furtivo modulatus murmure vocem:
Solus et ipse suas semper cantabit ad aures.
Chelarum surget cum pars vicesima sexta
Hinc distante lyra, quæ cornua ducit in astra,

rerum curas, cantabit tacitos versus, movens vocem clanculo sonitu: et ipse quoque solus perpetuo canet ad suas aures. Inde lyra remota, quæ attollit cornua sua ad sidera, cum vigesimus sextus gradus libræ exorietur, ex adverso scorpionis vix

B. noctesque tenebit. 'Τὸ *noctesque tenebit* non est nauci. In Gemb. et in textu Boninc. sequitur versus mala fide ab aliis editionibus omissus, *Quin etiam curas inter secreta movebit.* Dabimus integrum locum; et præstabimus: *M. quæ s. Bacchum, noctisque tenebris. Quin etiam curas inter secreta movebit Carmina, f. m. m. v.* Manifesta sententia neque indigens interpretis: figura Maniliana ἓν διὰ δυοῖν: *sono noctisque tenebris:* sono nocturno. Vera est lectio.' *Scal.* 'Libri veteres, *noctesque tenebit:* Voss. solus, *noctemque.* Repone, *M. q. s. B. noctesque tenebit*; hoc est, producet noctes, morabitur, longiores faciet; ne mane appetente convivæ discedant. Martial. II. 89. 'Quod nimio gaudet noctem producere vino.' Ovid. Met. I. 682. 'Sedit Atlantiades, et euntem multa loquendo Detinuit sermone diem.'' *Bent.* Et sic Delph.—334 '*Quin etiam, &c.*] Hæc neque in cod. Paris. neque in ullo editorum adparent. Primus produxit Scaliger e cod. Gembl. cui ut locum faciat, versu superiore, sua potissimum fide, mutavit *noctisque tenebris* (.) Nostri vero libri rectius, sine interpunctione, *noctesque tenebit Carmine f. m. m. v.*' Stoeb.—338 *Hinc distante lyra.* 'Quis hæc intelligit? Hinc distante lyra in XXVI. parte libræ, sed e regione scorpii *ara surgit.* Sunt oracula ægrotantium. Ara igitur surget eodem tempore in XXV. libræ cum lyra, et e regione ejus in octava parte scorpii? Sane digna quæ asini interpretentur, non homines. Acrostichides et acroteleutia hujus distichi inter se commutarunt, quæ ita restituuntur: *Chelarum surget quum pars vicesima sexta: Hinc distante lyra, quæ cornua ducit in astra.* Sed prior versus suo ordini redditus supra. Deinde quam inepta erat trajectio, *Chelarum surget, quæ cornua ducit in astra:* ita restitutio primum versuum inter se implicatorum, deinde loco suo luxatorum, postremo mendi, quod est in sequenti versu, est omnium emendationum maxime notanda, quæ in hoc poëta præstitæ sunt.' *Scal.* 'Versus spurii et insulsi. Quid est *distante lyra;* cum de lyra jam transactum sit? Quid pars XXVI. chelarum; cum jam de scorpio agatur? Hos tamen vss. sic dissolvit Scal. *Chelarum surget cum pars vicesima sexta. Hinc distante lyra, quæ cornua ducit in astra.* Et priorem ex his ponit post vs. 325. loco alienissimo, *Forma per heredem tantum post fata sonantis, Chelarum surget cum pars vicesima sexta. Qua*

NOTÆ

337 *Chelarum*] Libræ, ut jam monui vs. 294.

338 *Hinc distante lyra, &c.*] His 11. vss. ait cum 26. libræ grad. exoriri et cornua lyræ, cujus apotelesmata non memorat: et aram, quod thuribulum vocant; quo sub sidere nascantur templa colentes, versores, cantores sacri, et prophetæ.

Hinc] I. e. ex octavo gradu libræ sublata lyra ad 26. grad. qua parte libræ cornua lyræ surgunt, ut supra monui, et quod colligere est ex illius situ inter sidera, I. 332.

Cornua] Quæ duo sunt lyræ manubria, seu brachia, quæ attolluntur etiam inter sidera, sed quibus non surgit lyra.

Sed regione nepæ vix partes octo trahentis,
Ara ferens thuris, stellis imitantibus, ignem,
(In qua devoti quondam cecidere gigantes,
Nec prius armavit violento fulmine dextram
Jupiter, ante focos quam constitit ipse sacerdos;)
Quos potius finget partus, quam templa colentes,

trahentis octo gradus, ara, quæ dicitur thurifera, exoritur, ferens, stellis referentibus, flammam, in qua olim devoti gigantes a Jove perierunt. Neque enim Jupiter cepit dextra fulmen infestum, antequam ipse sacerdos steterit coram Diis. Quos igitur natos magis procreabit ara, quam qui colunt ædes sacras, et qui ministri sunt

quondam mentemque feris, &c. Ergo testudo non sonat, nisi parte libræ XXVI. surgente? Aut ea libræ pars surgit post primam scorpii? *Qua* autem hoc pacto non cum *testudine* jungetur, sed cum parte. Ergo Orpheus silvas et feras domuit XXVI. parte libræ? Vides quot incommoda: nec minora fere in altero vs. quem suo hic loco relinquit. Audi tamen τὸν πάνυ de hoc suo facinore gloriantem: 'Restitutio,' inquit, 'primum versuum inter se implicatorum,' &c. Non credemus: centies centiesque felicius tibi conjectura cessit. *Nepæ* quidem egregie, reliquum vero ἄῤῥητον ἄμεινον.' *Bent.*—339 Vulg. *S. r. pari v. p. o. trahentes.* 'Si ultimam syllabam in voce *regione* repetiveris, veram lectionem pene adeptus fueris. Adjuva igitur, et lege: *S. r. Nepæ v. p. o. trahentis.* Verissima emendatio. Scriptum fuerat *nepai*, ut infra *carai* pro *caræ*. Sic Aimilius, Æmilius. Igitur in octava parte scorpii ara oritur, vel, ut Manilius loquitur, ara oritur e regione nepæ vix dum trahentis octo partes. Sæculo Manilii ara oriebatur suprà finitorem barbaricum a XV. capricorni hor. 1. 15′. Longe igitur abest a vero hic noster, quæcunque fuerint illa parapegmata barbarica aut vera, quæ non intellexit, aut falsa, quæ illi imposuerunt. Firmicus oscitanter legit auctorem suum, qui dicat aram oriri cum prima scorpii: qui tamen recte confirmat emendationem hanc illustrem *E regione nepai*. Bonincontrium autem decepit ridicula trajectio versuum de XXVI. parte chelarum.' *Scal.* 'Vs. 337–340 apud Pontederam § 6. fin. ad codicis præsertim Paris. et Regiomontani normam, rectius dispositi apta cum declaratione leguntur.' *Stoeb.*—343 Scal. Delph. et vulg. *ante Deos.* 'Cur *ante Deos?* Immo ante aram. Hoc enim sacerdotis est: Seneca, Thyeste 691. de Atreo: 'Ipse est sacerdos; ipse funesta prece Letale carmen ore violento canit.' Repone igitur, *ante focos. Ante focos* id quod ante aram. Virg. Æn. XII. 118. 'In medioque focos et Diis communibus aras.' Tibull. IV. 6. 'Staret ut ante tuos conspicienda focos.' Ovid. Fast. VI. 307. 'Nunc quoque cum fiunt antiquæ sacra Vacunæ Ante Vacunales stantque sedentque focos.'' *Bent.*—344 Vulg. *fingent ortus.* 'Scribe *finget ortus.* Refertur enim ad aram, et est hyperbaton.' *Scal.* 'Libri *fin-*

NOTÆ

339 *Sed regione nepæ*] I. e. ex adverso scorpionis. Nepa enim scorpius est, II. 32. IV. 356. Lyra autem sita est extra tropicum cancri, scilicet inter olorem et herculem: scorpius vero quasi ex opposito medius cingitur tropico capricorni, I. 268. et 332.

340 *Ara*] Thuribulum, ut dictum est I. 427.

341 *In qua devoti, &c.*] Ut dictum est I. 332. et seqq.

344 *Templa colentes*] Puta ædiles aut sacerdotes.

Atque auctoratos in tertia jura ministros,
Divorumque sacra venerantes numina voce,
Pæne Deos, et qui possunt ventura videre?
Quatuor appositis centaurus partibus effert
Sidera, et ex ipso mores nascentibus addit.
Hic mulos aget aut mannos, mixtoque jugabit
Semine quadrupedes, aut curru celsior ibit;
Aut ornabit equos phaleris, aut ducet in arma.

tertii ordinis ex sacramento astricti; et qui sacro cantu colunt potentiam Deorum; et qui sunt ferme Dii, et qui queunt prævidere futura? Quatuor autem additis gradibus centaurus profert suas stellas, et dat ex seipso studia natis sub se: scilicet natus sub illo vel agitabit mulos, vel mannos, vel copulabit quadrupedes ex diverso semine natos, vel volitabit sublimior curriculo; vel imponet arma equis, vel

gent. 'Lege *finget partus.*' Bent.—346 Vulg. *sacras . . . voces.* Correxit Scal. ex Gemb. Et sic Reines.—350 Vulg. et Rom. *Aut stimulos aget aut omnes mixtosque jugabit.* Jun. Bitur. *Aut stimulos aget arte omnes.* Reines. *Aut stimulis aget ante oculos m. q. j.* 'Lege bona fide: *Aut mulos aget aut mannos mixtosque jugabit.* Et sic Delph. '*Mulos aut mannos*, palmaria Scal. emendatio: nam veteres tres, *Aut stimulis agit aut omnis;* Voss. *Aut stimuli sagittavit onus.* Repone parva mutatione, *Hic m. a. a. m. mixtove jugabit S. q. Hic aget*, ut mox 'ille tenet.' *Mixto semine*, ut Claud. in Mall. Cons. 302. 'Obvia fulminei properent ad vulnera pardi Semine permixto geniti, cum forte leænæ Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter.'' *Bent.*— 352 Scal. Delph. et vulg. *onerabit e. armis.* 'Hæc inepta et putida sunt. Quorsum enim onerare equos armis? aut si onerentur, quo ducentur nisi in arma? Repone, *Aut ornabit equos phaleris.* Virg. Æn. v. 310. 'Primus equum phaleris insignem

NOTÆ

345 *Atque auctoratos, &c.*] Qui templa scopis purgabant, i. e. versores. Triplex enim in jure sacro fuit ordo. I. 'Ιεροφάνται, *sacrorum antistites*, qui sacra et cærimonias edocebant. II. 'Ιερεῖς, *sacerdotes*, qui sacra faciebant. III. Νεωκόροι, *versores*, qui templa scopis purgabant. Igitur *auctoratos* vocat eos, qui ad tertii ordinis munus in sacro jure obeundum sacramento obligabantur, quos *νεωκόρους, versores*, vocant.

348 *Quatuor appositis, &c.*] His 9. vss. ait exoriri centaurum meridionalem cum 12. grad. scorpionis. 'Qui sub hoc sidere natus fuerit,' inquit Firm. VIII. 13. 'aut erit auriga, aut equorum nutritor, et cultor, vel eorum exercitator, aut mulo-medicus, vel equitarius.'

Centaurus] Nimirum meridionalis, I. 425.

350 *Mannos*] Burrichos, ut aiunt; i. e. minutos mulos. Martial. XII. 24. 'Nusquam est mulio: mannuli tacebunt.' Vel parvulos equos, qui tolutim vestigia glomerantes commodam sessori præbent vectationem; Gallice, *petits chevaux qui vont l'amble; hacquenées.*

351 *Mixto* [*mixtos*] *Semine quadrupedes*] Mulos, qui ex equa et asino generantur. Igitur talis homo erit pruriga, i. e. qui equabus mares admittat.

352 *Ornabit equos phaleris*, [*onerabit equos armis*,] *&c.*] I. e. equistrator

Ille tenet medicas herbas ad membra ferorum:
Hoc est artis opus non expectare gementes,
Sed non auditos mutorum tollere morbos,
Et sibi non ægros jamdudum credere tales.

aget equos in bella: alter etiam scit medicam scientiam ad sanandos artus equorum, scit etiam levare morbos non intellectos animalium non gementium. Scilicet id spectat ad hanc artem, non expectare conquerentes, et non committere sibi corpus

victor habeto.'' *Bent.* 'Lege, *ornabit equos armis.* Lucret. II. 'Classem ornatam armis belli simulacra cientem.' Nepos in Hannib. 'elefas ornatus.' Vide ad eum locum Gebhardum.' *Reines.*—353 Scal. et vulg. *I. t. m. artes a. m. ferarum.* Delph. *ferorum.* 'Sic codices omnes: sed repono, *I. t. m. herbas a. m. ferorum.* Et ferorum quidem, hoc est, equorum: nam ad ferarum membra venatores potius accedunt, quam medici. Noster supra vs. 77. 'Aut cum laxato fregerunt cardine claustra Exagitare feros, pronumque anteire volantes.' Virg. de equo Trojano, Æn. II. 51. 'inque feri curvam compagibus alvum Contorsit.' Et *ferorum* recte, ut jam video, emendarat in priore editione Scal. cur vero in secunda omiserit, nequeo divinare, Scio autem *medicas artes* sæpe alibi dici; sed hic *herbas* verum existimo; versu sequente rursus habemus, *artis opus.* Idem error infra versu 643. 'Vilibus ille etiam sanabit vulnera succis Quadrupedum, et medicas artes in membra ferarum Noverit, humanos et quæ nascentur ad usus.' Nam et ibi lego, *et m. herbas in m. ferorum.* *Herbas,* quia sequitur, *et quæ nascuntur:* herbæ enim nascuntur, non artes. Claudianus III. Honorii, 62. 'non ocius hausit Achilles Semiferi præcepta senis; seu cuspidis artes, Sive lyræ cantus, medicas seu disceret herbas.' Plin. Hist. II. 63. 'Terra medicas fundit herbas, et semper homini parturit.'' *Bent.*—355 Vulg. *Et n. a. mutarunt t. motus.* 'Gembl. *t. morbos.* quod rectum est. Sed legendum *mutarum.*' Scal. et sic Delph. 'In omnibus scriptis vs. 354. postponitur vs. 355. perperam haud dubie. Qualis enim locatio est, *Tenet* medicas artes sive herbas, et *tollere* morbos? Etiam hoc in priore editione recte Scaliger: in posteriore nescio quare deseruit. Repone tantum, *Sed n. a. mutorum t. morbos.*' Bent.—356 Vulg. *Et s. non ægrum j. c. corpus.* 'Et sibi ipsi credere ægrum corpus. Gembl. non deterius, *Et s. non ægros.* Hoc, inquit, est opus ut ipse præveniat morbos, ut et nondum ægroti credant illi corpus suum. Tò *sibi* refertur ad ipsum veterinarium, sive mulomedicum, non ad ægros. *προσωποποιητικῶς* autem ait equos ipsi tradere corpus suum, quum vult intelligi equorum nondum affectorum morbo illis curam tradi, ut ipsis in posterum caveatur de salute et sanitate.' *Scal.* '*Ægros* vetusti quattuor. Quæ verba sic Scal. evolvit, *Et* equos *non ægros jamdudum credere* sive committere *corpus* suum *sibi* medico. Mirifica sententia. Quid enim hic facit *jamdudum?* vel quomodo bestiæ credant se medico? hoc rationis opus est. Cato apud Gellium I. 15. 'Itaque auditis, non auscultatis, tamquam pharmacopolam: nam ejus verba audiuntur: verum ei se nemo committit, si æger est.' Gronov. Observ. II. 11. sic legit explicatque, *Et s. non ægrum j. c. corpus.* '*Ægrum* autem accipiendum, quasi bis positum esset, *et jamdudum credere corpus ægrum,* quod *sibi non* est *ægrum.*' Sententiam percepit vir acutissimus: sed *ægrum* eo

NOTÆ

erit: aut herum armatum equo imponet, et ad bellum euntem comitabitur. Hoc enim est straturæ munus.

353 *Ferorum*] Equorum: sic infra vs. 365.

Nunc subit arcitenens, cujus pars quinta nitentem
Arcturum ostendit cœlo; quo tempore natis
Fortuna ipsa suos audet committere census,
Regales ut opes et sancta æraria servent,
Regnantes sub rege suo, rerumque ministri:
Tutelamve gerant populi, domibusve regendis

illorum curandum, quod jamdiu ægrotat. Jam vero sagittarius sequitur, cujus gradus quintus educit e mari lucentem arcturum; quo tempore nascentibus fortuna ipsa non dubitat credere suas opes, scilicet ut custodiant divitias regias, et sacra æraria, imperantes sub suo imperatore, et sint ministri rerum; et suscipient curam

modo bis poni quis patienter ferat? Repono, *Et s. non ægros j. c. tales.* Jamdudum credere et præsentire equos esse ægros, priusquam ipsi se ægros esse sentiant. At, inquies, quid tam dissimile, quam *corpus* et *tales?* Scribe, ut in membranis solent, *cpus*, *talis;* et singulis fere paginis paria portenta reperies. *Credere tales esse*, hoc est, ægros. Terent. Phorm. III. 2. 44. 'Hic me hujusmodi scribat esse, ego hunc esse aliter credidi.'' *Bent.* 'Longe rectior est vetus lectio, ideoque Scaligero, Barthio, Gronovio probata: *Et sibi non ægrum j. credere corpus.* Ubi τὸ *ægrum*, ex Gronovii quidem sententia, ita accipiendum, quasi bis positum esset: *Et jamdudum credere corpus ægrum, quod sibi non est ægrum.* id est, ignorat morbum suum, nec dum eum gemitu fatetur. Barth. sic interpretatur: Suæ curæ credere corpus nondum affectum. De mulis enim aut aliorum jumentorum corporibus loquitur, quæ sibi credit mulomedicus, cum non timet damnum cura facere, jam olim doctus morbos prævenire remediis. Utraque explicatio suo non caret fundamento. Illa vero plus speciei, hæc plus veri videtur habere.' *Stoeb.*—358 Scal. Delph. et vulg. *ponto.* '*Pontus, pelagus, undæ* loca infra horizontem ubique hic significant. Ergo non ostendit arcturum ponto, sed eruit, effert, eripit, erigit, ut alibi loquitur. Repone, *Arcturum ostendit cælo.* Sic 'in cælum ferens,' versibus 157. et 395. Vel lege, *ostendit terris*, ut versu 129. 'Quæ totum ostendit terris atque eruit undis.' Vel *mundo*, ut 409. 'Cumque fidis magno succedunt sidera mundo.'' *Bent.*—360 Vulg. *sacra.* Correxit Scal. ex Gemb.—361 Vulg. *Regnantes s. rege manent.* 'Gembl. concinnius: *Regnantes s. rege suo.* Continuat enim superiorem versum cum hoc, post quem duo, qui infra duodecimo loco positi sunt, huc interjiciendi. Ergo ita totum locum lege: *R. ut o. et s. æ. s. Regnantes s. r. suo, rerumque m. T. que gerent populi, d. ve gerendis P. c. a. limine claudent.* Quod enim recte hi versus conjuncti sint, præter cognationem materiæ, quæ eos huc vindicavit, et absurditatem sententiæ, quæ ex alteris sedibus sollicitavit, argumento erit paraphrasis Firmici. Nam fortasse sciolis quibusdam mirum videri posset.' *Scal.* 'Lege, *Regnantis sub lege manent regumque m.*' Reines.—362 Scal.

NOTÆ

357 *Nunc subit arcitenens, &c.*] His 7. vss. ait cum 5. grad. sagittarii assurgere arcturum, quem arctophylacem aut booten vocant, I. 321. Quo sub sidere nascuntur præfecti ærarii regii, regumque ministri, domibus alienis regendis præpositi, et populi curam gerentes, i. e. vel patroni municipiorum, vel vindices civitatum.

359 *Fortuna ipsa*] Quæ Dea bonorum creditur.

Census] Opes, rem familiarem, I. 15.

Præpositi, curas alieno limine claudant.
Arcitenens cum se totum produxerit undis
Ter decima sub parte feri, formantibus astris,
Plumeus in cœlum nitidis olor evolat alis:
Quo surgente trahens lucem, matremque relinquens,
Ipse quoque aërios populos, cœloque dicatum
Alituum genus in studium censusque vocabit.

populi, et præfecti gubernandis familiis includent curas suas in aliena domo. At ubi sagittarius protulerit se integrum ex aquis, sub trigesimo gradu, qua parte est equus, stellis ita imitantibus, cycnus plumifer evolat pennis lucidis in cœlum: quo exoriente homo hauriens vitalem auram, et linquens genitricem, is etiam appellabit tanquam suas opes et studium proprium volucres æthereas, et omne genus volucrum,

Delph. et vulg. *T. que gerent*. 'Hic et sequens in libris universis infra versum 373. positi sunt; sed recte a Scal. huc reducti. Ceterum pro *gerent*, Gembl. *gerunt*; Lips. et Voss. *gerant*. Repone, *T. ve gerant p. Gerant*, ut prius *servent*.' Bent. 'Vs. 362. et seq. codicibus Mss. et impressis loco plane non suo leguntur, scil. post vs. 373. *T. ve gerant*] Dicti libri, *T. que gerent p.* 363. *alieno limine claudant*] Iidem, *al. limite claudent*.' Stoeb.—363 Scal. Delph. et vulg. *claudent*. 'Lege cum Voss. *claudant*: ceteri tres, *claudunt*.' Bent.—368 Vulg. *cœloque dicatum*. 'Recte. Sed vide num legi possit, *cœlique ducatum*. Sic Virgil. 'corvorum exercitus.' *στίχες οἰωνῶν* poëtis. *Ducatum* reperies apud Sueton. *Ducatus latronum, ἀρχὴ λῃστῶν. Ducatus, ἡγεμονία*. Glossæ. Nihil tamen mutamus.' *Scal.*—369 Scal. et vulg. *Alitumque genus studium*. 'Lege *Alituum omne genus*.' Reines. Et sic Delph. 'Sic scribi volebat Reines. cum vulg. legeretur *Alituumque genus*. Mallem, si per veteres libros liceret, *Alituum genus in studium*.' Huet. '*Que* supervacuum est. Repone, *Alituum genus in studium c. q. v.* Quod et Huet. placebat.' *Bent.* 'Regiom. cum asseclis suis, *Alituumque genus stud. cens. q. voc.* Illud *que*, more Nostro

NOTÆ

363 *Alieno limine*] Alienis domibus. Pars pro toto. Est enim *limen* atrium seu vestibulum domus.

364 *Arcitenens cum se, &c.*] His 25. vss. docet Poëta exoriri olorem seu cycnum cum 30. grad. sagittarii: quo sub sidere nascuntur aucupes, qui bellum avibus indicant et in aëre, et in nidis, et in pastu; et qui longius eant quæsituri aves ad gulam. Nascuntur et qui linguas humanas edoceant aves; et qui columbas alant in tectis; et qui aves ad jussa paratas vendant in urbe.

365 *Feri*] Equi. *Ferus* enim pro equo dicitur vs. 352. et Virg. Æn. II. 52. 'inque feri curvam compagibus alvum, Contorsit,' &c. Et Æn. v. 816. 'addit Fræna feris,' &c. Pars autem postrema sagittarii equina est, I. 270.

366 *Olor*] Cycnus, I. 344.

368 *Aërios populos*] Aves. *Populus* enim dicitur non solum de hominibus, sed et de apibus, Colum. IX. 12. et de piscibus, Manil. IV. 285. et de avibus, Manil. hic.

Cœloque] Aëri, I. 9.

369 *Alituum*] Pro *alitum*, genit. Sic Virg. Æn. VIII. 27. 'Alituum pecudumque genus,' &c.

Mille fluent artes, aut bellum indicere mundo,
Et medios inter volucrem prensare meatus:
Aut nido captare suo, ramove sedentem,

quod aëri consecratur. Ex hoc sidere mille disciplinæ emanabunt; v. g. vel denuntiare bellum aëri, et apprehendere avem inter medios transitus aëris; vel fraudare illam suo nido; tendere retia suspensa supra illam vel insidentem ramo, vel

ceterisque poëtis solemni, redundat.' *Stoeb.*—371 Vulg. *pensare.* '*Prensare* Gembl. et nos antea. Tale est illud εὔστοχον aucupium apud Maronem: 'Jam vacuo lætam cælo speculatus et alis Plaudentem nigra figit sub nube columbam.'' *Scal.* Et sic Reines.—370 '*Mille fluent artes*] Idem cum cod. Paris. *fluunt.* In fine *mundo* valet cælo, quod habes supra vs. 296. 'Pendentemque suo volucrem deprendere cælo.' Ad instar hujus loci versus qui nunc sequitur formatus est in cod. Gemb. si modo bona fide Scaligero reddita sunt ejus excerpta, e quibus ille suam olim conceptam opinionem firmare sategit, legendo vs. 371. *Et m. i. v. prensare. m.* Ita scriptum quoque fuit in cod. Paris. sed *r* in rasura. Diserte vero Ms. Lips. et editi vetustiores, quotquot vidimus, habent *pensare*, quod est frequentativum hujus *pendeo*, quod Noster versu modo nobis recitato, non absque insigni venustate, usurpavit pro volare: quapropter hoc *pensare*, ex Auctoris quidem sensu, est ultro citroque volare facere. quod tametsi hac notione minus usitatum, vix tamen commodiore uti voce potuisset, ad designandum illud aucupii genus, ab altero venatorio proprie (vs. 296. not.) prorsus diversum. Neque enim uni sideri studia plane diversa tribuere Noster assolet; neque unum idemque studium duobus sideribus. Adeoque fas est credamus, loqui eum h. l. de aucupio quod exercetur ope avis illicis, vel, sic dictæ, venatricis. Nimirum per *medios meatus*, nobis quidem, intelliguntur areæ aucupatoriæ, duobus retibus interjacentes. *αἱ τῶν δικτύων περιβολαί, retium ambitus* dicuntur Æliano II. 42. Histor. Animal. quo agit de aquilis et accipitribus ad aucupandum habilibus. Hoc igitur artis opus est, mansuetare et volare facere avem illicem medios inter hos meatus; aut, quod habet vs. 372. sedentem certa ratione illicem clamare facere nitidis suis.' *Stoeb.*—372 Vulg. *Aut nitidos clamare suis ratione s.* 'Felicissime succurrebat nobis in priore editione, *Aut nidis damnare suis, ramove s. P. ve s. surgentia d. l.* Adstipulatur Gemb. ne una quidem literula minus.' *Scal.* 'Quid est *damnare aves suis nidis?* 'Exuere,' inquit Scal. 'spoliare. Antique dictum.' Tanto pejus, quod antique: cum Auctor talia non sectetur. Sed si *nidis* tantum suis aves spoliant; ipsas avolare liberas sinunt. Gembl. Lips. Voss. *Aut nitidos clamare suis.* Sed Venetus *sues.* Porro Gembl. pro lect. var. *Aut nidis damnare.* Repono, *Aut nido captare suo ramove s. Captare*, ut Virg. Geo. I. 139. 'Tum laqueis captare feras, et fallere visco.' Noster infra vs. 398. 'Pendentem et cæco captabit in æquore piscem.'' *Bent.* 'Emendo, quos alius ejiciendos putabat, sic: *At nido calamove sua regione s. P. ve s. fugientia d. l. Fugientia*, id est, occulta, latentia.' *Reines.* 'Hic omnino verus videtur esse nexus et sensus horum versuum, quorum posteriorem, certatim quasi, depravatum ivere Scaliger atque Bentleius. Quod ut evidentius adpareat, sincerum in modum, age, repræsentemus librorum nostrorum lectionem. Cod. Paris. *Aut nitidos clamore suis ratione s.* Regiom. *aut nitidos clamare sues rat. sed.* Ald. Pruckn. Molin. *At nitidos clamare suis rat. sed.* Horum vestigiis insistentes certissima legimus emendatione, *Aut nitidis clamare suis, ratione s.* Ubi *nitidis suis* tertius casus est plur. num. qui verbo *clamare*, Terentii præsertim auctoritate, jungi rite potest. Et *clamare* pro vocare,

NOTÆ

370 *Mundo*] Aëri, I. 9.

Pascentemve super surgentia ducere lina.
Atque hæc in luxum: jam ventri longius itur,
Quam modo militiæ. Numidarum pascimur oris,
Phasidos et lucis: arcessitur inde macellum,

carpentem pabula. Et hæc omnia ad luxuriam. Nunc etiam longius itur ad gulam, quam ad bellum. Nutrimur enim de littoribus Numidarum, et de spoliis fluvii Phasidos. Macellum advocatur jam ex ea terrarum parte ex qua olim vellus

quod hujus loci est, Martiali videtur usurpatum I. Epigr. 50. 30. 'Vocabitur venator et veniet tibi Conviva clamatus prope.' Porro *nitidis suis* dixit pro pinguibus sui generis volucribus, quales sibi expetit venator, non colore modo nitentes. Illud evincunt verba Phædri supra nobis recitata ad IV. 622. se 'pinguem et nitidum' laudat Horat. I. Epist. 4. 15. Quem vero in illis alliciendis usum præstet avis venatrix, diserte tradit Ælianus Hist. Anim. VIII. 24. his verbis: *τῷ μέλει τῶν ἄλλων ὀρνέων αἱρεῖ τὰ ἁπαλὰ προσπετόμενα τῇ τῆς εὐμουσίας θέλξει. Cantus ac modulationis illecebris alias teneras volucres advolantes ad se allicit.* Quod subjicit Noster vs. 373. *Pascentemve super surgentia ducere lina*, in illam avem venatricem, pariter ac eas quas cantu allexit, aptissime quadrat. De illa enim Ælianus l. c. *θηρῶν τὰ προσιόντα ἐμπίπλαται.* Igitur dum illa saturatur aviculis se accedentibus, venator, hactenus quietus, retia ducit lino contexta, quæ surgebant in altum, perpendiculariter vel oblique. Conf. Bulengerus de venatione Circi cap. 4.' *Stoeb.*—374 Vulg. *ibit:* et mox 375. vulg. *Quomodo.* Totum locum constanter legimus, qui est elegantissimus: *At quæ hæc? in l. j. v. l. itur, Quam modo m. N. p. oris, &c.* At quæ hæc, si luxum spectes, in quem hodie delabimur omnes? Ecce ventri implendo longius itur, quam vix modo militandi caussa profecti sumus. Nam ab ultimis Numidis Numidicas gallinas, a Colchis Phasianas petimus. Lectioni Gemb. hæc omnia accepta referimus. At quæ, inquit, hæc, præ luxuria hodierna?' *Scal.* 'Sic Scal. distinguit; *quæ hæc*, quam minuta sunt hæc, præ luxuriahodierna. Immo hæc, phasianos et aves Numidicas captare, ipsam hodiernam luxuriam constituunt. Repone ergo cum libris omnibus, *Atque h. in luxum. jam v. l. itur, Quam modo m.* Captabit, inquit, aves; non quas comedat, sed quas vendat; non in *victum* suum, sed in *luxum* alienum.' *Bent.* Et sic Delph. 'Ita castigo. Scal. autem *At quæ hæc?* et Rom. *Atque hic i. l. j. v. l. ibit.* Nec male, ut patet satis.'—376 Vulg. *Ph. et dantis.* 'Emendavimus olim *Ph. et damnis.* [Et sic Delph. Vid. not. inf.] Quid enim propius ad corruptam lectionem vulgatam accedit? Sed Gembl. aliquid monstri alit. legitur enim ibi, *Ph. aut dulcis.* Lego *Ph. aut lucis.* Nam Phasiani in silvis. Sed priorem emendationem retinemus. Potest etiam legi, *Ph. et pullis.* Nam non multum receditur a vestigiis lectionis scriptæ.' *Scal.* 'Pro *damnis* Gemb. *dulcis*, ceteri tres *ducis*. Legendum, quod et Scal. vidit, *Ph. et lucis.* Phasiani enim in silvis vescuntur.' *Bent.*

NOTÆ

375 *Numidarum*] Numidæ populi sunt Africæ, qui in pascuis inter armenta degunt. Ex Numidiæ autem oris ultimis Romam olim afferebantur gallinæ, quas vulgo 'Indicas' vocant; Varro autem 'Africanas' l. III. de Re Rustic. Triplex enim distinguit gallinarum genus; villaticas, quæ in villis; rusticas, quæ in sylvis; Africanas, quæ in Numidia aluntur, et quæ primum ex Numidia Romam translatæ Numidicæ quoque dictæ sunt; Gallice *poules d'Inde.*

376 *Phasidos et lucis* [*damnis*,] *&c.*] Scaliger bene. Id est, Phasianis, quibus ipse Phasis fluvius, ad cujus ostia

Unde aurata novo convecta est remige pellis.
Quinetiam linguas hominum sensusque docebit
Aërias volucres, novaque in commercia ducet,

aureum evectum fuit per mare novum. Immo etiam natus sub hoc sidere edocebit voces humanas æthereas aves, facietque illas in nova commercia venire, et erudiet

'Languet hic sermo. Falsa quoque sententia, si de ludicra illa venatione, verba, uti vult Bentleius, intelligas. Quo lubentius sequor veterum lectionem, sic constitutam: *A. hinc in l. j. venter l. ibit, Quod m. m. N. p. o. Ph.* (,) *et damnis a. i. m., U. a. n. c. est æquore p. Atque hinc* cod. Paris. et Regiom. *hinc*, scil. ab aucupio illo domestico. Iidem *venter ibit*, pro *ventri*, id est, pro vel a ventre ibit, quæ lectio est Aldi, Pruckn. et Mollnii. Hi quoque legunt *Quod modo*, pro *Quam mod.* Illud rationem indicat, qua longius itur; hoc comparativum respicit, sensu minus apto. *Pascimur oris Phasidos, et damnis arcesa.* Sic ante Scaligerum legit, et rectius interpunxit Molinius. *damnis* arcessitur macellum, i. e. non æris solum ingenti dispendio, verum etiam navigatione periculorum plena. Luculentus in hanc rem locus est Petronii cap. 119. ubi totus in perstringendis suorum civium moribus, vs. 34. sqq. sic cecinit: 'inque Lucrinis Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas, Ut renovent per damna famem, jam Phasidos unda Orbata est avibus.' Et Plinius, Hist. Nat. XIX. 4. 2. 'Ex horto,' inquit, 'plebei macellum, quanto innocentiore victu! Mergi enim, credo, in profundo satius est, et ostrearum genera naufragio exquiri, aves ultra Phasidem amnem peti: et fabuloso quidem terrore tutas, immo sic pretiosiores, alias in Numidiam, atque Æthiopiæ sepulcra: aut pugnare cum feris, mandique capientem quod mandat alius. Heu prodigia ventris!' Confer eundem XXVI. 8. pr. Senecam, cujus verba recitat Scaliger ad hunc Manil. loc. et Martialem Epigr. III. 58. vs. 15. sq.' *Stoeb.*—377 Scal. Delph. et vulg. *æquore.* '*Novo æquore* erit tum primum tentato. Dedit tamen Auctor *U. a. n. c. e. remige p.* Ovid. Pont. III. 1. 'Æquor Iasonio pulsatum remige primum:' et Heroid. XVI. 345. 'Phasida puppe nova vexit Pagasæus Iason.'' *Bent.* 'Restituamus inveteratam lectionem, *novo æquore*, quam rite explicavit Bentleius, tum primum tentato. Vierschrotus reddit per ultimo vel extremo, quo sensu hoc *novus* occurrit supra I. 533. Illum vero, qui nunc præ manibus est versum lepido epigrammate illustrat Martialis XIII. 72. 'Argiva primum sum transportata carina, Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.' Pro *Argiva* legendum *Argoa*. Vide Gronov. Obs. pag. 290.' *Stoeb.*—379 Vulg. *nova*

NOTÆ

frequentes convolant cibi causa, spoliatur, et Romam advehuntur. Scilicet ex hoc fluvio primum in Græciam ferunt advectos phasianos ab Argonautis, deinde a Græcia in Italiam luxus mensarum augendi gratia. Gallice *phaisans*. De Phaside autem supra vs. 45. Vulg. vero habet mendose, *Phasidos et dantis.* Hinc J. Bitur. *Phasidos et dautiis.* Dautia autem seu lautia legatis dabantur quasi munera honoratissima, inquit. Gemb. *Phasidos et dullis.* Facilis autem lapsus *dullis* pro *pullis.*

Macellum] Locus fuit Romæ, in quo obsonia vendebantur.

377 *Unde aurata . . . pellis*] I. e. ex Colchide, ex qua vellus aureum Jason deduxit, I. 419. not.

Novo remige [*æquore*] Hellesponto. Fretum enim illud, quod Propontidem inter et Ægæum mare jacet, ab Helle, quæ in illud mare cecidit, Hellespontus est dictus, IV. 680.

379 *Novaque in commercia ducet*] I. e. faciet aves venire in nova com-

Verbaque præcipiet naturæ lege negata.
Ipse Deum cycnus condit vocemque sub illo;

illas voces denegatas ex ordine naturæ. Olor ipse tegit Deum, nec totus ales edit

---

qui c. d. Scal. et Delph. *nova in c. d.* ' Et ita Gembl. Aves docentur habere commercia cum hominibus, quando loquelam humanam edocentur. Sequentia interpretantur, et præcedentia non minus. Nam fungus ille paraphrastes mercatorem avium interpretatur. Fortasse posset invenire stipites assensores stultitiæ suæ.' *Scal.* ' Ita Scaliger e cod. Gembl. Cui jungendi codd. Lips. Paris. et Carrio Lect. Antiq. II. 18. ' Aves,' sic ille interpretatur, ' docentur habere commercia cum hominibus, quando loquelam humanam edocentur.' Alteram lectionem, ipsi damnatam, *nova qui comm. duc.* vulgare non dubitarunt Regiom. et ceteri tres. Is qui ducet est oloris alumnus, quod se nescire Carrio, ludens forte, simulavit. Illum si pro mercatore avium capere velis, fac audacter; nec convitia cures stomachantis critici. Sis potius auctoritate fretus Plinii, qui doctas ejusmodi aves Romæ emptas (quidni et venditas?) tradit Hist. Nat. x. 51. ubi Clodii Æsopi, tragici histrionis, patinam describit in qua posuit ' aves cantu aliquo aut humano sermone vocales, HS. sex singulas coëmptas.'' *Stoeb.* Vid. not. inf.—381 Vulg. *I. D. cycnusque colit.* ' Opus esset Œdipo. Gembl. Sphingem conficit; *I. D. cygnus condit, v. que s. i. N. t. v.* Quam hæc diversa a vulgatis? Ut taurus Europæ non totus taurus, sed aliquid adhuc repræsentans de Jove in eo latente, ita et cycnus non totus volucer pingebatur, ut cognosceretur Jupiter in eo conditus. Cycnum enim [illegible] esse illum, in quem Jupiter conversus cum Leda concubuerit, satis sciunt, qui Hyginum, Germanici Scholiastem, et Theonem Arati interpretem legerunt. Nemesim non Ledam alii vocant. Noster Manilius ob Ledæ concubitum cælo receptum dicit in Sphæra mundi. Ibid. *Ipse Deum condit*] Supra in procemio: ' et Jupiter alite tectus.'' *Scal.* ' Multum diuque se torserunt viri docti, qui ad hunc locum, non ejus declarandi magis quam immutandi, vel, quod aiunt, emendandi consilio accesserunt. Difficillimum habuit toto Manilio Barthius, qui desperato quasi morbo desperata remedia tulit Advers. p. 298. Non placet doctissimo viro, neque nobis admodum probatur, illa lectio, *Ipse Deum cycnus condit*, quam Scaliger affirmat esse codicis Gembl. Nulla ejus variatio in excerptis Ms. Lips. et Carrio, quod vult loc. cit. videri, suopte ingenio eandem restituit, ipsius quasi Poëtæ scripturam. Quod tantum abest ut credamus, quantum Auctor ab illorum distat opinione, qui Jovis cycno induti fabulam hic iterum ab eo ludi putant. Hoc enim, quod tamen non dixerim dividiæ, falsissimum. Laudat vero Poëta cycni pietatem erga Apollinem, cui ille sacer et carus, ob divinandi et modulandi artem,

NOTÆ

mercia, edocens illas novas loquelas, nempe hominum linguas. Rom. *Nova qui in, &c.* I. e. mercator erit novarum et peregrinarum avium, inquit J. Bitur. Minus probata lectio.

381 *Ipse Deum cycnus condit, &c.*] Notat et olorem avem esse fatidicam, quæ, Apolline agente, in cujus tutela est, futura prænuntiet. *Non totus volucer*, i. e. in se habens aliquid amplius quam quod sit avis: *sub illo*, i. e. agente Apolline. *Inmurmurat intus*, i. e. pippiens, mussitans, nec claram edens vocem in istis prædictionibus. Scilicet nonnisi moriturus canit cycnus, quasi futuræ mortis suæ præsagax.

Non totus volucer, secumque immurmurat intus.
Nec te prætereant, clausas qui culmine summo
Pascere aves Veneris gaudent, et credere campo,

vocem sub illo, et secum mussitat interius. Nec te lateant qui delectantur alere aves Veneris inclusas in alto fastigio tectorum, et reddere illas cæcas, vel revocare

ab ipso Deo, quod est in fabulis, acceptam. Id citra dubitationem colligimus ex hac, qua verior nulla dari possit, lectione, eademque codicis Paris. et Palatini, quem recenset Barth. l. c. nec non Regiom. ceterorumque editorum fide roborata, quam cum nostra interpunctione sic exhibemus tibi: *I. D. cycnusque colit, v. que s. illo, N. t. volucer, s. que i. i.* Et ipse, inquit, cycnus colit Deum, scil. suum Apollinem, vocemque sub illo, id est, illo moderante Deo, secumque, quasi proprio conatu et exercitio, immurmurat intus, pro tacite modulatur, hunc autem cultum Apollini præstat non totus volucer, i. e. non integer, sibique relictus, supple, sed divino instinctu agitatus, cantorumque sacra Deo facientium modulatione incitatus, edoctus, vel, *non totus volucer* est non omnis cycnus, sed illi tantum, qui ad Apollinem colendum stato tempore conveniunt. Hæc ex Hecateo Abderita refert Ælian. Hist. Anim. XI. 1. quo loco nostram non novam quidem, at sinceram antiquæ nec variatæ lectionis interpretationem evidentem in modum illustrat atque confirmat.' *Stoeb.*—383 Vulg. *nec te prætereant.* ' *Prætercam.* Et *Pascere aves gaudes.* Sed vulgata lectio potest admitti. Quare nihil mutamus.' *Scal.* —384 Scal. Delph. et vulg. *reddere cæcas:* et mox 385. *In c. r. n. totamque p. u.* ' *Reddere cæcas* erit παλευτρίας, sive illices facere. Aucupes enim excæcatam columbam domi nutriebant; quæ reti alligata, et voce et subsultatione feras aves alliceret. Sed hoc Auctorem voluisse vix crediderim. De aucupio enim jam actum erat vs. 373. Quin et *reddere cæcas*, ignave dictum; et saltem tribus verbis causam addidisset, cur excæcaverint: sequentia etiam minime consentiunt; quo modo enim cæcæ *revocari certis notis* potuissent? Referri in sinu, non revocari, debebant. Vetusti quattuor, *redere cæcos:* Voss. alio ordine, *Veneris gaudent.* Repono: *Pascere aves Veneris gaudent, et credere campo Ac c. r. n.* Qui nutriunt columbas summo domus culmine clausas; quas tamen sinunt liberas in campo pastum quærere; et sciunt, cum volunt, certis eas notis et sonis domum revocare. *Culmine summo.* Juvenal. III. 222. ' quem tegula sola tuetur A pluvia, molles ubi ponunt ova columbæ.' Nemesian. Eclog. II. de Luscinia: ' Quæ licet interdum contexto vimine clausa, Cum parvæ patuere fores, ceu libera ferri Novit et agrestes inter volitare volucres; Scit rursus remeare domum, tectumque subire Viminis, et caveam totis præponere silvis.'' *Bent.* ' Lege, cum tribus vetustis, *totamve.*' Idem. ' Cod. Paris. Regiom. reliquique omnes, *et reddere cæcas.* Cod. Lips. *et reddere cæcos.* vitiose. *Veneris aves*, columbæ. Servius et ceteri Maronis interpretes ad Æn. VI. 193. *Redduntur cæcæ*, non tam oculos excludendo, quod hujus loci non est, sed et eas secludendo ab alteris: quo fit, ut saginationem illæ maturent. Itaque *cæcæ* dici ea ratione

NOTÆ

384 *Aves Veneris*] Columbas. Virg. Æn. VI. 190.

Credere campo [*reddere cæcas*] Quo facilius pingues fiant, et ex aviario in culinam descendant opima fartura, inquit Scaliger. Sic nunc apud nos excæcantur gallinæ, ut pinguefiant. Vel ut postea iterum interpretatus est Scaliger, ut illices aves fierent, quibus alias columbas alliciat auceps in aviarium suum.

Ac certis revocare notis; totamve per urbem
Qui gestant caveis volucres ad jussa paratas,
Quorum omnis parvo consistit passere census.
Has erit et similes tribuens olor aureus artes.
 Anguitenens magno circumdatus orbe draconis
Cum venit, in regione tuæ, capricorne, figuræ,
Non inimica facit serpentum membra creatis.
Accipient sinibusque suis, peploque fluenti;
Osculaque horrendis jungent impune venenis.

illas certis signis: et qui gerunt aves in carceribus aviariis per totam civitatem instructas ad mandata facienda; et quorum omnis res familiaris constat in minimo passere. Cycnus auratus dabit hæc et similia studia. Ubi serpentarius circumcinctus ingenti amplexu serpentis est in finibus tuæ formæ, o capricorne, non creat artus serpentum infestos tunc nascentibus. Namque tunc nati excipiunt serpentes in suis gremiis, et in effusa veste, et admovent sine periculo basia venenis metuendis.

possunt, qua Plin. Hist. Nat. IX. 16. de piscibus ait: 'Cum asperæ hiemes fuere, multi cæci capiuntur. Itaque his mensibus jacent speluncis conditi,' &c. Atque huic interpretationi cum primis favent, quæ Varro de Re Rustica præcepit III. 7. 9. 'Qui solent saginare pullos columbinos, quo pluris vendant, secludunt eos, cum jam pluma sunt tecti.' Ceterum illud saginandi artificium nonnisi in columbis exercetur. Quapropter rectius legeris cum libris nostris: *clausas qui culmine summo Pascere aves gaudent* (:) *Veneris et reddere cæcas.*' Stoeb.—387 Vulg. *pascere.* '*Passere.* Sic etiam Gembl. Theocr. de alia re: *οὗτος τοῖς ἁλιεῦσιν ὁ πᾶς πόνος, οὗτος ὁ πλοῦτος.* L. *Quorum* (de aviariis intelligo) *o. p. c. passere census. Passer*, ut *στρουθὸς, στρουθίον*, pro quavis ave.' *Scal.* 'Lege cum libris nostris, *Quarum.*' Stoeb.—388 Vulg. *Hæserit et similis t. o. a. a.* 'Lege, *Has erit et similes tribuens o. a. a.*' Scal. et sic Reines.—389 Vulg. *Arcitenens.* 'Ridiculum. Lege *Anguitenens.* Primus antea Cicero usurparat: 'Atque humeros usque a genubus cancrumque recondit Anguitenens.'' *Scal.*—392 Scal. Delph. et vulg. *accipiunt.* 'Lege cum Gemb. *Accipient*; et vs. proximo pro *jungunt*, cum libris omnibus *jungent.*'

NOTÆ

389 *Anguitenens magno, &c.*] His 5. vss. ait cum primis capricorni partibus exoriri ophiucum, seu serpentarium, qui marsos procreat, i. e. homines qui noverint mitigare serpentes, et veneno exarmare. Qualis Atyr fingitur apud Sil. Ital. I. 411. 'Nec non serpentes diro exarmare veneno Doctus Atyr, tactuque graves sopire chelydros, Ac dubiam admoto sobolem explorare ceraste,' &c. Quales et in Italia plures fuisse scribit Plin. VII. 2. qui saliva sua serpentum morsibus medebantur. Quales et Psylli in Africa dicuntur, qui partim ore trahentes venenum, partim cantibus serpentes mitigantes, morsibus illorum medentur. Plutarch. in Caton. Sueton. in Aug. 27. Plin. VII. 2. Sed de his fusius disputatum est etiam I. 92. Similiter de anguitenente, I. 338.

390 *Venit, in regione*] Sine motu; i. e. est in regione. Sic Cicero dixit, 'veni in senatu,' i. e. adsum in senatu. Sic Liv. VI. 'venire in parte,' i. e. esse in parte.

At cum se patrio producet ab æquore piscis,
In cœlumque ferens alienis finibus ibit;
Quisquis erit tali capiens sub tempore vitam,
Littoribus ripisque suos circumferet annos,
Pendentem et cæco captabit in æquore piscem,
Cumque suis domibus concha valloque latentes
Protrahet immersus. Nihil est audere relictum.
Quæstus naufragio petitur, corpusque profundo
Immissum pariter cum præda exquiritur ipsa.

Verum ubi piscis notius protrahit se e mari sibi patrio, et attollens se in cælum veniet in regiones alienas, quicumque hauriet lucem sub tali tempore, circumducet suos hamos per oras et ripas, et capiet piscem suspensum ac natantem in alto mari, et delapsus ipse sub aquas educit conchas latitantes suis tectis ac suo munimine. Nil est omissum tentare. Lucrum quæritur naufragio, et corpus immersum mari

Bent.—394 Scal. Delph. et vulg. *producit.* Veteres omnes *producet.* ibid. 'Nolim hoc *patrio* permutare cum *proprio,* quod tentavit Grotius ad German. vs. 602.' *Stoeb.*—397 'Posset fortassis tolerari τὸ *annos:* malim tamen *hamos.*' Reines. Et sic Delph.—400 Scal. Delph. et vulg. *Protrahit.* 'Lege cum Voss. *Protrahet,* ut *captabit.*' Bent. ibid. vulg. *immensas.* Correxit Scal. ex Gemb.—402 Scal. et vulg. *pariter quam.* '*Pariter quam* pro eo quod est

NOTÆ

394 *At cum se patrio, &c.*] His 15. vss. docet cum postremis capricorni partibus exoriri piscem, notium scilicet, seu austrinum majorem, qui sub aquarii pedibus et capricorni postremis partibus jacet, ut dictum est I. 273. et 428. Hoc autem sub sidere nasci vult Poëta, piscatores, æquoreæ mercis institores, et qui conchas, seu margaritas et ostreas in alto mari capiant.

Patrio] Eleganter. Opponitur enim vocibus *alienis finibus* vs. seq. Æquor autem *patria* est piscium: altum vero cœlum *alieni fines* eorum.

398 *Cæco . . . æquore*] Mare *cæcum* dicitur, quia altum, profundum, et cujus fundum cernere aut scrutari non est. Sic I. 8. et 714. dixit 'cæcam noctem:' II. 246. 'cæca metalla.' Sic Virg. passim.

399 *Concha*] Concha Græca vox est, quæ omne genus piscium firmiorem habentium testam significat. Hinc aliquando sumitur pro cochlea tum æquorea, tum fluviali: aliquando pro murice, cujus succus pannis purpureo colore tingendis est aptus: aliquando pro ipsa testa, qua Tritones pro tuba uti finguntur ante Neptunum: aliquando pro margarita seu unione, quæ in conchis ex rore cœli nascitur. Plin. IX. 35. Itaque per *concha* intelligit Manilius et cochleas, et purpuram, et margaritas, quarum quæstus naufragio petitur. Sic præclare Plin. IX. 34. 'Jam quidem ex tota rerum natura damnosissimum mare est, tot modis, tot mensis, tot piscium saporibus, quibus pretia cupientium periculo fiunt.' Et capite 35. fusius.

401 *Profundo*] Mari.

Nec semper tanti merces est parva laboris :
Censibus æquantur conchæ, rapidumque notari. *
Vix quisquam est locuples. Oneratur terra profundo.

quæritur simul per mare cum ipsa præda. Etenim semper mediocre pretium est tanti laboris. Conchæ æquivalent magnis opibus, vixque aliquid est ostendi avidum.

pariter ac. Sic aiunt Sueton. Claud. 35. 'Sed nihil æquo quam timidus fuit.' Sed nihil excusatione est opus. Dedit enim Auctor, *pariter cum.*' Bent. Et sic castigavit Delph. ex Rom.—403 Scal. Delph. et vulg. *Nam semper.* 'Hæc absurda sunt. Nam si conchas fundo extractas censibus et totis patrimoniis vendunt, quomodo parva est laboris merces? Lege cum vetustis omnibus, *Nec semper,* &c.' Bent.—404. 405 'Locus depravatissimus. Non intelligo. Itaque asterisci notam apposui. Gembl. legit: *rapidumque notari Vix unquam est locuples. oneratur t. p.* Fortasse hoc vult: vix unquam sat est divitem raptorem notari, et prædatorem, nisi terram ipsam, quam aliis abstulimus, oneremus præda maris. Sed adhuc delibero.' *Scal.* Vide inter notas Huetii huic editioni appensas; et not. inf. 'Legam, *rapidumque notari Vix quisquam est locus: exoneratur terra profundo. Rapidum,* i. e. avarum vocari quenquam non conceditur.' *Reines.* 'Transiliit hunc locum Scal. ut desperatum. Pro *quisquam* Gembl. *unquam.* Pro *notari* Lips. et Voss. *nitori.*' Bent. 'Post varias magnorum virorum conjecturas, quibus hunc locum, ægerrime, quod ipsis videtur, affectum sanare voluerunt, sagaci tandem indagine Cl. d'Orvilii et Vierschroti factum est, ut ope codicum scriptorum, præcipue Lipsiensis, hæc e tenebris in lucem prodiret lectio: *lapidumque nitori Vix quisquam est locuples,* &c. Hæc ille ad Chariton. pag. 543. sic interpretatur: 'Nemo adeo dives jam est, ut margaritas et gemmas possit emere. terræ non habent tantum auri et argenti in suis visceribus, ut pretia gemmarum et baccarum, ex maris profundo protractarum, adæquent.' Id esse ipsi videtur, quod dicit Auctor: *oneratur terra profundo.* His plane consona tradit Salmasius Exerc. Plin. pag. 825. Alter egregie heu quondam! doctus vir in Noctib. Gothan. Mstis multo rotundiorem tantoque probabiliorem concepit sensum hunc: Conchæ cum unionibus æquivalent pretiosis lapillis. Ut adeo sequentia, *Vix quisquam,* &c. separatim accipienda sunt et explicanda. Nobis adhuc potior prisca scriptura, quæ, si legas *rabidumque,* pro *rapid.* ut sæpe alibi, sensum fundit altero longe aptiorem. Nimirum, quo magis invaluerat Romæ fastus luxusque, eo vehementius in eorum Noster mores invehitur, qui forte nudi sapientia virtuteque destituti, unionibus ac gemmis, capiti et collo affixis, eminentem sibi conciliare dignitatem volunt. *Insaniæ,* inquit, est *notari* scil. fronte, quod vel servis ignominiosum. Martialis III. Epigr. 21. 1. 'Proscriptum famulus servavit fronte notatus.' Vel *notari* valet monstrari scil. digito, quo acrius carpit fastuosos sui ævi homines, quibus 'pulcrum est digito monstrari, et dicier, hic est:' Persius Sat. I. 28. Atque in hanc sententiam accepisse Nostri verba videmus

NOTÆ

404 *Censibus*] Bonis, opibus. I. 12.

Rapidumque notari. Vix quisquam [*quicquam*] *est*] Ita Jun. Bitur. i. e. parva res est ut homo notetur avarus, et alieni agri rapax, nisi etiam et suis dominiis ac divitiis addiderit mare, hoc est, maris pretia, v. g. margaritas, uniones, purpuras, &c. Cujus lectionis veræ vestigium habet Rom. *Rapidumque notari Vix quisquam est locuples,* &c. Hunc autem locum ita corruptum sibi videri ait Scaliger, ut nec intelligere nec concipere potuerit.

405 *Profundo*] Mari.

Tali sorte suas artes per littora tractat,
Aut emit externas pretio: mutatque labores,
Institor æquoreæ varia sub imagine mercis.
Cumque fidis magno succedunt sidera mundo,
Quæsitor scelerum veniet, vindexque reorum,
Qui commissa suis rimabitur argumentis,

Terra dives oneratur mari. Natus igitur hoc sidere aget suas artes per ripas cum tali fortuna. Vel mercator factus mercis maritimæ coëmit et commutat pretio alienas operas sub diversa specie mercis. Et ubi stellæ fidis veniunt in magnum cælum, judex criminum orietur, et ultor nocentium, qui suis interrogationibus et rati-

Barthium Advers. pag. 299. et ad Stat. Theb. VII. 720. Qui tamen non nihil inconstantiæ prodit Advers. pag. 321. et 1207.' *Stoeb.*—405 *Vix quisquam est locuples*] scil. more majorum, vel, 'dives antiquo censu,' quod dixit Horat. II. Satyr. 3. 169. scil. fundis, agris, gregibus, armentis, arbustis, vicinis, ex quibus antiqui divitias suas æstimabant. Nam ab hoc *locus* fit *locuples*, i. e. agri plenus, quod proprio et nativo sensu hoc loci, sane quam apprime, venit. *oneratur terra profundo*] Seorsim ac simpliciter et hæc tibi sententia capienda. Tanta, inquit, est copia exuviarum maris, ut ipsi terræ oneri sint. Hyperbolica locutio, ad perstringendam morum perversitatem, insigni cum acumine prolata. Itaque non est quod legamus *ni ornatur terr.* sicuti plus una vice tentavit Barthius; neque in ejus concedere possumus sententiam, ac si diceret Auctor: terrestre animal intimatur maris divitiis; quæ quidem Christiano interpreti magis ac gentili poëtæ conveniunt.' *Stoeb.*—407 Scal. Delph. et vulg. *externos.* '*Externi labores* non placent. Repone, *Aut e. externas p.: m. que l. Suas artes* et *externas* po-

NOTÆ

409 *Cumque fidis, &c.*] His 7. vss. ait fidem seu fidiculam oriri cum capricorno, sed cum qua capricorni parte non notat. Firmicus docet eam oriri cum capricorni decima parte, VIII. 15. Sic supra Manilius non notaverat qua cum parte capricorni oriatur piscis notius major. Verum quia sub postrema capricorni parte jacet, facile colligere est illum cum postremis capricorni partibus exoriri. Sic neque notaverat qua cum parte capricorni oriatur serpentarius. Verum, quia longe antecedit capricornum, sane cum primis capricorni partibus illum oriri necesse est. Immo vereor, ego ne turpiter hallucinatus fuerit in hoc siderum coortu, cum inter utrumque totus sagittarius intercedat. Similiter vereor ne et deceptus fuerit in fidis seu fidiculæ coortu cum capricorno. Neque enim fides seu fidicula alia est a lyra, cujus jam et coortum posuit cum libra vs. 324. 337. et ibidem apotelesmata recensuit. Porro sub hoc sidere fidis seu fidiculæ nasci docet scelerum vindices, et quibus judicia publica quæstionesque credantur: similiter et tortores et carnifices. Idem docet Firmicus Manilii interpres VIII. 15. Verum hæc ad vanitatem artis scripsisse videtur Poëta potius, quam ad rei veritatem. Scilicet quia fides seu fidicula Græce significat *βάσανον*, quasi *fidiculis distentum*, quo cruciatu martyres olim afficiebantur, hinc ab hoc sidere nasci vult *βασανιστὰς, tortores ac quæsitores.*

In lucemque trahet tacita lætantia fraude.
Hinc etiam immitis tortor, pœnæque minister;
Et quisquis vero favit, culpamve perodit
Proditor; atque alto qui jurgia pectore tollat.
Cœruleus ponto cum se delphinus in astra
Erigit, et squamam stellis imitantibus exit,
Ambiguus terræ partus, pelagoque creatur.

onibus scrutabitur delicta, et proferet crimina in lucem, quæ secreto dolo latent. Ex hoc sidere nascitur quoque crudelis carnifex, et minister supplicii, et quicunque studuit æquitati et odit crimen, et qui alta voce dirimat lites. Ubi autem glaucus delphinus attollit se e mari ad sidera, et prodit stellis exhibentibus squamas, tunc fœtus anceps terræ et mari generatur. Et licet procreatus sit ex uno tantum semine, tamen habet æquale studium in diversam rem, et simul abit in utrumque genus terræ

posita esse vides.' *Bent.*—412 Vulg. *tacitaque silentia fraude.* 'Manifesto vitiosum Gemb. *tacita latentia f.* Haud dubie scribendum *latitantia.*' Scal. Et sic Delph. 'Lege, *latentia.*' Reines. 'Vetusti quattuor *latentia.* Lege, *tacita lætantia f.* ut Virg. Æn. VI. 567. 'subigitque fateri Quæ quis apud superos, furto lætatus inani.'' *Bent.* 'Regiom. et impressi ceteri, *tacitaque licentia fr.* Scaliger mutavit *latitantia*, deleta enclitica *que*, quam nullus Mstorum agnoscit. Gembl. et Lips. *tacita latentia*, contra metri rationem. Cod. Paris. et Palat. *tac. licentia*, pro quo Barthius vult *liquentia*, addita hac paraphrasi: Quæ evanescunt alioqui et instar undæ sublabuntur. Sed hæc contra usum forensem vocis *liquet*. Quapropter, nisi retinere malis veterem vulgatam, ea quidem lege, ut illud *que* ex usu fere quotidiano non sensui, sed metro tribuatur; equidem legendum suadeo, *tacita luctantia f.*, quod censeo deliberandum.' *Stoeb.*—415 Scal. Delph. et vulg. *Proditur.* '*Hinc*, aiunt, *proditur*, id est, hinc producitur. Sed nusquam alias Auctor sic loquitur. Ex superioribus repete, *Hinc veniet;* et repone, *Proditor*. *Proditor*, index, qui culpam odit et defert. Ovid. Amor. II. 8. 'Quod si stulta negas, index anteacta fatebor, Et veniam culpæ proditor ipse meæ:' et Art. Am. III. 368. 'indicio proder ab ipse meo.'' *Bent.*—418 'Sane post hunc versum revocandi sunt duo, qui infra obtorto collo in locum alienum intrusi erant: *Ambiguus terræ partus pelagoque creatur. Par ex diverso studet et sociatur utrumque In genus, atque uno digestum semine surgit.* Quis tam aversus a literis, qui non videat horum versuum has esse proprias sedes, ut alienas, ubi erant antea? Par quiddam, inquit, ex diverso studet et sociatur in unum genus. *Studet*, φρονεῖ. Nam ambiguum vitæ est, terrenæ et maritimæ. Et qui in aqua sunt κολυμβηταὶ, ii in terra sunt κυβιστηταὶ, adeo ut τὸ κυβιστᾷν Homerus piscibus ipsis attribuerit. In Baal Aruch legitur קיבוסטוסם pro κυβιστητὴς; et recte ille doctus

NOTÆ

416 *Cæruleus ponto, &c.*] His 33. vss. non quidem notat qua cum capricorni parte exoriatur delphinus, quanquam videtur oriri cum mediis illius partibus: verum apotelesmata tantum delphini posuit, aitque sub hoc sidere exoriente nasci ambiguos terra ac mari fœtus, i. e. qui sicut in terra velocissimi sunt cursores, ita in aquis citissimi natatores. Eleganter autem diversa natatorum genera, atque petauristarum, oscillatorum, pegmarumque ludos explicat Poëta. De delphini situ diximus I. 350.

Nam velut ipse cîtis perlabitur æquora pinnis,
Nunc summum scindens pelagus, nunc alta profundi,
Et sinibus gyros glomerat, fluctumque figurat;

et maris. Etenim sicut ipse delphinus pernatat maria velocibus pinnis, modo secans supremam æquoris partem, modo delapsus in imum mare, et capit vires ex gyris et

---

Judæus monet esse vocem Græcam: quanquam *præstigiatorem* interpretatur. Sed et Delphini dicuntur κυβιστητῆρες Nonno III. Dionysiacon, Σιγαλέης δελφῖνα κυβιστητῆρα γαλήνης. Hæc est egregia restitutio: quod dico, si qui forte extabunt, quos æmulatio et inscitia aliter pronunciare adigat.' *Scal.* Et sic Delph. 'Bene Scal. hos duos vss. castigat, et in suam sedem restituit. Namque minus recte postpositi fuerant 17. vss. seqq.' 'Post hunc duos istos constituit Scaliger, *Par ex diverso, &c.* qui in libris universis sequuntur versum 435. Ibi vide.' *Bent.*—421 Vulg. *Et senibus vires sumit.* Scal. Delph. et Reines. *Et sinibus vires sumit.* 'Quomodo *sinibus vires sumat* delphinus, non possum concipere; neque quid commune sit video, inter *vires sumere* et *fluctum figurare.* Semper fere Noster eandem rem variat: ergo et hic tale quid investigandum. Repono, *Et s. gyros glomerat, fluctumque f. Vires sumit, giros glomat.* Noster infra versu 636. 'Hic glomerabit equo gyros, dorsoque superbus Ardua bella geret.' Ovid. Met. III. 683. 'Undique dant saltus; multaque aspergine rorant: Emerguntque iterum, redeuntque sub æquora rursus: Inque chori ludunt speciem, lascivaque jactant Corpora, et acceptum patulis mare naribus efflant.' Seneca Agamem. 452. de delphine: 'Tyrrhenus omni piscis exsultat freto, Agitatque gyros, et comes lateri adnatat.' Sic codex Mediceus; ceteri *Agitque gyros.*' Bent. 'Vetus scripta et vulgata est lectio, *Et senibus vires sumet.* Scal. mutavit *sinubus*, cui Barthius, Advers. pag. 321. hanc quam in altero plane desideras, explicationem addit: 'sinubus vires recipere elegantissime dictum, ut videmus in serpentibus aliisque talibus, qui colligunt in nodum corpus, et inde in tractum prorumpunt.' Nobis autem id potius fieri videtur, cum delphinus undis evolans et aërem in arcus formam transiens aquis se rursus immittit. Itaque alteram delphini dotem Auctor commendat, saltum puta, quem tribuit quoque suis. Confer vs. 439. Unde puto illum dedisse, *Et saliens vires sumit, &c.* Nonnus certe, Scaligero quoque excitatus, Dionys. III. 26. delphinum dicit κυβιστητῆρα. Cui fidem facit Plinius l. m. c. ubi ait: 'Nam cum fame conciti (delphini) fugientem in vada ima persecuti piscem, diutius spiritum conti-

NOTÆ

419 *Ipse*] Delphinus, quod est omnium animalium velocissimum, non solum marinorum, sed et ocyor est volucre, ocyor telo, tantaque vi exsilit, ut plerumque saliens naves transvolet. Aristot. Animal. IX. 48. Plin. IX. 8. Apollon. Argonaut. IV. Mira enim memorantur apud istos auctores de cursibus et recursibus delphinorum, quam sensim elevantur per undas etiam inter natantes homines, ac sese retibus includant, ac mox liberent, et blandissimo saltu ac natatu jam huc jam illuc ferantur: modo circa festinantem navim gregatim glomerantur: nunc ante visi, nunc a tergo, interdum ex obliquo. Nautis autem gaudium est.

421 *Sinibus*] Vel sinubus: i. e. sinuosis orbibus ac gyris, quos agunt. Eo enim fortius ac velocius natare videntur, quo plures in sinus ac spiras feruntur supremum mare secantes, atque in varios fluctus illud agentes.

Sic, venit ex illo quisquis, volitabit in undis :
Hic alterna ferens in lentos brachia tractus,
Nunc plausa resonabit aqua ; nunc æquore mersas
Diducet palmas, furtivus remus in ipso :
Nunc in aquas rectus veniet, passuque natabit ;
Et vada mentitus reddet super æquore campum :

orbibus quos agit, et format undam in varios fluctus ; ita quicumque oritur ex illo sidere, pervolitabit in aquis, modo ducens alternos lacertos in tardos ductus, et reddet sonum propter aquam ictam : modo quasi remigium esset, agitabit manus summersas furtim in ipso mari : modo erectus in pedes tolletur inter aquas, et natabit huc et illuc, et simulans reperire vada faciet solum super mare : vel ducens in dorsum

nuere, ut arcu emissi ad respirandum emicant : tantaque vi exiliunt, ut plerumque vela navium transvolent.' Nolim ergo assentiri Cl. Burmanno, qui, nescio qua fide, hunc saltum esse dicit 'delphini lascivientis,' ad Ovid. Fastor. I. 457. Ibid. *fluctumque figurat*] scil. sibi. Quod si nolis ; legere, me prorsus consentiente, possis *flexumque figur.* i. e. arcum describit. Sic etiam supra ad vs. 147. pro *fluctum* ope cod. Paris. restituimus *flexum.*' Stoeb.—423 Scal. Delph. et vulg. *Nunc alterna ;* et mox 424. *Et plausa r. a. n. æ. m.* 'Aut *feret* legendum erat, aut *et* supervacuum est. Sed vetusti omnes pro *nunc* habent *hinc.* Repone, *Hic a. f. in l. b. t. Nunc p. r. a. ; nunc, &c.* Statius Silv. I. 3. 'vitreasque natatu Plaudit aquas.'' *Bent.*—425 *Deducet palmas furtivo remus in ipso.* 'Quid est, homo, remus deducet palmas in ipso furtivo ? Ego scio et ineptum et supposititium versum esse, et Manilium scripsisse elegantissime : *nunc æquora mersus Nunc in aquas rectus veniet.* Quo quid clarius dici potest ? quid stolidius altero ? *nunc æquore mersus* est κολυμβητής· *Nunc in aquas rectus,* quasi vestigiis ac plantis aquæ insistens, et maris superficiem perambulans. Quod ex illis apparet : 'Aut vada mentitus reddet super æquora campum.' Quid magis falsi convicerit supposititium illum partum quam hæc tam concinna sententia ?' *Scal.* '*Nunc æquore mersus Deducet palmas, furtivo remus in ipso*] Posteriorem pro spurio habet Scal. sed perperam. Libri veteres *mersas ;* pro *deducet,* Voss. *dicutet.* Repone, *nunc æquore mersas Diducet palmas, furtivus r. in i. Diducere palmas* est natantis, ut alas volantis ; non *deducere. Furtivus in seipso remus,* ut apud Musæum Leander : Αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, αὐτόστολος, αὐτόματος νηῦς. Et Ovidium, Heroid. XVIII. 148. 'Idem navigium, navita, vector ero :' et ibidem, 215. 'Cum patietur hiems, remis ego corporis utar.' Vossius ad Catullum, *portuno remus in ipso ;* non potuit infelicius.' *Bent.* '*furtivus remus in ipso*] Consentit in hac lectione cod. Paris. Magis placet vulgata Regiom. *furtivo remigis usu.*' Stoeb. —426 Scal. Delph. et vulg. *passimque,* et mox 427. pro *æquore, æquora.* 'Lege, *æquore.*' Reines. 'Quorsum illud *passim ?* quid hoc ad erectam na-

NOTÆ

423 *Hic alterna, &c.*] Hoc vs. cum dimid. notat illud natatorum genus, qui natando alterna brachia ferunt in lentos tractus, et aquas plaudunt.

424 *Nunc æquore mersas, &c.*] Hoc vs. cum dimid. notat illud natatorum genus, qui furtim ita manuum remigio intra aquas utuntur, ut sine remige supernatare aquis videantur.

426 *Nunc in aquas rectus, &c.*] His 2. vss. notat illos natatores, qui recti, et quasi pedem aquis figentes natant, mentiunturque super æquora campum.

Aut immota ferens in tergus membra latusve,
Non onerabit aquas, summisque accumbet in undis,
Pendebitque super ; totus sine remige velum est.
Illis in ponto jucundum est quærere pontum,
Corporaque immergunt undis, ipsumque sub antris
Nerea, et æquoreas conantur visere nymphas ;

et in latus sua brachia immobilia, non premet pondere aquas, et jacebit stratus in supremis aquis, et suspendebit sine remige super mare sibi non periculosum. Jucunda res est iis, qui immergunt corpora sub aquis, quærere mare in ipso mari, et tentant invisere sub antris ipsum Nerea et Nymphas maritimas. Et ex-

tationem ? Vetusti quattuor, *passumque*. Repone, *passuque n.; Et v. m., r. s. æquore c.* Ita æquore natabit, ac si passu super terram incederet. *Mentitus vada*, quasi fundum pedibus tangeret. *Æquore* pro *æquora* etiam Reines.' *Bent.* ' Libri, quot evolvimus, universi, *passimque natab.* Retinendum ergo. Sumsit Noster hoc *passim* eo sensu, quo semel apud Virgil. Æneid. III. 510. ' passimque in littore sicco Corpora curamus.' Ubi Servius exp. '*passim*, i. e. prout quis voluit.'' *Stoeb.*—428 Vulg. *tergum*. ' Gemb. *tergus*, quod est familiarius Manilio quam *tergum*, ut passim patet.' *Scal.* ibid. Scal. Delph. et vulg. *latusque*. ' Immo, *latusve*.' Bent.—430. 431 Vulg. *P. que s. totum s. r. pontum*. ' Gemb. *tutum*. [Gronov. II. 2. pro *totum* legit *tutum*. Reines.] Haud dubie scripsit Manil. *tutus*. Quid est quærere pontum in ponto ? Longe aliter Gemb. et quidem optime: *Votum est Illis in ponto, jucundum est quærere pontum*. Tota hæc perioche igitur ita concipienda : *P. que s. tutus s. remige. Votum est Illis in ponto: j. est q. pontum, C. qui m. u.* Jam vera est hujus loci correctio, quem nemo antea capiebat. Repetendum vero ἀπὸ κοινοῦ τὸ *Ex illo*. Ex illo sidere illi sunt, qui corpora immergunt : et quibus votum est in ponto : qua ἐλλείψει non raro utitur.' *Scal.* ' *Votum est in ponto*, et *jucundum est pontum quærere*, post tot descriptiones, frigida et putida sunt. Gemb. *tutum*, non *tutus*. Lips. et Voss. *totum*. Gronov. Observ. II. 11. sic legit, *P. q. s. tutum s. r.* (;) *pontum*. Voss. ad Catullum, *P. q. super totum s. r. pontum*. Sed vetusti omnes habent *votum est:* et utrumque vs. in idem verbum desinere, nullo modo ferendum est. Repone et distingue, *Pendebitque super ; totus s. r. velum est. Illis in ponto, &c.* Pendebit super aquas immotis membris; ergo non remigat, sed velificat tantum. Ut supra 425. erat remus furtivus; ita nunc contra, diverso natandi modo, velum est sine remo. Ovid. Trist. I. 9. ' Sive opus est velis : minimam bene currit ad auram. Sive opus est remo : remige carpit iter :' et v. 14. ' Vela damus, quamvis remige puppis eat.' Seneca Thyeste, 438. ' Sic concitatam remige et velo ratem Æstus, resistens remigi et velo, refert.' *Quærere pontum in ponto*, seqq. satis explicant. Non contenti summo æquore, in imum se immergunt. *Illis* opponitur *hic* vs. 423. *Hic* natator, *illis* urinatoribus.' *Bent.* ' Sublata distinctione, Regiom. et cusi reliqui, assentiente cod. Pa-

NOTÆ

428 *Aut immota ferens, &c.*] His 2. vss. notat eos, qui supini, aut in latera proni fluctibus incumbunt, et quasi immoti supremis accumbunt aquis.

431 *Illis in ponto, &c.*] His 3. vss. notat urinatores.

433 *Nerea*] Deum maris, supra vs. 196. qui cum nymphis æquoreis habitare fingitur sub antris ac scopulis.

**Exportantque maris prædas, et rapta profundo
Naufragia, atque imas avidi scrutantur arenas.
Par ex diverso studium sociatur utrumque
In genus, aque uno digestum semine surgit.
Annumeres etiam illa licet cognata per artem**

trahunt ea, quæ pelagus prædatum est, et res naufragas, quas mare rapuit, et cupidi rimantur infimas arenas maris. Potes etiam addere illa corpora simi-

ris. sic: *P. que s. totum s. r. pontum* (.) *Pendebit* quasi piscis, quem eodem sermonis schemate, supra vs. 398. dixit *pendentem* in æquore cæco.' *Stoeb.*—436 Vulg. *Par ex diverso studet et s. u.* 'Tantum ex *pars* fecimus *par*; quod infinitis locis in hoc auctore commutatum est. Poterant et concinnius hi tres versus ita concipi: *A. t. p. p. que c. Par ex d. studio s. u. In g., atque u. digestus semine s.* Sed quia commodam sententiam concipit vulgata lectio, securam relinquimus.' *Scal.* Et sic Delph. 'In aliis codd. *Pars e. d. studet et s. u. I. g. atque u. digestum s. s.* Quam tamen postremam lectionem tutatur J. Bitur. mutando tantum vocem *femine*, quasi *femore*. Verum obscurior eo lectio videtur. Itaque sensus est quod natus sub delphino *par ex diverso studet*, i. e. pariter mari et terris studet, quia et cursor et natator erit; *atque in utrumque genus, sociatur et surgit*, supp. currendi in terris, et natandi in aquis: *uno digestus semine*, i. e. licet ex una terra ducat originem, ut qui sit homo.' Delph. 'Pro *par* veteres omnes *pars*; pro *studet et*, Venet. *studuit*, Voss. *studium*. Repone, *Par e. d. studium s. u. I. genus, aque u. d. s. s.* Descripserat primum natatores, deinde urinatores: de utrisque nunc dicit, *Par ex diverso studium, sociari in genus utrumque*, tam horum quam illorum, *et ab uno semine digestum surgere. Digestum* in duas partes; ut Ovid. Heroid. IX. 91. 'Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi Geryones; quamvis in tribus unus erat? Inque canes totidem trunco digestus ab uno Cerberos, implicitis angue minante comis?' Et Met. IX. 773. 'Et septem digestum in cornua Nilum.' Hoc vult, ex urinatoribus facile natatores fieri, et ex natatoribus urinatores.' *Bent.* 'Cod. Paris. et editorum optimi sic legunt: *Pars ex diverso studet. Pars* scil. hominum sub delphino natorum *ex diverso studet*, in terra nempe. Locutus modo de iis, qui saliendo, ambulando, recumbendo, mergendo, et in mari se erigendo mira patrant, nunc illos laudare instituit, qui terrestribus aut aëriis ambulationibus, saltibusque se exercent; Diversa, ait, aliorum studia, tamen cognata, et utrumque genus hominum vel studiorum sociatur in unum scil. natandi vel saltandi; atque utrumque genus surgit vel ortum trahit uno semine scil. delphini, licet sit digestum, i. e. in plura distributum studia, eaque, saltem ratione loci, diversa.' *Stoeb.*—438 Vulg. *Ad numeros etiam illa licet.* 'Scribe, *Ad numeros etiam ille ciet.*' Scal. 'Lege, *Adnumeres.*' Reines. Et sic Delph. Vid. Not. inf. '*Ille ciet*, Delphinus scil. a Scal. est. Sed quid est *ad numeros ciere?* Hoc tacet. Lips. et Voss. *ulla licet:* Gemb. cum re-

NOTÆ

438 *Annumeres etiam, &c.*] Ita Thom. Reinesius, nec male. Ubi enim locutus est Poëta de natatoribus, jam de cursoribus et petauristis est acturus, quos utrosque dat delphini sidus. Male enim Rom. *Ad numeros etiam, &c.* Male Scaliger, *Ad numeros etiam ille ciet, &c.* His autem 4. vss. seqq. notat petauristas et oscillatores.

Cognata] I. e. quæ ex arte aliquam habeant similitudinem cum iis corporibus, quæ natant peritissime.

Corpora, quæ valido saliunt excussa petauro,
Alternosque cient motus: delatus et ille
Huc jacet, atque hujus casu suspenditur ille.
Membrave, per flammas orbesque emissa flagrantes,

lia istis per artem, quæ scilicet mota vehementi petauro saltant, et agunt motus alternatim; et alter sublimis modo deprimitur, et alter elatus pendet ex alterius lapsu: et corpora jactata per ignes et per gyros flammantes, leni-

centioribus, *illa licet*. Egregia est Reinesii emendatio: *Adnumeres etiam illa licet*. His natatoribus et urinatoribus *adnumeres licet*, adjungere poteris, ob artis cognationem petauristas et cursores.' *Bent.*—440 Vulg. *delatus et i.* 'Scribe *elatus et ille.* Rota in sublimi posita a duobus versabatur. alter superne, alter inferne nitebatur. Ita fiebat, ut alternis dejecti nunc penderent, nunc erecti sederent. Per eandem rotam etiam corpora contento saltu subjecta trajiciebant. Martialis: 'Quam rota tramisso toties impacta petauro.' vel *intacta*, quod melius. Similis huic erat lusus, qui dicebatur σκαπέρδα. Nam in fune per arrectarium tignum trajecto idem fiebat, quod hic in rota. Vide Pollucem.' *Scal.* Et sic Delph. '*Delatus* libri universi. pro *Nunc* vs. seq. Voss. *Huc*. Repone, *delatus et ille Huc jacet.* Aliud agebat Vir magnus cum *elatus* reponeret. Quomodo enim *elatus jacet?* Hoc ἀσύστατον.' *Bent.*—442 Scal. Delph. et vulg. *Membraque*. 'Immo, *Membrave*, cum vetustis.

NOTÆ

439 *Petauro*] Petaurum machina erat in sublimi suspensa, ex qua se in aëre excuterent, atque evolarent petauristæ. Vel ludi genus est, cum quis per circulum admodum angustum, aut per plures proxime sibi additos, mira agilitate transvolat, præmissis manibus ac capite, reliquo ita sequente corpore, ut illos orbes non tangat, sed transiliat celer, atque rotato quasi corpore ultra non in caput sed in pedes prosiliat. Nonius autem petauristas veteribus dictos ait, quod saltibus et scenis levioribus moverentur. Petaurum enim dicitur a vocibus Græcis *πέτασθαι ἐν ταῖς αὔραις*, i. e. *volare in aëre*. Erat et aliud ludi genus, quo pueri ex longa trabe superimposita metæ, aut alteri transversæ trabi, alternos ciebant motus modo sursum, modo deorsum hinc inde: vel aliud notat ludi genus, quod Gallice vocant *Escarpoulette*, cum pensiles ex arbore gestationes aguntur, quam jactationem vocant Latini oscillationem, qua ludentes alternatim assurgunt et deprimuntur. Virg. Georg. II. 389. 'Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu,' &c. Vel aliud similiter ludi genus notat, quo funambuli saltu in sublime tollerentur, quasi de fune in funem. Claud. Cons. Carm. XVII. 320. 'Vel qui more avium sese jaculentur in auras, Corporaque ædificent, celeri crescentia nexu, Quorum compositam puer amentatus in arcem Emicet, et vinctus plantæ vel cruribus hærens, Pendula librato figat vestigia saltu,' &c.

442 *Membrave,* [*Membraque*] *per flammas, &c.*] Gemblac. ita legit hos quatuor versus; bene. Notat enim pegmates, seu potius pegmares. Erant autem gladiatores, qui pegmatis impositi per medios ignes accensos membra strenue transmittebant. Pegma enim erat lignea machina in qua statuæ collocabantur, quæque cum ludicris producebatur in scenam, vel etiam cum pueris insidentibus; cujus formam describit Seneca epist.

Mollìter ut liquidis per humum ponuntur in undis.
Delphinumque suo per inane imitantia motu
Et viduata volant pennis, et in aëre ludunt.
At si deficient artes, remanebit in illis
Materies tamen apta. Dabit natura vigorem,
Atque alacres cursus, campoque volantia membra.
  Sed regione means Cepheus humentis aquarî
Non dabit in lusum mores. Facit ora severa:

ter ponuntur per terram, sicut in fluidis aquis: et imitantia delphinum agitatione sua per aëra, et carentia pinnis volitant et ludunt in aëre. Verum si artes defuerint, attamen materies idonea restabit in illis. Natura tribuet robur, et veloces cursus, et corpora volitantia in arena. Sed Cepheus veniens in spatio rorantis aquarii non tribuet studia in lusum. Dat vultus austeros: et effingit vultus et ora ex gravitate

Diversorum hoc artificum, non eorundem.' *Bent.*—443 Vulg. *Tollitur et l.* 'Actum erat de salute hujus infelicissimi versiculi absque cod. Gembl. Nam quid est *tollitur* et *ponuntur?* Sed restitutus ex fide Gembl. omnem litem transiget: *Membraque per flammas orbesque emissa flagrantes Molliter ut l. per h. p. in u.* quanquam clarior esset lectio: *Molliter ut per humum, l. p. in u.* Ponuntur membra per flammas et undas tam molliter, ac si ponerentur in humo. Nam si intelligis de petauro, prorsus stolidus es et stipes. Flammarum enim istarum mox meminit. Audi quæ sequuntur.' *Scal.* 'Cod. Paris. et impressi tres, *Tollitur* (,) *et liq.* Regiom. *Toll. ut liq.*' Stoeb.—444 Vulg. *Delphinumque suos per inane natantia motus.* 'Emendavimus *D. q. suo p. i. imitantia motu.* Volant per inane sine pennis, et in aëre ludunt imitantia delphinum suo motu. An non ita scripsit Manilius? Si negas aut κακοήθης, aut imperitus es.' *Scal.* 'Prisca lectio fert *suos motus*, et hoc *suos* quidem eleganter, quia nati delphino præside ab ipso isthæc naturaliter agebant. *per inane*] Vel, *inanem aërem*, quod expressit Sidon. Apollinaris Carm. IX. 3. Confer Nostr. I. 158. et IV. 591. De delphini per aëra natatu supra dictum.' *Stoeb.*—450 Vulg. *facit ora manere.* 'Συνεστηκὸς πρόσωπον. Sed interpolatum est. Gembl. *facit ora severa: Frontes ac v. c. p. mentis.* Recte.' *Scal.* 'Libri nostri, *fac. ora manere.* id est, facit ora constantiam præ se ferentia, componit mentes cum gravitate vultus et frontis, quod est in vers. seq. qui iisdem

NOTÆ

99. et de qua Claudian. XVII. 325. 'Mobile ponderibus descendat pegma reductis, Inque chori speciem spargentes ardua flammas Scena rotet. Varios effingat Mulciber orbes Per tabulas impune vagas, pictæque citato Ludant igne trabes, et non permissa morari Fida per innocuas errent incendia turres.' Male ergo alii castigare istos versus Manilianos conati sunt: *Membraque per flammas orbesque emissa flagrantes Tollitur, ut liquidis per suum ponuntur in undis Delphini, inque suos per inane natantia motus, &c.*

449 *Sed regione means, &c.*] His 37. vss. ait Poëta exoriri Cepheum cum aquario; at quo cum gradu aquarii non notat. Hoc autem sub sidere nasci asserit severos, superciliosos, pædagogos, tragœdos, pantomimos, comœdos, histriones, et declamatores, ut vocant. De Cepheo autem dictum est I. 354. et de aquario II. 233.

Frontes ac vultus componit pondere mentis.
Pascentur curis, veterumque exempla revolvent
Semper, et antiqui laudabunt verba Catonis,
Tutorisve supercilium, patruive rigorem.
Componet teneros etiam qui nutriat annos,
Et dominum dominus prætextæ lege sequatur,
Quodque agit, id credat, stupefactus imagine juris.

animi. *Nati sub hoc sidere alentur solicitudinibus, et relegent perpetuo exempla antiquorum, et prædicabunt palam dicta veteris Catonis, vel severitatem defensoris pusillorum, vel severitatem avunculi paterni. Hoc sidus dabit hominem, qui alat quoque juveniles annos, et qui, licet sæpe herus sit, pareat tamen magistro jure prætextæ, atque attonitus specie magisterii credat id omne, quod ille faciet.* Immo

libris præstantioribus sic legitur: *Frontisque ac v. c. p. mentes.*' Stoeb.—455 'Malo cum libris vetustioribus, *Component*, uti revolvent, laudabunt.' Stoeb.—456 'Gemb. *prætexta*, dictum, ut prætextæ comœdiæ, i. e. *prætextatæ* Horatio. Sed *prætextæ* retineo.' *Scal.* '*prætextæ* Gembl. Paris. et Lips. *prætexta lege*, quasi prætenta, ficta, cum nulla extet propriis verbis concepta; *imaginem juris* vocat versu seq. *prætextæ lege* dictum erit pro jure ætatis.' *Stoeb.*—457 Scal. Delph. et vulg. *Quodque aget, id credes, s. i. juris.* 'Quæ sit mens hujus versiculi dicerem, si huc pertineret. Nam profecto hic locum non habet. Recoque, versa in incude tenaci forcipe. nunquam sensum huic loco accommodum ex eo erues. Infra reddetur illi locus suus.' *Scal.* 'Hunc vs. ex suo loco, quem in membranis et nunc in hac editione servat, removerat Scal. ultra vs. 485. et insuper interpolaverat. Sic enim libri veteres. *Quodque agit, id credat, s. i. juris. agit* Gemb. ceteri *agat.* Recte hoc explicat Gronovius Observ. II. 11. Componet Cepheus pædago-

NOTÆ

453 *Catonis*] Utriusque scilicet; namque ambo dantur in exemplum severitatis et integritatis, vs. 106. et I. 769.

454 *Supercilium*] Severitatem, gravitatem. Quia enim supercilio aut annuimus aut negamus, aliquando ipsum usurpatur pro severitate. Juven. Sat. VI.

Patruive] Paterni avunculi; quod nomen sæpius usurpatur pro severo homine. Horat. Carm. III. 12. et Cicer. pro Cælio: 'Qui in reliqua vita mitis esset, fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister.' Scilicet quia patruus de fratris liberis curans minus est mitior judex quam pater ipse foret.

455 *Componet teneros, &c.*] His 2. vss. notat pædagogos, qui pueros nutriunt, educant, moribus imbuunt, et quibus ipsi pueri, licet jure dignitatis domini sint, parent tamen jure prætextæ.

Teneros annos] Pueros.

456 *Dominum*] Magistrum, jure magisterii.

Dominus] Herus, jure dignitatis aut divitiarum.

Prætextæ lege] Quasi jure ætatis et disciplinæ. Prætexta enim vestis fuit, quam pueri solebant induere; donec togam induerent; quam togam non induebant apud Romanos, nisi post decimumsextum annum.

Quinetiam tragico præstabunt verba cothurno,
Cujus erit quanquam in chartis stylus ipse cruentus.
Nec minus et scelerum facie, rerumque tumultu
Gaudebunt: vivi bustum memorare sepulcri,

etiam dabunt verba in tragico cothurno, cujus tamen ipsum genus orationis erit sanguinolentum in papyro, illi pariter non minus delectabuntur specie criminum, ac rerum seditione ; v. g. commemorare planctum funesti tumuli, et parentem qui

gum, qui dominus, jussu heri majoris dominus constitutus, sequatur dominum, herilem filium, herum minorem ; et interim credat se revera dominum sui domini esse, superbiens imagine juris, sibi tantum pro tempore commissi.' *Bent.* '*Quodque agit*] scil. pædogogus. Regiom. et ceteri vulgati, *agat ;* minus bene. *id credat*] tolle distinctionem, quæ vel magnum impedivit Scal. ut sensum ne assequeretur. Itaque versum putavit transponendum. Pessimo id, nobis videtur, esse factum consilio. Planus erit ac facilis quin et commodissimus hujus versiculi sensus, si hoc eum ordine evolveris : Et stupefactus ephebus, sic dictus, quia rationis usu frui nec ei licet, credat imagine juris secum agi, vel de ipso statui, id quod agat vel in ipsum statuat, quis? pædagogus. His compara Gronovii expositionem, Bentleio quoque probatam et recitatam ex lib. II. Observ. VI. p. m. 300.' *Stoeb.*—461 Scal. Delph. et vulg. *G. atri luctum m. s.* 'Quis iste *luctus atri sepulchri?* Antigonæ, inquiunt, apud Sophoclem. O pauperis venæ poëtam ; si non aliis verbis Antigonen monstrare potuit, quam quæ alii cuicumque funeri æque conveniant. Pro *atri luctum* Gemb. et Lips. *atri luxum ;* Vossianus *aure luxum.* Repone, *G. vivi bustum m. s.* Thyesten intelligit ; ut et sequentia probant. *Bustum vivi sepulchri, ἔμψυχος τάφος.* Lucretius v. 991. 'Viva videns vivo sepeliri corpora busto.' Ovid. Met. VI. 665. de Tereo : 'Flet modo, seque vocat bustum miserabile nati.' Statius Theb. VII. 20. 'offensique sedent ad busta sepulchri.' ubi Ms. Regius *justa.*' Bent. 'Ad fidem codd. et sententiæ rationem hi versus ita sunt legendi et interpungendi : *Cujus erit, quamquam in chartis, stilus ipse cruentus, Nec minus et scelerum facie rerumque tumultu, Gaudebunt atri luc-*

NOTÆ

458 *Quinetiam tragico, &c.*] His 12. vss. notat tragœdos, seu qui tragœdias agant aut scribant, quarum nonnulla argumenta memorat, quæ a veteribus poëtis fuere conscripta.

Cothurno] Cothurnus calceamentum erat, quo tragœdi utebantur, sicut soccus calceamentum erat comœdorum. Horat. de Arte Poet. Cothurnus autem altioris erat formæ, ut staturam majestatis majoris ergo adjiceret. Tertull. de Spectac. 'Diabolus tragœdos cothurnis extulit, quia nemo potest adjicere cubitum novum ad suam staturam, mendacem facere vult Christum.' Et Juvenal. Sat. VI. 506. 'breviorque videtur Virgine Pygmæa, nullis adjuta cothurnis.' Sumitur autem et pro ipsa tragœdia, quæ varia sortitur epitheta pro variis auctoribus. Sic Virg. Ecl. VIII. 10. 'Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.' Sic Horat. Carm. II. 1. 'Cecropio repetes cothurno,' &c.

461 *Vivi bustum* [*atri luctum*] *memorare sepulcri*] Qualis est tragœdia, quam Sophocles Antigonen inscripsit. Antigone quippe Œdipi Thebanorum regis filia, cum ad officium funebre fratrum, Eteoclis et Polynicis, venisset, atque una cum Argia Polynicis conjuge corpora fra-

Ructantemque patrem natos, solemque reversum,
Et cæcum sine luce diem: Thebana juvabit
Dicere bella uteri, mixtumque in fratre parentem:
Quin et Medeæ natos, fratremque, patremque:

eructet liberos suos: et solem, qui retrocedat, et tenebrosum diem sine luce: placebit memorare Thebana bella ventris, et patrem mixtum in fratre; quærere filios

tum memorare sepulcri, &c. In secundo versu *Nec* pro *non nis. et scel.* particula hic abundat. *scelerum facies* est figura rem ipsam spirans, proxima veritati. Contrarium est *species*, quod nimirum parum aut nihil veritatis habet. *rerumque*, i. e. quam rer. tum. *Gaudebunt memorare*, quæ omnino jungenda, polita sunt pro Libenter et quasi cum voluptate memorabunt, vel in scena tragica agent *atri luctum sepulcri*, i. e. Antigonæ fabulam. Hæc antiqua lectio, quam retinendam puto propter constantem librorum fidem: vulgatam Bentleii non penitus improbamus, ob sententiæ acumen cum venustate conjunctum. Pari sermonis elegantia Lucretius, quem longe ante nos adiit vir ille κριτικώτατος, v. 991. in eadem fabula: 'Viva videns vivo sepeliri viscera busto.' Novit etiam hunc versum, et ad Sidon. Apoll. recitavit Savaro Carm. IX. pag. 120. neque tamen id sibi datum putavit, ut Nostri locum ad illius normam efformaret.' *Stoeb.*—462. 463 Scal. Delph. et vulg. *solemque reversum Et cæcum sine sole diem.* 'Hæc inepta sunt. Repone, *noctemque reversam Et cæcum sine sole diem*, vel potius, *solemque reversum, Et cæcum sine luce diem. Luce* et *sole* sæpe permutantur.' *Bent.* 'Confer prologum libri III. 18. ex quo hæc cum sequentibus repetita. Altero versu pro *luce*, libri veteres *sole*. Sic etiam Savaro l. c. pag. 121. *luce* præfert Markland. ad Statium pag. 156.' *Stoeb.*—465 Scal. Delph. et vulg. *Quærere Medeæ natos.* 'Quorsum illud *Quærere?* 'Ex persona Jasonis,' inquit Scaliger, 'interfectos a Medea natos

NOTÆ

trum cremasset, jussu Creontis Atheniensis tyranni capta et occisa fuit cum Argia. Quarum mortem postea ultus est Theseus, Creontemque interfecit. Qua de re Sophocles tragœdiam grandi cothurno scripsit; quasi sub hoc sidere Cephei procreatus ideo Manilio videatur.

462 *Ructantemque patrem, &c.*] Hoc vs. cum dimid. notat Poëta impium Atrei facinus, qui fratri suo proprios filios manducandos apposuit; cujus facinoris horrore sol retrocessisse fertur, ut dictum est III. 17.

463 *Thebana bella uteri, &c.*] Quæ scilicet Polynicem inter et Eteoclem fratres, Œdipi Thebanorum regis filios, ex nefando Jocastæ concubitu sunt exorta. His autem pater in exilium sponte proficiscens ea lege regnum reliquerat, ut alternis regnarent. Verum ubi Eteocles natu major priores regnandi vices per annum obiisset, alternas fratri cedere recusavit. Qua de re indignatus Polynices sese Argos contulit ad Adrastum regem, cujus filiam Argiam in uxorem duxit; atque ibi contractis viribus ac copiis fratri Thebanorum regi bellum intulit; quo in bello ambo singulari certamine ceciderunt mutuis vulneribus. Qua de re Œdipus tragœdia inscribitur.

464 *Mixtumque in fratre parentem*] Œdipum, qui et pater et frater uterinus fuit liberorum, quos ex matre suscepit, quam inscius duxerat in uxorem, III. 16.

465 *Quin et Medeæ natos*] Quos enim liberos ex Jasone susceperat Me-

Hinc vestes, flammas illinc pro munere missas,
Aëriamque fugam, junctosque in curribus angues.
Mille alias rerum species in carmina ducent.
Forsitan ipse etiam Cepheus referetur in actus.

Medea, et fratrem et genitorem: vestimenta data in munus ex una parte, et ignes missos in munus ex alia parte, et fugam per aëra; et annos provectos per flammas. Memorabunt quoque carminibus suis mille alia rerum genera. Et fortasse ipse

quærentis et desiderantis.' Esto hoc Jasonis: at cujus est quærere Absyrtum *fratrem*, et patrem *Æetam*. An et hoc Jasonis? Lips. et Voss. *Quære tunc-dee natos.* Repone, *Quin et M. n. f. p. q.* Quin et juvabit dicere Medeæ natos.' Bent. 'Iidem libri *Quærere*, scil. ex persona Jasonis, interfectos a Medea natos quærentis et desiderantis.' *Stoeb.*—467 Scal. Delph. et vulg. *vectosque ex ignibus annos.* 'Lege, *tractosque ex ignibus annos*: ut intelligi fabulam recocti Peliæ a filiabus suasu Medeæ velit. Lib. III. v. 11. 'reduces annos' adpellat in re eadem.' *Reines.* 'Historiam Medeæ ordine exequitur. Atqui coctio illa Æsonis longe præcessit fugam aëriam. Deinde an recte coctionem hanc ista exprimunt, *vectos ex ignibus annos?* cum dicere debuisset, *aut ablatos ignibus annos.* Quid si legamus, *vectosque ex ignibus angues?* Nam conflagrante Creontis regia, quam incenderat, draconibus in aërem vecta profugit.' *Huet.* 'Reines. mavult *tractosque.* Huet. *vectosque ex i. angues.* 'Nam, &c. Atqui ipsa non tum erat in domo Creontis. Pro *vectos* Gembl. et Lips. *nectos*; Vossianus *noctos.* Repono, *A. q. f., junctosque in curribus angues.* Ovid. Fast. IV. 497. de Cerere; 'frænatos curribus angues Jungit.'' *Bent.* 'Recta et constans veterum lectio hæc est: *vectosque ex ignibus annos.* Anni *vecti*, quasi provecti, Æsonis *ex ignibus* facti sunt juveniles: vel, uti supra lib. III. 11. 'reduces.' 468. *rerum species.*] Vide adnot. ad vs. 459. sqq. *in carmina*] Confer iterum Markl. l. c. pag. 291.' *Stoeb.*—468 Scal. et vulg. *carmine ducent.* '*Dicent* legi jubet Reines. contra testimonium librorum qui habent *ducent.* Conjiciebam *in carmina ducent.*' Huet. Delph. *in carmine dicent.* 'Immo *in carmina* ut et Huet.' *Bent.*—469 Scal. Delph. et vulg. pro

NOTÆ

dea, eos in conspectu patris jugulavit, III. 12. Qua de re tragœdiam scripsit Seneca, quam Medeam inscripsit.

Fratrem] Absyrtum Medeæ fratrem, quem ipsa fugiens patri moram nexura membratim per vias discerpsit. III. 9.

Patremque] Æetam Medeæ patrem, Colchorum regem, quem ipsa prodidit, III. 8.

466 *Hinc vestes*] Veneno tinctas et a Medea pro munere missas Creusæ, quam Jason, repudiata Medea, duxerat, III. 11.

Flammas illinc] Ignem, quem Medea eidem Creusæ misit in scriniolio, quo Creusa cum regia tota combusta fuit, III. 11.

467 *Aëriamque fugam*] Suppl. Medeæ, quæ per aëra draconibus ablata fugit, et postquam Creusam cum regia tota incendisset; et postquam Peliam, cui juventutem fore ut restitueret pollicita erat, jussit a filiabus interfici; et postquam Theseo Ægei filio venena miscuisset, metuens scilicet ne pœnas daret. Ovid. Metam. VII.

Junctosque in curribus angues [*vectosque ex ignibus annos*] Æsoni scilicet, cui Medea juveniles restituit annos, III. 11.

469 *Forsitan ipse etiam Cepheus* [*gestus*,] *&c.*] En pantomimos; qui perso-

At si quis studio scribendi mitior ibit,
Comica componet lætis spectacula ludis.
Ardentes juvenes, raptasque in amore puellas,
Elusosque senes, agilesque per omnia servos,
Quîs in cuncta suam produxit sæcula vitam
Doctor in urbe sua linguæ sub flore Menander,

quoque gestus exhibebitur in actionibus. Verum si quis humanior erit in genere scribendi, conscribet spectacula comica ad jucundos ludos: componet et adolescentes incensos amore, et virgines raptas in amore, et senes deceptos, et servos paratissimos ad omnes res, quibus fabulis Menander doctus in lepore suæ linguæ Græcæ in civitate sua promovit vitam suam in omne ævum, et qui vita expressit vitam, et scriptis

Cepheus, gestus. 'Quid est *gestus referetur in actus?* Verba sensu vacua. Pro *gestus* Vossianus *cæfens.* Repone, *Cepheus.* Ipse forsitan *Cepheus* erit dramatis argumentum. Cepheus persona erat in fabula Andromeda Sophoclis, Euripidis, Ennii, Accii. *Referetur in actus;* ut Horat. A. Poët. 129. 'Rectius Iliacum carmen deducis in actus Quam si proferres ignota indictaque primus.'' *Bent.* '*Cepheus* Bent. est, pro *gestus,* quod veteres ac recentiores libri tuentur omnes. Et Scal. recte hoc retinuit, Barthio quoque ac Marklando probatum. *Gestus* autem V. D. sunt scitæ simulationes, quas actibus opponi putat Adv. p. 1074. Cl. Fayus pantomimos hic in scenam producit, qui personas omnes per singulorum actuum simulationes imitari studebant, in quos Augustus severe animadvertit. Sueton. August. 45. Sed de his Noster infra 479. intelligendus, ubi diserte *tacitum* memorat *gestum.* Nobis h. l. τὸ *gestus* usu antiquo accipiendum videtur pro eo *quod geritur,* Auctor Festus in voce. Hoc vero rerum speciebus opponitur aptissime. Conf. adnot. ad vs. 459. sqq. et Nostrum paulo infra vs. 484. sq. *referetur in actis* (sic libri nostri) dictum pro, repræsentabitur, exhibebitur in theatro. Conf. infra vs. 479.' *Stoeb.*—475 Vulg. *Doctior orbe suo.* 'Βαρβαρίζει. Repone ex Gemb. *Doctor in urbe sua.*' Scal. 'Gemb. *Doctor urbe sua.* Lips. et Voss. *Doctior orbe sua.* Bene habet lectio recepta. *Doctor* est διδάσκαλος, poëta ipse: unde *fabulam docere,* hoc est, componere.' *Bent.* 'Membranæ et editiones veteres, *Doctior orbe suo.*

NOTÆ

nas omnes in scenis per singulorum actuum simulationes imitati ostendebant, in quos Augustus severe animadvertit. Sueton. Aug. 45.

470 *At si quis studio, &c.*] En comœdos his 7. vss. Res enim mitiores tractant comœdi. Horat. Art. Poët.

472 *Ardentes juvenes*] Quales sunt in Andria apud Terent. Pamphilus et Carinus: vel in Adelphis apud eundem Terent. Ctesiphon et Æschinus, &c.

Raptasque in amore puellas] Puta Callidium in Adelphis apud Terent. &c.

473 *Elusosque senes*] Puta in Phormione Terentii Demiphonem et Chremetem; in Adelphis ejusdem Terentii Demeam, &c.

Agilesque . . . servos] Quales sunt in Andria Davus, in Eunucho Parmeno, in Adelphis Syrus, in Phormione Geta, &c. Alludit igitur Poëta ad Terentianas fabulas, quas Græce scripserat Menander, cujus hic mentionem facit.

475 *In urbe sua*] Athenis.

Linguæ] Sup. Græcæ.

Menander] Poëta comicus, Atheniensis, qui fabulas, seu comœdias,

Qui vitæ ostendit vitam, chartisque sacravit.
Et, si tanta operum vires commenta negarint,
Externis tamen aptus erit nunc voce poëtis,
Nunc tacito gestu; referetque affectibus ora,

consecravit. Et si cui fortasse vires ingenii denegaverint tam magnas fabulas rerum, is tamen erit utilis exteris poëtis, modo voce, modo pleno gestu; motibus ani-

---

recte. *Orbis* pro insigni multitudine apud Ovid. Arte Am. I. 174. 'atque ingens orbis in urbe fuit.' Menander itaque *doctior orbe suo*, i. e. maxima multitudine hominum qui spectatum convenerant, vel quos ipsius ætas tulit. Cujus rei testes sunt Græci pariter ac Latini scriptores, e quibus Plutarchum atque Senecam producit Barthius Advers. pag. 324. ubi Nostrum conjicit scripsisse, *Doctior orbe Sofam.* quod equidem adoptare nolim.' *Stoeb.*—476 Delph. et vulg. *Qui vita ostendit vitam.* 'Scribe *Qui vitæ o. v.* Amare solum vivere esse dicit. Mimnermus, et alii. Pleni sunt libri. Verba Aristophanis Grammatici paulo ante producta explicant, quid per vitam vitæ intelligendum sit.' *Scal.* 'Lege *Et vitæ o. vitam. Vitæ*, i. e. βίῳ, humano generi, sæculo. *Vitam*, i. e. honestos mores.' *Reines.* 'Apollodorus Scaligero citatus; ὦ Μένανδρε καὶ Βίε, Πότερος ἄρ' ὑμῶν πότερον ἀπεμιμήσατο; Martialis VIII. 3. 'At tu Romano lepidos sale tinge libellos: Agnoscat mores vita legatque suos.' Sententia igitur est, Menander, qui mores sæculi sæculo ostendit.' *Bent.* 'Ambiguum reddit sensum illud *vitæ*, quod dubitamus, secundo ne an tertio casu sit accipiendum. Ergo satius erit antiquam retinere lectionem, *Qui vita ost. vit. Vita ostendit vitam*, id est, hominum mores ad vivum expressit, ore, scriptis, actu. Quod quidem in summis ejus laudibus posuit Quinctil. Instit. x. 1. his propemodum verbis: 'omnem vitæ imaginem expressit: tanta in eo inveniendi copia, et eloquendi facultas: ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus.' Et Aristophanes Grammaticus, Scaligero citatus, 'Menandrum et Vitam componens, dubitare videtur, utrum Menander vitam imitatus sit magis, an vita Menandrum.'' *Stoeb.* Ibid. vulg. *cursusque sacravit.* 'Et hoc quoque ab interpolatoribus. Gemb. *carusque sacravit.* Nempe male assecutus est scripturam archetypi *cartisque sacravit*, id est *chartisque.*' Scal. 'Ita Scaliger ex conjectura, pro *carusque sacr.* in qua lectione codd. Gembl. et Lips. conspirant. Cod. vero Paris. Regiom. et ceteri, *cursusque sacr.* Hanc ut reducamus, inprimis suadet hoc *sacravit*, quod quidem majus quid significat, ac mandare. Ecquid hoc *chartæ mandavit*, ad laudes Menandri? Notanter autem pluralitatis numero Noster dixit *cursusque*, ut non vitæ tantum, sed et ingenii cursum, quod ait Cicero in Bruto, intelligere simul possis.' *Stoeb.*—479 Scal. Delph. et vulg. *saturo.* 'Quid sit *saturo gestu*,

NOTÆ

octoginta conscripsit Græce.

476 *Qui vitæ, &c.*] Sic Quintilian. l. x. de Menandro: 'Ita omnem vitæ imaginem expressit: tanta in eo inveniendi copia, et eloquendi facultas: ita in omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus, . . . ut omnibus ejusdem operis auctoribus abstulerit nomen, et fulgore quodam suæ claritatis tenebras obduxerit,' &c. Sic Aristophanes dubitat uter Menander vitam, an vita Menandrum, imitatus sit.

477 *Et, si tanta operum, &c.*] His ceteris vss. notat histriones et declamatores.

Commenta] Fabulas, comœdias, tragœdias, &c.

479 *Tacito* [*Saturo*] *gestu*] Pleno ac perfecto gestu. Scaliger autem

Et sua dicendo faciet; solusque per omnes
Ibit personas, et turbam reddet in uno:
Aut magnos heroas aget, scenisque togatas.

mi imitabitur loquelas aliorum, et reddet suas loquendo; et ipse unus aget omnes personas, et exhibebit multitudinem in se solo. Vel aget magnos heroas, vel co-

laborat Scal. expedire; sed frustra. Libri veteres *hesternis*; et *actus* non *aptus*. Pro *saturo* autem Gembl. et Lips. *tanto*, Voss. *tacito*. Repone, *tacito gestu*. *Voce*, actor, quales Roscius et Æsopus; *tacito gestu*, pantomimus, quales Pylades et Bathyllus.' *Bent.* Ibid. vulg. *affatibus*. 'Imo melius Gemb. *affectibus*.' Scal. 'Præter eos, quos Barthius excussit, libros, nostri quoque scripti et vulgati legunt *affatibus*. Quid sit *affatibus ora referre*, vir ille doctus Adv. p. 124. exponit his: 'similem vultui vocem dare, ut quod dicat ita animo habere ipso vultu doceat.'' *Stoeb.*—481 Vulg. *in imam*. 'Inepte. Feliciter olim edidimus *in uno*. Gemblacensis approbat. Lucianus aptissime interpretatur: τὸ γοῦν παραδοξότατον τῆς αὐτῆς ἡμέρας, ἄρτι μὲν Ἀθάμας μεμηνὼς ἄρτι δὲ Ἰνὼ φοβουμένη δείκνυται, καὶ ἄλλοτε Ἀτρεὺς ὁ αὐτὸς, καὶ μετὰ μικρὸν Θυέστης, εἶτα Αἴγισθος καὶ Ἀερόπη, καὶ πάντα ταῦτα εἷς ἄνθρωπός ἐστι. Si Manilium interpretandum suscepisset, non poterat opportunius hunc locum exponere.' *Scal.* '*in uno*] Ita Scal. approbante Gemblac. cui Lipsiens. accedit. At cod. Paris. et Regiom. *in unam* scil. personam, id est, in semetipsum, qui omnibus exprimendis se parem præstat. Conf. Vulpium ad Catullum pag. 496.' *Stoeb.*—482 'Vetusti quattuor *togatus*. Versus spurius et barbarus.' *Bent.* '*scenisque togatas*] Sic omnino cod. Ms. Paris. et editi omnes, præter Regiom. qui vulgavit *scenasque togatas*. Codex vero Lipsiens. magis ad sensum legit, *Aut magnus heroas aget scenisque togatus*: quæ vel sua sponte redeunt in hanc sententiam: Actor ille magnus scenisque togatus aget seu repræsentabit heroas. Videndum, an non dederit Auctor *A. magnos h. aget: scenisque togatus Omnis fortunæ vultum, &c.*

NOTÆ

ait *saturum* esse scenicum vocabulum, quod ad diversimodum actum ac gestum pertinet. Verum idem de rure dicitur: Pers. Sat. I. 71. 'rus saturum laudare:' et de eodem Virg. Georg. II. 197. 'Saltus et saturi petito longinqua Tarenti,' &c. Alii scribunt *satyro*: male; scribendum enim fuisset *satyrico*.

481 *Personas*] Gallice *personnages*. Persona autem multas sortitur significationes. I. Apud philosophos ac theologos usurpatur pro individua naturæ rationalis substantia. II. Apud grammaticos pro larva. III. Apud comicos poëtas pro diversis personis quas agunt in scenis actores: Gallice *personnages*. Modo enim herum, modo servum, modo matronam, modo ancillam, modo patremfamilias, modo liberos, et alias ejusmodi personas agunt in scenis actores.

Turbam reddet in uno] I. e. unus et solus actor omnium personas aget, turbamque integram reddet. Scilicet declamator unus aget herum et servum et filios, &c. Vulg. mendose, *turbam reddet in imam*.

482 *Magnos heroas*] I. e. personas virorum nobilium et illustrium, quales heroës finguntur, qui cum mortales essent, rerum tamen præclare gestarum magnitudine quam proxime ad Deos immortales accessisse videntur. Sic Horat. Art. Poet. 114. 'Intererit multum Davusne loquatur an heros.'

Togatas] Suppl. comœdias, quæ quia scriptæ sunt juxta ritus Romanorum, quorum propria fuit toga, di-

Omnis fortunæ vultum per membra reducet,
Æquabitque choros gestu, cogetque videre
Præsentem Trojam, Priamumque ante ora cadentem.
Nunc aquilæ sidus referam, quæ parte sinistra
Rorantis juvenis, quem terris sustulit ipsa,

mœdias togatas in scenis: scilicet reddet omnem faciem cujuscumque fortunæ per gestum membrorum: et gestu suo adæquabit choros, et faciet quasi intueri Trojam ob oculos stantem, et Priamum quasi pereuntem in conspectu. Jam vero loquar de signo aquilæ, quæ venit a parte læva humentis pueri, quem ipsa aquila rapuit e

Ita enim aptissimus verbis et sensus constat et nexus.' *Stoeb.*—483 Vulg. *Omnes f. vultus.* 'Longe melius Gemb. *Omnis f. vultum.*' Scal. 'Hæc Scaliger ex Gemblac. cui Lips. consentit. Codex vero Paris. et editi veteres universi, *Omnes vultus.* De hujus notione supra. Confer etiam vs. 513. Firmant hanc lectionem Savaro ad Sidon. Apoll. p. 191. pr. et Barth. Advers. p. 324. fin.' *Stoeb.*—485 'Post hunc versus immittendus ille, quem supra expunximus: *Quodque agit, id credes stupefactus imagine veri.* Gemblacensis habet *agit*, quod melius quam *aget:* quanquam parvi refert, *credes* pro *credet*, *veri* pro *juris* legimus. Non interpretamur. Sententia et puero plana. Si quis negat jure hunc translatum hunc versum: et nos negamus jure eum queri, et prius debere æquum animum ad hæc afferre, quam temere de istis judicare, quæ non intelligit, et quibus studio æmulationis infensus est. Non curamus hos malos genios.' *Scal.* 'Versum hunc a Scaligero trajectum suo loco, hoc est, post illum *Et dominus dominum*, retinet, et aliter quam Scaliger exponit Gronov. II. Obs. cap. 11.' *Reines.*—487 'Gemb. *Portantis.*

NOTÆ

cuntur *togatæ:* sicut Græcas fabulas, a pallio, quod supra tunicam gerunt, *palliatas* appellamus. Quadruplex autem togatarum genus distinguitur. I. Prætextatæ, sic dictæ a prætexta, quæ magistratuum et regum vestis erat apud Romanos. In his autem magistratus et imperatores inducuntur agentes de rebus summis. II. Tabernariæ, sic dictæ a tabulis quibus tegebatur scena. In his non magistratus, sed humiles personæ inducuntur, quales sunt fere, qui merces in tabernis vendunt. III. Atellanæ, sic appellatæ ab Atella civitate, in qua primum actæ. In his vero argumenta jocularia tractantur, et satiricis fabulis fere similia. IV. Planipedæ, sic dictæ a vilitate personarum, quæ non cothurno, aut socco, aut pulpito, sed plano pede utebantur in scena. Has autem fabulas Græci vocant *mimos.* Hor. A. Poët. meminit prætextatarum et togatarum; et Juv. Sat. I.

483 *Omnis fortunæ*] Omnis conditionis, ut vocant.

484 *Æquabitque choros gestu*] En pantomimos, qui quod cantores voce reddebant, id gestu exhibebant.

485 *Præsentem Trojam, &c.*] Adeo rem sub oculos quasi præsentem ponebant. De Troja dictum est I. 515. et alibi passim.

Priamumque] De quo III. 7. et IV. 64.

486 *Nunc aquilæ sidus, &c.*] His 17. vss. ait Poëta exoriri aquilam cum duodecimo gradu aquarii. Quo sub sidere nati vivere solent cæde humana et ferina, spoliis ac rapinis. Nascuntur et contumaces, fortissimi, strenui, armigeri, regumque per bella ministri, ac satellites fortesque milites. Firmic. VIII. 16. Porro de aquilæ sidere et situ diximus I. 624.

487 *Rorantis juvenis*] Ganymedis

Fertur, et extentis prædam circumvolat alis.
Fulmina missa refert, et cœlo militat ales,
Bis sextamque notat partem fluvialis aquarî.
Illius in terris orientis tempore natus
Ad spolia et partas surget vel cæde rapinas.
Cumque hominum dederit strages, dabit ille ferarum:
Nec pacem a bello, civem discernet ab hoste.
Ipse sibi lex est; et, qua fert cumque voluntas,
Præcipitat vires: laus est contendere cuncta.

terris in cœlum, et circumvolitat pennis expansis circa rapinam suam. Volucris etiam in cœlo reportat fulmina Jovis vibrata, et gerit arma, et signat duodecimum gradum aquarii æquorei. Quicumque nascetur in terris sub tempore illius ascendentis, is feretur ad prædas et ad rapinas etiam nece factas: et ubi ediderit clades hominum, edet etiam clades ferarum: neque distinguet inter pacem et bellum, neque inter civem et hostem: ipse sibi erit lex, et fert impetus suos in quamcumque partem voluntas illius feretur: gloria est certare omnia. Et si fortasse audacia advenerit

Aquarius sculptus est in Kalendario rustico Romano humeris urnam bajulans: non tamen puto verum lectionem *Portantis.*' Scal.—493 Vulg. *Cuique.* Correxit Scal. assentiente Reines. 'Versus opinor spurius, sententiam mediam interrumpens.' *Bent.* 'Pro *Cumque,* libri omnes *Cuique hom. dederit, &c.* legendum utique cum Barth. l. c. *deerint,* in hunc sensum: qui non poterit hominum cæde, ferina grassabitur. Conf. Markl. ad Stat. p. 318.' *Stoeb.*—494 'Sic legitur soli cod. Lips. *Nec pace ac bello civem discernit ab hoste;* id est, semper ipsi bellum erit contra omnes. Majus huic inest acumen sententiæ, ac alteri. Quod si illam Auctor voluisset, dedisset certe, *nec civem discern.*' Idem.—495 Vulg. *fert quocunque voluntas.* 'Gemb. *Ipse sibi lex est, et qua fert cunque v.* Alioquin ambiguum esse potest τὸ *Ipse sibi lex est.* Nam et μηδένα ἀδικοῦντες ipsi sibi sunt lex.' *Scal.* 'Ita Scaliger ex suo codice, suaque conjectura. Regiom. juxta cum cod. Paris. *et fert quæcunque voluntas* vel *voluptas,* quod habet dictus Ms. in textu, alterum in margine, pro varia lectione. *et quæcunque voluntas fert, Præcipitant vires,* uti certissime habet cod. Lips. *vires præcipitant,* i. e. ad peragendum violento impetu incitatur.' *Stoeb.*—496 Vulg. *laus est concedere cuncta.* 'Quid, aut cui concedere? Gembl. *laus est contendere cuncta.* Scripsit Manilius, *laus est contendere contra.* Vere est, quod diximus, ἀνθέκαστος, μονογνώμων, qui semper vero se opponit. Nullum aliud genus hominum hodie videas. Rari, qui cedant vero, multi qui contendant contra. Qui voluerit retinere *cuncta,* poterit sine ulla absurditate; sed altera lectio est, quam reliquit Manilius.' *Scal.* 'Lege, *concidere;* id est, sternere, vastare, subjugare.' *Reines.* 'In nostris pariter ac Barthii libris legi-

NOTÆ

i. e. aquarii, II. 566. IV. 357. 472. 559. &c.

488 *Prædam*] Nempe Ganymedem, supra quem fertur in cœlis. Promiscue autem hic loquitur Poëta de Ganymede et aquario, quia fabulantur aquarium esse Ganymedem. At in cœlis Ganymedes situs est sub aquila, aquarius vero longe inferius stat.

489 *Fulmina missa refert*] I. 343.

495 *Ipse sibi lex est, &c.*] His 2. vss. notat contumaces, qui sibi uni parent, et contendunt.

At si forte bonis accesserit impetus ausis,
Improbitas fiet virtus. Et condere bella,
Et magnis patriam poterit decorare triumphis.
Et quia non tractat volucris, sed suggerit, arma,
Immissosque refert ignes, et fulmina reddit,
Regis erit magnive ducis per bella minister,
Ingentesque suis præstabit viribus usus.
At cum Cassiope, bis denis partibus actis,
Æquorei juvenis dextra de parte resurgit,
Artifices auri faciet; qui mille figuris
Vertere opus possint, caræque acquirere dotem

rebus bene gestis, malitia illius mutabitur in virtutem. Poterit et facere bella, et decorare patriam magnis tropæis. Et cum ales, nempe aquila, non mittit, sed sumministrat arma, et reportat tantum missos ignes, et refert fulmina, natus sub illa erit minister regis, vel magni ducis in bellis, et præbebit maxima officia suo robore. Verum ubi Cassiope tollitur a dextra parte, scilicet viginti gradibus fluvialis pueri præteritis, dabit opifices auri, qui queant variare opus per mille formas, et assequi mer-

tur *concedere*, quæ judicante V. D. verissima est scriptura, sed nemini intellecta. Nam *concedere* pro cedere positum. Itaque *cuncta* ipsi *cedere* pro laude habet Aquilæ imitator. Poteris etiam retinere suo sensu *concedere*, scil. in ipsius voluntatem vel voluptatem.' *Stoeb.*—497 Scal. Delph. et vulg. *Et si.* 'Immo *At si.*' Bent.—499 Scal. Delph. et vulg. *poterit ornare.* 'Vetusti codices *poterunt.* Repone, *E. m. p. poterit decorare triumphis.* Cic. 'Scipiones patriam spoliis triumphisque decorarunt.'' *Bent.* 'Libri omnes *ornare:* quod ne metrum offendat, cum cod. Paris. sic lege, *Et patriam poterit magnis ornare triumphis.*' Stoeb.—507 'Vulg. *carnique acquirere dotem.* Bonincontrius *carni*

NOTÆ

497 *At si forte, &c.*] En fortissimos, qui cum audax facinus aliquod susceperint, si illud, qua debent animi fortitudine, gesserint, viri fortes habentur, atque eorum improbitas fit virtus.

498 *Et condere bella, &c.*] En strenuos viros, qui post victorias relatas triumphum agunt.

502 *Regis erit, &c.*] En armigeros, regumque per bella ministros.

503 *Ingentesque suis, &c.*] En fortes milites ac satellites.

504 *At cum Cassiope, &c.*] His 34. vss. docet Poëta Cassiopen exoriri cum vigesimo gradu aquarii. Quo sub sidere nati fient 'aurifices, bracteatores, inauratores, plasticatores, margaritarii, et qui has omnes artes ingeniosa conversatione pertractent, et ex his maxima vitæ subsidia consequantur,' inquit Firm. VIII. 16. Erunt et tessellatores et musivarii, qui tessellis, i. e. quadratis lapillis opus componant, quorum alii argenti nitorem, alii auri fulgorem, alii nivis candorem, alii alios colores vivos imitentur. Erunt et sculptores, et aurifossores, et aurileguli. De Cassiope autem I. 354. 695. De aquario II. 239.

507 *Caræque acquirere dotem Materiæ*] I. e. mercedem de tam pretiosa materia, seu potius de tam pretiosa,

Materiæ, et lapidum vivos miscere colores.
Hinc augusta nitent sacratis munera templis,
Aurea Phœbeis certantia culmina flammis,

cedem pretiosæ materiæ, et miscere nativos colores lapidum. Inde dona facta ab Augusto splendent in ædibus quas consecravit: nitent et spolia capta, in quibus cælata erat facies Mithridatis: nitent et splendores aurati qui contendunt cum ig-

interpretatur corpori: neque potuit melius, siquidem putavit lectionem mendo carere. Nos dicimus *carai* scriptum fuisse, pro *caræ*, ut supra 'nepai' pro nepæ. Sunt vestigia illius prisci archetypi.' *Scal.* 'Lege *operique*.' Reines. '*Caræ* a Scaligero est profectum. Cui applaudit, uti solet, illi addictissimus Barthius, Advers. p. 325. Pudendam hic dicit esse lectionem in omnibus libris *carnique*, pro quo Marklandus, si recte memini ad Statium, *carnisque*, hoc sensu: Artifices possunt materiæ, i. e. metallis, lapidi, ligno, unde statuas faciunt, acquirere, addere, parare, conciliare dotem carnis, ut quasi vivere videantur statuæ, et non materia inanimata, sed caro ipsa humani corporis esse credatur. Hæc autem quo longius sunt petita, eo quoque magis a vero aberrant. Neque enim h. l. de statuariis, nec de alia materia, quam de auro loquitur. Hanc quidem materiam, non per se, sed hominum æstimatione caram, artifex ille fabricando reddet cariorem, dum ex tenui parvaque particula opus faciet cui acquiret dotem, quam materia in se ipsa, scil. nondum elaborata et affabre facta, non habet. Confer Plinii locum infra nobis recitandum ad vs. 524. Hunc sensum prodit lectio, ceteris omnibus præstantior, Regiomontani *tenuique acquirere dotem Materiæ*.' Stoeb.—508 'Ab hoc lege quinque illos versus, quos supra intercepimus, et ab alio loco divulsimus. Nam quid sculptores, et plasticarii ad spicam, qui huc referendi sunt etiam teste Firmico paraphraste?' *Scal.* 'Hos quinque vss. bene transtulit huc Scal. quos alii male posuerant sub sidere spicæ supra, [Ita et Bent. Vide ad locum *Sculpentem faciet, &c.* supra 288.] ut ibidem notavimus. Recte enim huc pertinent, ubi quæstio est de natis sub sidere Cassiopeæ, qui laquearia et tholos templorum sculpunt et inaurant, quos ideo Firmic. VIII. 16. vocat 'plasticatores templorum.'' *Delph.*—510 'Hujus loco in cod. Paris. et optimo Regiomontani libro, uti apud ceteros editores, legitur vs. 513.' *Stoeb.*—510 Scal. Delph. et vulg. *lumina*, et sic Paris. et Regiom. et mox

NOTÆ

ut ita dicam, opera, consequi. Sic ad mentem Manilii Firmicus interpretatus est VIII. 6. 'Et ex his maxima vitæ subsidia consequantur,' &c. Mendose autem vulg. *Carnique:* quam lectionem inepte tutatur Bonincontrius interpretatus vocem *carni* pro voce *corpori*. At quid est 'corpori acquirere dotem materiæ?'

508 *Lapidum vivos, &c.*] En tessellatores et musivarios; Gallice, *qui travaillent en pièces de rapport.*

509 *Hinc augusta nitent, &c.*] I. e. ex hoc sidere venit et datum est, ut Augustus Cæsar, quas ædes sacras vetustate collapsas aut incendio absumtas refecit, eas et ceteras opulentissimis donis adornaverit, ut ait Sueton. in Aug. 30. ut potequi in cellam Capitolini Jovis sexdecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritas quingenties H-S. una donatione contulerit.

510 *Aurea culmina* [*lumina*] I. e. splendores, quos emittunt vasa aurea gemmis insita et ornata.

Gemmarumque jubar, radiantes lucibus ignes.
Hinc Pompeia manent veteris monumenta triumphi,
Et Mithridateos vultus induta tropæa.
Et quod erat regnum, pelagus fuit: una malorum

nibus solaribus: nitent et fulgores margaritarum Julii Cæsaris micantes luminibus. Inde Pompeia monumenta antiqui triumphi extant, et quod fuerat ornamentum regum, id fuit una labes calamitatum, quæ non potuit extingui, et quæ perpe-

511. *Gemmarumque Juli.* 'Quid vicem τοῦ *Juli* substituam, nescio, nisi fortasse placeat *Gemmarumque illi κατ' ἐξοχήν.* quod non contemnendum. Fuit quum legerem *hyali*; ut *hyali saturata colore.* Sed nihil mutandum. Intelligit gemmas quas Julius Cæsar dedicavit in templo Veneris Genitricis. Primas duas corripuit, ut ex iisdem correptis unam longam composuit Horatius: 'Jule ceratis ope Dædalea Nititur pennis.' Et hic dicit Julios ignes, sive Julias gemmas, ut paullo ante Augusta munera.' *Scal.* 'Pro *Juli* Gemb. *jub;* Voss. *Gemmarumque abradientes.* Repono *A. P. c. culmina f. G. jubar, r. l. i.* Seneca ad Helviam, c.10. 'Majores nostri, quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis nitebant.'' *Bent.* 'Ms. Paris. *jula*, vel *juli*, quod Scaliger, Barthius, Fayus juxta cum Ald. Prukn. Molin. ex suis vel aliorum libris vulgarunt. Per *gemmas Juli* interpres ille Paris. intelligit 'gemmas dactyliothecas, quas Julius Cæsar in æde Veneris Genetricis consecravit,' teste Plinio XXXVII. 1.' *Stoeb.*—513 'Hunc vs. qui in scriptis post vs. 509. venit huc reduxi, sententia præcipiente; nam tropæa vultu Mithridatis in Pompeii triumpho ferebantur.' *Bent.*—514. 515 'Adhuc quæro

NOTÆ

511 *Gemmarumque jubar* [*Juli*] *&c.*] I. e. gemmæ dactylothecæ, quas J. Cæsar in æde Veneris Genitricis consecravit, teste Plinio jam citato.

512 *Hinc Pompeia manent, &c.*] I. e. ex hoc sidere datum est ut Pompeia monumenta triumphi manerent. Hæc autem ex actis triumphorum Pompeii Magni habentur: 'Tertio triumpho, quem de piratis, Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, et super hæc de regibus Mithridate, atque Tigrane, M. Pisone, M. Messala Coss. prid. Kal. Octob. die natalis sui egit, transtulit alveum cum tesseris lusorium e duabus gemmis, latum p. III. longum p. IV. lunam auream pondo XXX. lectos tricliniares III. vasa ex auro et gemmis, abacos VIII. signa aurea III. Minervæ, Martis, et Apollinis: coronas ex margaritis XXXIII. montem aureum quadratum cum cervis et leonibus, et pomis omnis generis circumdata vite aurea: musæum ex margaritis, in cujus fastigio horologium erat.'

513 *Et Mithridateos, &c.*] Alludit Poëta ad aurea vasa, quæ Augustus, fugato et debellato Mithridate, retulit e Ponto, in quibus scilicet cælata erat imago ac facies Mithridatis. Sic Plin. XXXVII. 1. 'Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine dactylothecam, primus omnium habuit Romæ privignus Syllæ Scaurus; diuque nulla alia fuit, donec Pompeius Magnus eam [dactylothecam] quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret..... Hoc exemplo Cæsar Dictator sex dactylothecas in æde Veneris Genitricis consecravit.'

514 *Et quod erat, &c.*] Ita emendandi fuerunt hi duo versus: *E. q. e. regum decus, id fuit una m. N. e. l. s. recens eu fl.* Mendose

Non extincta lues, semperque recentia flammis.
Hinc lenocinium formæ, cultusque repertus
Corporis, atque auro quæsita est gratia frontis,
Perque caput ducti lapides, per colla, manusque,
Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.
Quid potius matrona velit tractare creatos,
Quam factum revocare suos quod possit ad usus?

tuo ardet recenti flamma. Inde illectamenta pulchritudinis veniunt, et inventus est ornatus corporis, et elegantia vultus petita est per aurum: et gemmæ positæ sunt circum caput, et circum colla, et circum manus, et nexus aurati nitent pedibus candidis. Quid opus matrona optet magis fieri a natis sub hoc sidere, quam illud

interpretem his duobus versibus. Malo fateri ignorare, quam ludibrium debere. Nam profecto emendandi prius sunt, quam exponendi. Monstrosi sunt plane.' *Scal.* Delph. *Et quod erat regum decus, id fuit una malorum N. e. l. semperque recens ea flammis.* Vid. not. inf. 'Hos vss. monstrosos vocat Scal. nec voluit attingere. Interpolatoris esse credo, et de Mithridate accipiendos *Cui q. e. r. p. f. u. m. N. e. l. s. q. recentior annis.* Pelagus, quia Mithridates rex Ponti. Cetera explicabit Justinus XXXVIII. 1. 'Cum eum' Mithridaten 'Sylla, Lucullus, ceterique, in summa Cn. Pompeius, ita vicerint, ut major clariorque in restaurando bello resurgeret, damnisque suis terribilior redderetur.'' *Bent.* 'Hi versus non scriptione, sed interpungendi ratione sunt deformati. Distingue sic: *Et quod erat regnum, pelagus, fuit una malorum Non extincta lues, semperque recentia flammis.* Ordo et sensus: Et pelagus, quod erat regnum, i. e. regio quasi, dominatui subjecta, fuit una non extincta lues malorum, et hæc mala semper recentia sunt flammis. Hæc uberius exponit Plinius H. N. XXXVII. 1. fin. et sq. qui omnino videndus.' *Stoeb.* —520. 521 'Neque minus portentose hi duo versus deformati sunt. Non vi-

NOTÆ

enim omnes codices habent: *Et quod erat regum pelagus, fuit una malorum Non extincta lues, semperque recentia flammis.* Scilicet conqueritur Poëta de victoria et triumpho illo Pompei Magni, quæ, ut pariter conqueritur Plinius lib. XXXVII. 1. 'primum ad margaritas gemmasque mores inclinavit.' Quasi illud, quod regum decus esse debeat, id jam fons et origo, vel potius fomes malorum sit, qui necdum extincto igne luxus recenter adhuc fumet, ac in dies augescat. Quod et satis indicant quatuor seqq. vss.

516 *Hinc*] Non quidem ex hoc sidere, ut supra vs. 509. et 512. sed ex illa Pompei victoria, quæ primum mores inclinavit in gemmas et margaritas.

Lenocinium formæ] Illud omne ornamentum, quod ad majorem et exquisitiorem formæ elegantiam conferre videtur; quales sunt gemmæ, uniones, monilia, annuli, catenæ, &c. Plin. XXXIII. 3. 'Habeant fœminæ in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenæ circa latera, et inserta margaritarum pondera auro e collo dominarum pendeant, ut in summo quoque unionum conscientia adsit; etiamve pedibus inducitur... Neque enim gestare margaritas, nisi calcent, ac per uniones ambulent, satis est.'

Ac ne materies tali sub munere desit,
Quærere sub terris aurum, furtoque latentem

quod queat reducere ad suos usus? Et ne materies desit sub tali dono, sidus istud jubet investigare aurum sub terris, et perscrutando invenire furtum totam naturam

dentur esse Manilii. Nemo sanus ex istis bonam sententiam eruerit.' *Scal.* 'Lege, *creatum An factum r. s. q. p. ad usus?* Reines. 'Et hos pro spuriis habet Scaliger; 'ex quibus nemo bonam sententiam eruerit.' Est αἰτιολογία, cur Cassiope artifices creet. Quid potius Cassiope, ipsa matrona, tractare velit suo sidere creatos, quam quod suos ad usus, ad lenocinia formæ revocare possit.' *Bent.* 'In vulgata horum versuum lectione mire consentiunt libri scripti cusique omnes. Ad eruendum ejus sensum nulla, ne apicis quidem mutatione opus. *Matrona* Nostro dicitur *ipsa Cassiope,* non alia quævis mater familias. *Illa facit creatos,* qui suo sunt sub sidere nati, auri fabros, bractearios, eam præcipue ob caussam, quod non aliud est opus, quod in suos usus possit convertere. Hic verus est et genuinus verborum sensus, isque non nobis solum, verum Barthio quoque, Fayo, Bentleioque probatus. Quo magis miramur, hos sequi duces noluisse cl. Justi, qui in specimine Observ. Critic. nuper admodum Viennæ edito, p. 746. sqq. infausto propemodum mutandi consilio seductus tentavit *Quis* pro *Quid,* illudque sumsit pro Quid ni vero, i. e. Quid caussæ est? quasi de neglecta liberorum educatione conquereretur Poëta. Quod quidem ab ejus mente abest longissime. Nostro autem voto longe satius fecisset vir ille in re critica non admodum certe novitius, si versum 514. suæ restituisset integritati veritatique, quem ex Fayi mendosa correctione produxit, Observ. p. 49. ita constitutum: *Et quod erat Regum decus, &c.* Siccine vero nobis nullo codicum antiquorum præsidio munitis, et vel solis ingenii viribus aut conjecturæ rationibus argumentisque fretis, observationes concinnare criticas licet, et lectionem omnium maxime sanam, integram, sinceram, constantique librorum, veterum pariter et recentiorum, fide et auctoritate firmatam sollicitare, tentare, et ventilandæ novæ, nonnunquam ineptæ et insulsæ opinionis gratia, illam immutando commaculare? Licet ne? Quin potius ad resistendum nos movent viri docti, qui sæpe fluctus in simpulo excitantes, lectionem, ipsis aut minus facile aut plane non intellectam, illico clamant depravatam, interpolatam, barbaram et nihil quicquam sani spirantem. Adeoque non negligendi interpretes, qui veram, vel vero simillimam exquirunt lectionem, eamque ex ipsis sinceriorum codicum fontibus, adhibita antiquitatis et priscæ Latinitatis luce, erutam tenent, probant, probatamque non suo, sed Auctoris intellectui accommodantes, ea quæ probum virum decet dexteritate, fide verique conscientia illustrant. Quocirco nostro omnium primo diffidendum ingenio, nova tantum, etiamsi meliora, nobis suggerenti. 'Neque enim oportet nos eadem ratione grassari in veterum auctorum monumentis, quemadmodum præceptores solent in illis, quæ discipuli eorum composuerunt: quæ ab illis mutantur, corriguntur, atque etiam delentur pro libera eorum voluntate atque imperio. Quam ridicula enim est hæc collectio? potuit Auctor melius loqui hac ratione, ideoque etiam ita locutus est. Nam licet quis probaverit, multo accuratius atque elegantius potuisse scribi ab aliquo, quam scriptum offendit, evincet quidem male scripsisse Auctorem; at nemini persuadebit, eum hoc non scripsisse, ob hoc solum, quod imperite aut male scriptum sit.' Hæc non minus vere quam cordate cl. Bestius in de Ratione interpretandi Leges cap. 1. p. m. 6.' *Stoeb.*—

NOTÆ

523 *Quærere sub terris, &c.*] En aurifossores.

Naturam eruere omnem, orbemque invertere prædæ
Imperat, et glebas inter deprendere gazam,
Invitamque novo tandem producere cœlo.
Ille etiam fulvas avidus numerabit arenas,
Perfundetque novo stillantia littora ponto,

latitantem, et disturbare totum globum terræ, et invenire thesaurum inter medios cespites, et denique proferre illum invitum in novas oras ætheris. Qui natus erit sub hoc sidere, is quoque cupidus colliget aureas arenas, et asperget novo mari littora

524 Vulg. deest *omnem*. Reposuit Scal. 'Illud *omnem* a Scaligero est, nulli librorum, adtestante Barthio, notum. Suspicatur itaque sic esse scribendum *Naturam eruere orbemque intervertere præda*. Nobis intemerata magis placet antiqua lectio: *Naturam eruere, orbemque invertere prædæ Imperat, &c. Prædæ* pro in prædam. Sic supra vs. 374. *ventri* est in ventrem q. d. pro ventre. Quodsi metri causa lectio tibi est molesta, repetas quæso, quæ diximus supra ad II. 253. Ibi enim, rei magis naturæ quam metro intentus Auctor posteriorem vocis *contra* corripuit. Nunc vicissim ultimam hujus *eruere* non modo non elisam cupit, sed et eandem productam. Quam quidem veniam si Nostro negaveris, tanto te habebit illiberaliorem quanto facilior eris Horatio excusando, qui τὸ *e* finale vocis *me*, subsequente licet alia vocali, modulando tamen servavit et præter ejus naturam corripuit. Versus est Satyr. I. 9. 38. 'Si me amas, inquit, paulum hic ades. Interearm si Aut valeo stare,' &c. Ecquis est tam austerus rigidusque grammaticus, qui non æquo ferre animo possit illud Virgilii polysyndeton et hypermetron Æneid. lib. v. vs. 753. 'flammisque ambesa reponunt Robora navigiis; aptant remosque rudentesque.'' *Stoeb.*—526 Vulg. *perducere*. Correxit Scaliger ex Gemb.—528 Scal. *stellantia*. Delph. *stillantia*. 'Rom. bene; i. e. madentia. Scal. *stellantia*, quasi micantia instar stellarum: minus eleganter. Notat enim Poëta aurilegos, qui fulvas arenas e fluminibus colligunt, totasque madidas licet, novis tamen aquis lavant, ut coquant.' 'Vetusti omnes *stillantia*; quod verum esse antithesis probat. Novo ponto perfundet litora, adhuc vetere stillantia.' *Bent.* '*Stillantia littora*] Melius omnino quam *stell.* quod dedit Scaliger, recepit Salmasius Exercit. Plin. pag. 760. Uterque sine ulla, ne

NOTÆ

527 *Ille etiam fulvas, &c.*] En aurilegulos. Porro diversum inveniendi aut effodiendi auri modum notat hic Poëta. Namque teste Plinio XXXIII. 4. quæritur aurum 1. fluminum ramentis; 2. puteorum scrobibus; 3. montium arrugiis. Ramenta fluminum sunt minusculæ arenarum aurearum partes, quas flumina secum volvunt, et eradunt e venis terræ, per quas interfluunt. Hujusmodi autem ramenta, inquit Plinius, reperiuntur in Tago Hispaniæ, in Pado Italiæ, in Hebro Thraciæ, in Pactolo Asiæ, in Gange Indiæ, &c. Scrobes puteorum fossæ sunt ad effodienda metalla factæ, ex quibus *canalicium*, quod vocant, aurum eruitur, marmoris glareæ inhærens; sic dictum quod venarum canalibus per saxa vagatur hinc atque illinc, et per latera puteorum. Arrugiæ montium sunt cuniculi subterranei, ex quibus aurum effoditur. Hoc autem triplex genus effodiendi auri non notat Manilius: sed primum et tertium. Tertium quidem his 4. prioribus vss. 'Quærere sub terris,' &c. Primum vero his 6. seqq. 'Ille etiam fulvas,' &c.

Magnaque ramentis faciet momenta minutis.
Protulit, ut legeret census spumantis in aurum,
Et perlucentes cuperet prensare lapillos.

madentia, et ex parvis particulis arenarum collectis faciet tenuia pondera auri. Patienter autem tulit ut colligeret, et ut vellet capere manu splendentes arenas

dum apta, interpretatione. De auri et argenti coctore, quem hic ostendit Salmasius Noster, mox, et multo quidem disertius, vs. 533. *stillantia littora* juxta cum Barthii libris, nostri firmiter legunt. Sunt autem ipsa, proprie dicta, maris littora, quæ aquam marinam ea lambentem, leniter et guttatim quasi, remittunt. An *per cribrum* colaverint arenam, quod ait Barth. Advers. p. 325. fin. equidem vehementer dubito. Quin potius usum esse puto aurilegulum arcula oblonga, naviculæ concavæ in modum structa, sed altero extremo clausa, qua contentam arenam ab auro secernit alia atque alia aqua superfusa, quæ cum ab arcula delabitur, ille novo quasi ponto littora perfundit.' *Stoeb.*—529 Vulg. *Parvaque fragmentis.* 'Gemb. *Parvaque ramentis, &c.* Sed quis hæc exponet? Scimus quidem micas illas auri καὶ τὸ ψῆγμα esse, quæ hic vocantur momenta ramentis minutis. Cætera neque ego, neque qui meliore sunt ingenio, interpretabuntur, nisi prius caliginem abstulerint illis, quæ mortales hebetat visus, nostros quidem, quorum imbecillitatis nobis conscii sumus.' *Scal.* 'An *parva* momenta ex ramentis auri? Immo *magna:* quod et antithesis postulat: magna emolumenta ex minutis ramentis. Noster II. 448. 'Hinc quoque magna tibi venient momenta futuri.'' *Bent.* 'Cod. Paris. cum Lips. ac editis vetustis *Parvaque fragmentis.* Possis tamen retinere *ramentis*, quod Scaliger affirmat esse in cod. Gemblac. *Parva momenta* sunt parvi motus, quibus certe opus in hoc negotio.' *Stoeb.*—530 Vulg. *Pertulit.* Scal. *Protulit.* 'Quid si legamus, *Pontique ille leget c. s. i. a.*' Huet. '*Protulit* Scaliger ex Ms. Gemblac. dedit. Regiom. cum ceteris editoribus, *Pertulit*, quod primaria notione sonat, deportavit. Nimirum e ponto in littus. Enallage est perfecti temporis pro præsente. Cod. Paris. *Partulit*, quod legendum forte *Parturit;* nec hoc ineptum, si ad habitum et laborem, vel ad animum referas aurilegi, qui licet doloribus vacuus, eo tamen desiderio tenetur auri percipiendi, quo puerpera, videndi infantis sui. Itaque nil attinet legere cum Salmasio l. c. *Pro tali ut regerat censu spumantia in aurum.* Quæ quidem, speciosa magis quam probabilis, lectio sententiam ab Auctoris mente longius deflectit. Gemmas enim et lapides pretiosos, quales etiam uniones e terra et mari Noster colligi tradit supra IV. 390. sqq. *census spumantis*] scil. ponti. Cujus *census* sunt præter pumicem et conchas baluca seu χρύσαμμος, et lapilli quos etiam in usum convertit. Qui aurilegus ut aurum legeret; proprium hoc vocabulum, pro colligeret, secerneret.' *Stoeb.*—531 '*Et cuperet prensare* [Scal. *pensare.* Vid. inter Notas Huetii huic editioni appensas] pro cupidius prensaret (rectius forte legeris *cupiens*) perlucentes lapillos, i. e. elucentes inter arenam, vel qui pellucidi scalpendo reddi possint. *Vertici-*

NOTÆ

529 *Ramentis*] Ramenta autem sunt minusculæ arenarum partes, quæ, ut jam monui, quasi rasuræ, eraduntur fluentibus fluminibus. Quod autem *ramenta* vocat Manilius, id Claudianus appellat 'rudes venas.' Consul. Carm. I. 51.

Magna [*Parva*] *momenta*] I. e. parva pondera auri.

530 *Census spumantis in aurum*] Arenæ pretiosæ, quæ cocta spumat in aurum. Census enim res est pretiosa, et magni reditus, I. 12.

Vorticibus mediis oculos immittet avaros.
Et coquet argenti glebas, venamque latentem
Eruet, et silicem rivo saliente liquabit.
Aut facti mercator erit per utrumque metalli,
Alterum et alterius semper mutabit ad usus.

gazæ spumescentis in aurum. Injiciet oculos avidos in medios ipsos gurgites, et scrutatus extrahet venam argenti latitantem, et purgabit lapillum aqua fluenti, et incoquet cespites argenti. Et mercator erit confecti metalli ex utroque, et aliud

---

bus mediis] Hæc deleta præcedente distinctione, statim nectenda. *Vortices* autem non sunt maris, quos ille nequit perspicere, sed qui ab ipso in alio quam quod supra depinximus, rotundo puta, vase lavatorio facti sunt motu aquæ circulari. His itaque vorticibus *immittet oculos avaros*, i. e. habendi cupidos. *immittet* rectius est in cod. Lips. quam *emittet*, quod habent libri nostri. *Verticib.* in illis omnibus vitiosum. *prensare* est in cod. Paris. et edd. vett. præter Regiom. qui habet *pensare*, quod hujus quidem loci non est, tanquam derivatum a *pendo:* ceu Scaligero visum.' *Stoeb.*—535 Scal. Delph. et vulg. *Et facti.* ' Gemb. *At.* Recte Voss. *Aut.*' Bent. ' Libri nostri, *Et* . . . *per utrumque*, scil. metallum, auri et argenti. Salmasius longe aliter l. c. Cui dubito, num quis alius accedere velit, nisi eodem novaturiendi pruritu laborans. Cujus enim usus hoc quod tentat, *perutrimque?* Aut *per utrumque?* quod ille reddit, ex utroque latere. ' Quæ,' inquit, ' nummi designatio est. Ergo mercator ille nummularius, qui aurum argento mutat et argentum auro, et utrumque ærea moneta.' ' *Stoeb.*—536 Vulg. *Alter et alterius.* Correxit Scal. consentiente Reines. ibid. Scal. Delph. et vulg. *in usus.* ' Vetusti quattuor *ad usus.*' Bent. .' Regiom. et ceteri editores non novitii vulgarunt sic: *Alter et alterius semper mutabit in usus.* Codices Mss. tenent, *alterum.* Lips. *ad usus.* Hoc vero *mutabit* de emptione vel mutatione, si ita dicere fas est, quæ fit *ærea moneta*, vel nummo signato, explicari nequit. Alter mercator alterius mercem, aurum vel argentum, lapides quoque pellucidos, dando et vicissim accipiendo, mutabit, convertet, semper in usus suos et aliorum.' *Stoeb.*

NOTÆ

534 *Liquabit*] Purum et liquidum lavando reddet. Sic Lucret. II. 145. vocat ' liquidas ' voces: v. 282. ' liquidum lumen: ' VI. 204. ' liquidum ignem.' Et vero effossæ venæ metallorum, arenæque collectæ lavantur et purgantur aqua, priusquam coquantur igne. Non vero aqua saliente liquefiunt.

535 *Aut facti mercator erit, &c.*] Notat et artifices, qui electrum ex auro et argento conficiunt. Est enim electrum cujusdam metalli genus, quadam ex auri parte, et argenti commixtione confectum. Plin. XXXIII. 2. ' Aurum, in quo quinta argenti portio est, electrum vocatur. Hoc autem modo naturale est, modo cura efficitur.' Loquitur vero Poëta de electro, quod cura efficitur. Electrum naturale non ex arboribus, ut veteres autumati sunt, sed ex saxis defluit. Hodie enim notissimum est provenire in insula maris Germanici, quam lingua sua vocant *Sudam*, non procul a littore Prutenico; primoque a saxis manans liquidum est, sed aëris atque maris frigiditate in eam, quam videmus, duritiem concrescit.

Per utrumque] I. e. ex auro et argento.

Talia Cassiope nascentum pectora finget.
Andromedæ sequitur sidus, quæ, piscibus ortis
Bis sex in partes, cœlo venit aurea dextro.
Hanc quondam pœnæ dirorum culpa parentum
Prodidit, infestus totis cum finibus omnis
Incubuit pontus, timuit Maurusia tellus.

convertet perpetuo in usus alterius. Cassiopea creat tales mentes eorum, qui nascuntur sub ipsa. Signum Andromedæ subsequitur, quæ aurata surgit a parte dextra cœli, quando pisces exorti jam sunt in duodecimum sui gradum. Crimen crudelium parentum suorum tradidit illam olim supplicio; scilicet quando totum mare infensum adhibuit omnes suas vires, tunc terra, quæ naves ipsas frangit, metuit sibi.

—537 Scal. Delph. et vulg. *fingit.* 'Gemb. et Lips. *finget.*' Bent.—541 Vulg. *viribus.* 'Interpolatum. Gemb. *finibus.*' Scal. 'Barthii et nostri libri *viribus*; quod auctoritate cod. Ms. Gemb. mutavit Scal. τὸ *cum* παρέλκει, unde erroris suspicio nata postmodum. Non enim adverbium est, sed conjunctio.' *Stoeb.* —542 Vulg. *timuit naufragia tellus.* 'Scribimus *cum naufraga tellus.*' Scal. Sic Delph. et sic legendum vult Reines. 'Hoc a Scaligero est: libri universi, *timuit naufragia tellus.* Atqui *naufragia* secundam corripit. Nec tamen viri magni conjecturæ accedimus: nimis enim sero timet tellus, cum jam naufraga est: neque naufraga esse potuit, nisi prius, ut Delos, erratica fuerit, et mari innaverit. Quæ autem tellus? nisi hanc nomine suo dixeris, *tellus*, quod hic absurdum, erit totus terrarum orbis. Poteris reponere, *Incubuit pontus: timuit Cepheia tellus.* ut Ovid. Met. IV. 668. de Perseo; 'Gentibus innumeris circumque infraque relictis, Æthiopum populos Cepheia conspicit arva.' Sed placet magis, quod a codicum lectione *naufragia* propius abest, *I. p.*: *timuit Maurusia tellus.* Sic infra 585. 'sonat undique Syrtis, Atque ipsi metuunt montes scopulique ruentem.' *Mauri* autem Syrtis accolæ. Horat. Carm. II. 6. 3. 'Barbaras Syrtes, ubi Maura semper Æstuat unda.' Claud. II. Stil. 278. 'Namque feras aliis tellus Maurusia donum Præbuit: huic soli debet, ceu victa, tributum.'' *Bent.* 'Priscam lectionem, *tim. naufragia tell.*

NOTÆ

538 *Andromedæ sidus, &c.*] His 81. vss. priusquam Poëta sideris Andromedæ apotelesmata reddat, Andromedæ fabulam longo, sed eleganti, carmine prosequitur. Andromeda igitur filia fuit Cephei ex Cassiope. Cujus cum olim inepte formam et cultum Nereidibus prætulisset ipsa Cassiope, Nereides ope Neptuni superbiam illius ultæ sunt. Misit enim Neptunus immane cete, quod totius Æthiopiæ agros, in qua regnabat Cepheus, pessime vastaret: cui malo ut aliquod remedium daretur, consultum est oraculum, a quo datum fuit hoc responsum, ut scilicet Andromeda virgo traderetur belluæ devoranda. Exposita est igitur; sed a Perseo tandem liberata fuit. Ovid. Met. IV. Pugnam autem Persei cum bellua præclare describit Manilius. De situ Andromedæ sideris disputatum est I. 356. Exoritur vero cum piscium duodecimo gradu. Firmic. VIII. 16.

539 *Cœlo dextro*] A dextra parte cœli, nempe piscium, quorum septemtrionalem sinistro tegit brachio, humerisque tangit. I. 356.

540 *Culpa parentum*] Nempe matris superbia, ut jam docebam.

542 *Tellus*] Nimirum Æthiopia, cui damnum minitabatur pelagus furens.

Proposita est merces, vesano dedere ponto
Andromedan, teneros ut bellua manderet artus.
Hic Hymenæus erat: solataque publica damna

Oblatum est igitur pretium ab oraculo designatum, nempe exponere mari immani Andromedam, ut monstrum marinum devoraret delicata illius membra. Hæc autem erat pompa nuptiarum illius, nimirum, et velut hostia lugens exornatur sola

vario modo mutarunt interpretes, metro magis ac sententiæ consulentes. Anne vero Auctori Poëtæ, illi legum grammaticalium non imitatori sed exemplari, liberum non fuit secundam vocis syllabam facere communem? præsertim cum plurima sint derivata, quæ a primitivorum quantitate desciscunt. Vide Becmann. de origine Ling. Lat. Noster quidem supra IV. 126. eandem corripuit. Nunc producta usus est, quod non alia vox aptior ipsi succurrit tum ad vim sententiæ acuendam, tum ad sonitum terræ hiscentis imitandum. *terra* mari adjacens *timuit naufragia*. Conf. adnot. ad IV. 625. et Nostrum infra 586.' *Stoeb.*—545 Scal. Delph. et vulg. *solaque;* et mox 546. *Pro natis lacrimans o. v. pœna.* "Si non est mendum,' inquit vir magnus, dum hæc explicare conatur. Huetius legit, *Pro cunctis lacrimans.* Sed uterque illud præteriit, *sola pœna ornatur:* quod quid sibi velit, ne Œdipus quidem conjectaverit. Gemb. *solaque publica;* non habet *in.* *Primatis* habet Venet. non *pro natis:* Voss. vero *privatis.* Ex his vestigiis repono, *H. h. e.: solataque p. d. Privatis lacrimis o. v. pœnæ.* Solabatur Andromede damna publica privatis suis lacrimis: quippe ob salutem patriæ exposita. *Pœna* est ipsa bellua; ut mox versu 591. 'Adnantemque tibi pœnam pelagusque ferentem.'' *Bent.* 'Cod. Paris. et Regiom. ceterique editi veteres: *solaque in publica damna Pro natis lacrymans ornatur victima pœna. Solaque pœna,* ablativus causæ pro solius pœnæ causa, propter concitatam a Cassiope Nereidum iram, quibus illa filiam forma gloriabatur esse superiorem: confer Hygini Poët. Astron. x. qui ex Eurip. et Sophocle asserit, Cassiopen id de semetipsa fuisse gloria-

NOTÆ

544 *Bellua*] Cete, monstrum marinum.

545 *Hic Hymenæus erat, &c.*] His 4. vss. miserandam virginis Andromedæ sortem deplorat Poëta; quæ cum desponsata esset Phineo Cephei fratri, antequam exponeretur, tantum abfuit ut sponsæ ornamenta indueret, solenniaque agat de more pro natis suscipiendis, ut etiam victima lacrymans ducatur in publica damna, nullaque alia ornamenta induatur, quam vincula, quibus sit alliganda scopulis; tantumque abest ut Andromedæ nuptiarum apparatus agatur, ut etiam vivæ virginis funus rapiatur sine funere. Totam hanc rem præclare scribit Ovidius sub finem libri IV. Metam. et initio lib. V. Consule loca.

Hic Hymenæus erat. I. e. hæc erat pompa nuptiarum. Hymenæus enim creditur nuptiarum Deus, qui et pro nuptiis, et pro nuptiarum pompa et apparatu passim a poëtis usurpatur. Virg. Æn. IV. 127. Est et Hymenæus carmen ipsum, quod in nuptiis canebatur. Terent. in Adelph.

Solataque [*sola*]...*ornatur victima pœna*] Victima quidem mactanda vittis ornabatur inter cornua: sed Andromeda victima devota non nisi pœna, hoc est, supplicii apparatu ornatur.

[*In*] *publica damna*] Ad mala publica avertenda, dum belluæ traderetur Andromeda, ut vesano ponto satisfieret ex oraculo Jovis Hammonis. Ovid. Metam. IV.

Privatis lacrymis ornatur victima pœnæ,
Induiturque sinus non hæc ad vota paratos,
Virginis et vivæ rapitur sine funere funus.
Ac simul infesti ventum est ad littora ponti,
Mollia per duras panduntur brachia cautes:
Astrinxere pedes scopulis, injectaque vincla,
Et cruce virginea moritura puella pependit.
Servatur tamen in pœna cultusque pudorque.
Supplicia ipsa decent. Nivea cervice reclinis
Molliter ipsa, suæ custos est ipsa figuræ.

supplicio in avertenda mala publica, pro liberis vovendis: et vestitur vestimentis non præparatis ad hæc solennia; et funus puellæ viventis adhuc procedit sine solita pompa funebri. Verum ubi perventum est ad oras infensi maris, tenera puellæ brachia extenduntur in rupes asperiores. Alligaverunt pedes illius ad saxa, et catenæ fuerunt illi datæ, et virgo interitura pependit e cruce nova et intacta. Pudor tamen et vultus forma conservatur in supplicio. Pœnæ ipsæ conveniunt ei. Reclinata leniter secundum collum candidum, ipsa sola conservatrix est suæ formæ.

tam. Quod si esset, quid ejus culpæ in filia? *in publica damna*, quod expetita licet mille procis haud tamen ulli nupta, nec adeo liberos prognatura foret. Quapropter ipsa Andromeda pro natis lacrymans, i. e. vicem natorum, quos ex illa sperabant omnes.' *Stoeb.*—547 Scal. Delph. et vulg. *in vota;* et sic Paris. et Regiom. 'Gemb. *hæc ad vota.* Simile: 'ensemque recludit Dardanium non hos quæsitum munus in usus.'' *Scal.* 'Vetusti quattuor *ad vota.*' Bent.—549 Scal. Delph. et vulg. *At simul.* 'Libri veteres *Ac simul.*' Bent. —551 'Versus spurius et insulsus; *cautes* et mox *scopuli; adstrinxere* et postea *vincla.* Hoc sublato nitidiora sunt reliqua.' *Bent.*—553 Scal. Delph. et vulg. *vultusque.* 'Quomodo *vultus* servatur, qui lacrimis opplebatur? Repone *cultusque.* Curatum est ne a partibus, quas viris videre non fas est, vestis diffflueret. Ovid. Met. XIII. de Polyxena, 'Tum quoque cura fuit partes velare tegendas, Cum caderet, castique decus servare pudoris.'' *Bent.* —554 Vulg. *docent.* Mutavit Scal. 'Melius libri vetusti, *docent.* Cod. Paris. a secunda manu superne *dec.* Regiom. hæc uncis parentheseos includit. recte.' *Stoeb.*—555 Scal. Delph. et vulg. *sola.* 'Vetusti quattuor, pro *sola*,

NOTÆ

546 *Privatis* [*Pro natis*] Ea fuit consuetudo apud veteres, ut desponsa puella variis ornamentis induta publica vota faceret pro natis suscipiendis. Alludit autem ad hæc solennia Poëta.

Lacrymis [*lacrymans*] Non ovans, ut solet ire victima; sed flens.

547 *Non hæc ad vota*] Quæ pro natis fieri solebant.

548 *Rapitur sine funere funus*] Viva quippe Andromeda summo cum apparatu, parentumque et amicorum lugentium comitatu, sine solita tamen funeris pompa, ad mortem ducitur. Funus igitur illius quasi agitur, cum nondum mortua esset.

552 *Cruce virginea*] Intacta, inusitata, nova; et quo in genere crucis nemo hactenus pependerat affixus. Metaphora est ducta a puellis illibatis et intactis.

Defluxere sinus humeris, fugitque lacertos
Vestis, et effusi scapulis lusere capilli.
Te circum Alcyones pennis planxere volantes,
Fleveruntque tuos miserando carmine casus,
Et tibi contextas umbram fecere per alas.
Ad tua sustinuit fluctus spectacula pontus,
Assuetasque sibi desiit perfundere ripas.
Extulit et liquido Nereis ab æquore vultus;
Et casus miserata tuos roravit et undas.

Vestes delapsæ sunt ex humeris, et vestimentum relinquit brachia, et crines sparsi adhæserunt rupibus. Alcyones volitantes circa te, o Andromeda, edidere planctum alis, et lamentabili carmine deflevere tuam miseram sortem, et induxere tibi umbram per pennas inter se connexas. Mare retinuit et suspendit suas undas ad tuum miserum conspectum, et cessavit aspergere littora, quæ solebat perfundere. Quinetiam ipsa Nereis eduxit os suum ab fluido mari, et conquesta tuam miseram

habent *ipsa*. Recte. *Ipsa* multo mollius suaviusque quam *sola*.' Bent. 'Nimium se indulgentem præbet Bentleius, qui dare potuit *ipsa*, quod modo præcessit. Cod. Paris. et impressi omnes tenent *sola*, quod sonantius.' *Stoeb.* —557 Scal. Delph. et vulg. *scopulis hæsere*. 'Cur *scopulis capilli hæserint*, causa nulla est, nisi cura inluvie ipsius virginis juncta. Quomodo vero *hæserunt*, et tamen *effusi? Scopulis* a Scal. est; libri universi *scapulis*. Repone, *f. q. l. V. e. e. scapulis lusere c. Effusi scapulis*, sive humeris, cervice. Seneca, Apocolocyntosi de Nerone; 'flagrat nitidus fulgore remisso Vultus et effuso cervix formosa capillo.' Ovid. Met. VI. 167. 'movensque decoro Cum capite immissos humerum per utrumque capillos:' et IV. 672. de hac ipsa re; 'nisi quod levis aura capillos Moverat, et trepido manabant lumina fletu, Marmoreum ratus esset opus.' *Capilli lusere*, ut Virg. Æn. XI. 497. 'luduntque jubæ per colla, per armos.'' *Bent.*—558 Vulg. *Ter c. A. p. plausere v.* 'Manil. scripsit *Te c. A. p. planxere v.*' Scal.—561 Vulg. *continuit*. 'Melius Gemb. *sustinuit*.' Scal.—563 Scal. Delph. et vulg. *vultum*. 'Voss. *vultu*. Gemb. recte *vultus*.' Bent.—564 '*Roravit et undas*. Hanc esse scripturam omnium

NOTÆ

556 *Alcyones*] Quæ nidum, ova, pullos in mari intra septem dies faciunt hyberno tempore. Quibus diebus tranquillum est mare, et quos ideo nautæ vocant Alcyonios dies, vel simpliciter Alcyonia. Ovid. Met. XI. 745. 'Perque dies placidos hyberno tempore septem Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis: Tum via tuta maris; ventos custodit et arcet Æolus egressu: præstatque nepotibus æquor,' &c. Fabulantur enim poëtæ Ceycem Hesperi filium naufragio periisse; cujus casum non ferens uxor Alcyone Æoli filia sese in mare præcipitavit. Verum ambo Deorum misericordia fuisse mutatos in has aves, quas Alcyones vocant. Hygin. fab. c. 65. Ovid. citat.

563 *Nereis*] Una pro multis. Nereidas enim numerant quinquaginta; alii centum; alii ducentas. Sunt autem Nymphæ maris, quæ Nerei ex Doride natæ creduntur. Hæ porro licet infensæ essent Cassiopeæ, ut dictum est vs. 538. nihilominus mise-

Ipsa levi flatu refovens pendentia membra
Aura per extremas resonavit flebile rupes.
Tandem Gorgonei victorem Persea monstri
Felix illa dies redeuntem ad littora duxit.
Isque, ubi pendentem vidit de rupe puellam,
Diriguit, facies quem non stupefecerat hostis:
Vixque manu spolium tenuit: victorque Medusæ
Victus in Andromeda est. Jam cautibus invidet ipsis,
Felicesque vocat, teneant quæ membra, catenas.
At postquam pœnæ causam cognovit ab ipsa,
Destinat in thalamos per bellum vadere ponti,

sortem rigavit lacrymis aquas maris. Lenior ipse ventorum flatus refocillans aura tenui tuos artus appensos scopulis, edidit sonum lamentabilem per summos scopulos. Demum illa fortunata dies adduxit ad has oras maritimas Persea superatorem monstri Gorgonei, cum reverteretur; et ipse, cum aspexit virginem pendentem de scopulo, palluit vultu, quem tamen hostis non terruerat; et vix potuit retinere manu prædam, et ipse licet victor Medusæ superatus est in Andromeda videnda. Atque etiam offenditur felicitate scopulorum; et appellat vincula fortunata, quæ constringant artus Andromedæ. Ubi vero didicit ab ipsa causam supplicii, statuit sibi

librorum affirmat Barthius. Vere. At 'non esse genuinam,' ait, quod horum sensum non percipit, *rorare undas*. Licebit ipsius magni viri verbis dicere: 'Nihil hic difficultatis, modo sciamus, poëticas locutiones poëticis sensibus legendas.' Est autem *roravit undas* dictum pro, collacrymans, undis marinis lacrymas suas, quasi rorantes guttas immiscuit.' *Stoeb.*—565 Vulg. *revomens*. '*Refovens* Gemb. et nos olim. Alludit ad tragœdiam Euripidis, in qua Echo inducitur Andromedam consolans.' *Scal.* Et sic legendum vult Reines. 'utitur hoc verbo etiam lib. I.'—570 Scal. Delph. et vulg. *Diriguit facie, quem non stupefecerat hostis*. '*Diriguit facie*; cujus? Suane facie an Andromedæ? *Diriguit* semper absolute venit. Repone, *Diriguit*, *facies*, &c. Quem facies Medusæ, quæ in saxa vertebat omnia, non stupefecerat.'

NOTÆ

ratæ sunt sortem miseram Andromedæ.

566 *Flebile*] Substantive, vel quasi adverbialiter. Sic Virg. Æn. XII. 700. 'horrendumque intonat armis.'

567 *Gorgonei .... monstri*] Medusæ. Tres fuere Gorgones Phorci filiæ, Medusa, Sthenio, Euryale, quæ Dorcadas insulas, contra Hesperidum hortos, in oceano habitabant. Gorgones dictæ a voce Græca γοργὸν, i. e. *truculentum*, quia truces admodum erant, capite spiris anguium obsito, dentibus aprinis, manibus æneis, alis aureis, binis vipereis zonis; fingebanturque in lapides convertere omnes, a quibus conspicerentur. Medusam autem vicit Perseus, ut dixi I. 359.

569 *Puellam*] Andromedam.

570 *Hostis*] Medusa.

571 *Spolium*] Caput Medusæ, quod redux secum deferebat Perseus.

Medusæ] Supra vs. 567. not.

575 *In thalamos*] In matrimonium. Thalamus enim commune utriusque

Altera si Gorgo veniat, non territus ire.
Concitat aërios cursus, flentesque parentes
Promissu vitæ recreat, pactusque maritum
Ad littus remeat. Gravidus jam surgere pontus
Cœperat, et longo fugiebant agmine fluctus
Impellentis onus monstri. Caput eminet undas
Scandentis, pelagusque vomit. Circumsonat æquor
Dentibus, inque ipso rapidum mare navigat ore.
Hinc vastisurgunt immensis torquibus orbes,

in animo ire per bellum maris in toros Andromedæ, nec stupuit vadere etiamsi altera Gorgo adesset. Præcipitat ætherios cursus, et solatur parentes lacrymantes pollicitatione vitæ Andromedæ; et ubi pactum fecisset cum illis, fore ut conjux illius esset, rediit ad littus. Jamjam mare tumidum inceperat tumescere, et fluctus recedebant longo ordine a pondere monstri, quod pellebat illos. Caput monstri secantis fluctus supereminet, et impellit mare. Mare resonat late dentibus illius, et pelagus velox natat in ipso hiatu illius. Postea ingentes spiræ monstri absumunt mare. Syrtis reso-

Bent.—575 'Suspicor ita Manilium scripsisse, *per bellum vadere, Ponto Altera si, &c.*' Scal.—576 '*Gorgo*. Sic codd. ut Græci Γοργὼ, Γοργοῦς.' *Bent.*—578 Vulg. *pactusque Hymenæum*. '*pactusque maritum* Gemblacens. quod est figuratius; nam maritum pro conjugio dixit, ut in sphæra 'viresque Tonantis' pro tonandi facultate. Sic Germanicus in Ἀνεκδότοις dixit 'novercam' pro novercalitate. 'Saturnia Juno Nunquam oblita sui, nunquam secura novercæ;' id est, novercalitatis. Eadem figura Statius lib. x. 'Expers connubii et timide positura sororem:' ut quidem omnes scripti codices habent.' *Scal.*—579 Gemblacens. *nam surgere*. Ovid. 'et nondum memoratis omnibus, unda Insonuit.'' *Scal.*—581 'Pro *undas* lege *unda*, quod huic *eminet* constructione convenit magis, et Regiom. tametsi soli vulgatum.' *Stoeb.*—582 Scal. Delph. et vulg. *Scindentis p. q. movet*. Et sic Paris. et Regiom. 'At *movere pelagus* leve est; cum jam *fluctus* onus impellentis longo agmine fugissent. Voss. *movit*. Repone, *c. e. u. Scandentis, pelagusque vomit. Scandentis*, non *scindentis*. Si enim *eminet*, quomodo aquas *scindit?* Ovid. Met. xv. 513. de tauro marino Hippolyti; 'Pectoribusque tenus molles erectus in auras Naribus et patulo partem maris evomit ore.'' *Bent.*—584 Vulg. *Hinc vasti turgent*] 'Gemblac. *Hinc vastis urgent*. Scribendum ergo, *Hinc vastis urgent immensi torquibus orbes*. quod sane longe melius.' *Scal.* Et sic Delph. 'Libri omnes *immensis*. Voss. insuper, *Hinc nasci surgent*. Repone, *Hinc vasti surgunt immensis t. o.*' Bent. 'Significantius est in libris nostris, *turgent*. *Immensis torquibus* dictum pro, tortis fluctibus in torquium morem. Paulo infra vs.

NOTÆ

conjugis est cubiculum, usurpaturque sæpius pro nuptiis ipsis ac pro connubio. Ea quippe lege tentavit Perseus Andromedam liberare, ut sibi daretur a parentibus in uxorem. Ovid. Met. iv.

576 *Gorgo*] Medusa.

578 *Pactusque maritum*] Sic Justin. ii. 'Cum Xerxe nuptias filiæ ejus paciscitur.' Et Virg. Æneid. v. 230. 'vitamque volunt pro laude pacisci.'

581 *Monstri*] Ceti.

584 *Torquibus*] Torquis proprie ornamentum est colli. Itaque cetus

Tergaque consumunt pelagus. Sonat undique Syrtis,
Atque ipsi metuunt montes, scopulique ruentem.
Infelix virgo, quamvis sub vindice tanto,
Quæ tua tunc fuerat facies? quam fugit in auras
Spiritus? ut toto caruerunt sanguine membra?
Cum tua fata cavis e rupibus ipsa videres,
Adnantemque tibi pœnam, pelagusque ferentem,
Quantula præda maris? plausis hic subvolat alis
Perseus, et cœlo pendens sic fertur in hostem,

nat undique, et ipsi colles, et rupes timent belluam irruentem. Infortunata puella, quæso, quisnam fuit tunc vultus tuus, licet esses sub ultore tam potenti? quam anima tua evanuit in aëra! quam tui artus privati sunt omni sanguine! Heu! quando ipsa aspiceres ex concavis scopulis interitum tuum fatalem, et belluam afferentem tibi supplicium simul et mare, quam parvula præda pelagi videbaris tibi! Verum ecce Perseus fertur alis in sublime, et suspensus in aëre vibrat et defigit

796. leges *tortis orbibus*, eodem sensu.' *Stoeb.*—585 '*Sonat undique syrtis.* Sic libri recentiores: sed veteres *fortis.* Vossianus *fortus.* Unde Vossius ad Catullum legit, *sonat undique Phorcys.* '*Phorcys*,' ait, 'poëtice pro mari. *Syrtis* nihil ad oceanum.' Atqui recte *Syrtis:* res enim agitur in Mauritania.' *Bent.* —588 'Cod. Paris. *ut fugit.* Regiom. *ut surgit.*' Stoeb.—592 Scal. Delph. et vulg. *sed pennis s. alte P.* 'Sic recentiores codices: sed vetusti aliter. Gembl. *quantis hic subvolat undis.* Ceteri tres, *quantis hic subvolat alis.* Repone, *plausis hic subvolat alis.* Propius ad receptam lectionem, *quassis;* ut Gratius Halieut. versu 8. 'Concussisque levis pennis sic evolat ales.' Sed *plausis* ab auctore est. Virgilius Æneidos lib. v. 515. 'Jam vacuo lætam cælo speculatus, et alis Plaudentem nigra figit sub nube columbam.' Ovidius Metamorph. lib. XIV. 507. 'numerusque ex agmine major Subvolat, et plausis remos circumvolat alis.'' *Bent.* 'Cur non potius *hinc?* At bene cod. Paris. Regiom. et ceteri vetusti, *sed pennis subvolat alte.* Quæ quidem non nisi novaturienti displicere possunt. Quemadmodum et vs. 593. *sic fertur*, ex eodem pruritu ortum. Cod. Paris. enim diserte et recte legit *jaculatur.* Vide omnino d'Orvill. ad Charit. p. 591.' *Stoeb.*—593 Scal. Delph. et vulg. *jaculatur.* 'Mendosum est τὸ *jaculatur:* sola enim harpe, sive ense falcato, utebatur in pugna; quam e manu dextra non dimittebat.

NOTÆ

ille ita ingentes orbes ac spiras agebat adnatando, ut fluctus sinuosi instar torquium essent circa illius colla.

585 *Tergaque consumunt pelagus*] I. e. quasi totum mare tenent et occupant; adeo vastum et immane monstrum illud erat. Infra vs. 610. 'Et magnum vasto contexit corpore pontum.'

Syrtis] Locus arenosus in mari, navigantibus periculosissimus, quod ibi mare vadosum sit. Duæ autem nobiles sunt syrtes in mari Libyco, major et minor, IV. 571.

587 *Virgo*] Andromeda.

Sub vindice tanto] Perseo.

590 *Tua fata*] Tuam inevitabilem mortem, I. 1.

591 *Adnantemque*] Suppl. belluam, hostem.

Gorgoneo tinctum defigens sanguine ferrum.
Illa subit contra, versamque a gurgite frontem
Erigit, et tortis innitens orbibus alte
Emicat, ac toto sublimis corpore fertur.
Sed quantum illa subit, seque ejaculata profundo est,
Is tantum revolat, laxumque per æthera ludit.
Perseus, et Ceti subeuntis verberat ora.
Nec cedit tamen illa viro, sed sævit in auras
Morsibus, et vani crepitant sine vulnere dentes.
Efflat et in cœlum pelagus, mergitque volantem
Sanguineis undis, pontumque extollit in astra.

in hostem telum tinctum cruore Gorgoneo. Illa bellua resistit versus Perseum ascendens, et conversa attollit ora, et nixa sinuosis spiris in sublime assurgit, ac toto corpore ardua attollitur. Verum quantum illa attollitur intentans perpetuo morsum de mari, in tantum Perseus recedit volitans, et ludit per latum aëra, et percutit ora ceti assurgentis. Neque tamen illa bellua cedit homini; sed furit morsibus in aëra, et dentes irriti strident sine morsu. Et evomit in æthera mare, et aspergit aquis cruentatis Perseum volitantem, et attollit mare in sidera. Virgo causa pug-

Quid quod *jaculatus* quinto abhinc versu iterum habemus? Repono, *sic fertur*. Virgilius Georg. III. 236. 'Signa movet, præcepsque oblitum fertur in hostem:' et Æn. II. 511. 'densos fertur moriturus in hostes.'' *Bent.*—595 Scal. Delph. et vulg. *I. s. c. assurgens, conversaque f. Erigit.* 'Mirum quantum ab hac recentiorum codicum lectione variant vetusti. Gemb. et Lips. *I. s. c. versaque assurgit a fonte.* Voss. *I. s. c. versaque a gurgite fonte.* Unde liquida est emendatio. *I. s. c. versamque a gurgite f. E.*' Bent. 'Repone lectionem a Bentleio injuste repudiatam *I. s. c. assurgens, conversaque frontem Emicat.* Hæc totidem litteris in cod. Paris. Ms. et edit. Vet. leguntur.' *Stoeb.*—598. 599 Scal. Delph. et vulg. *semper jaculata profundo, In t. r.* 'Illud *semper* ignave et insulse: et *jaculata* absolute quid hic facit? quibus jaculis usa est bellua? Rectius Gronov. Obss. II. 11. *semet jaculata.* Repone, *seque ejaculata profundo est, Is tantum, &c.* Plin. Hist. x. 54. 'Aliquæ avium ejaculantur sese in sublime.' Ovid. Met. VI. 259. 'Expulit hanc sanguis, seque ejaculatus in altum Emicat.'' *Bent.* 'Cod. Paris. Ms. et edit. Vet. *Sed quantum illa subit semper jaculata profundo In tantum revolat, latumque per æthera ludit Perseus et Ceti, &c.* Cur novam præferamus antiquæ, causa non est. Hanc etenim libri nostri firmiter tenent.' *Stoeb.*—599 Vulg. *latumque.* 'Melius Gemb. *laxumque.*' Scal.—600 'Versus irreptitius. *Sed quantum illa subit,* et mox *Nec cedit tamen illa viro,* inter hæc feminina masculinum *ceti* intervenire non debet. Addidit hunc vs. interpolator, postquam *is tantum* mutatum erat in *in tantum.* Tum enim *revolat* opus habebat nominativo Perseus.' *Bent.*—601

NOTÆ

594 *Gorgoneo*] Medusæ.

595 *Illa subit contra, &c.*] Sic Ovid. de eadem bellua, Met. IV. 720. 'Vulnere læsa gravi modo se sublimis in auras Attollit,' &c. Porro *illa* suppl. bellua, vs. 609.

603 *Volantem*] Perseum.

604 *Sanguineis undis*] Scilicet ut de

Spectabat pugnam pugnandi causa puella;
Jamque oblita sui, metuit pro vindice tali
Suspirans, animoque magis quam corpore pendet.
Tandem confossis subsedit bellua membris,
Plena maris, summasque iterum remeavit ad undas,
Et magnum vasto contexit corpore pontum,
Tunc quoque terribilis, nec virginis ore videnda.
Perfundit liquido Perseus in marmore corpus,
Major et ex undis ad cautes provolat altas,
Solvitque hærentem vinclis de rupe puellam,
Desponsam pugna, nupturam dote mariti.
Hic dedit Andromedæ cœlum, stellisque sacravit,

næ istius aspiciebat certamen, et jam immemor sui ipsius ingemiscens timet pro tali ultore, et angitur magis mente, quam corpore. Demum monstrum illud trajectis artubus jacuit plenum pelagi, et rursus renatavit ad supremas aquas, et cooperuit immensum mare immensa mole corporis sui, tunc etiam horrendum, nec cernendum vultu puellæ. Perseus lavit corpus in fluido æquore, et præstantior convolat ex aquis ad summos scopulos, liberavit virginem alligatam catenis ad scopulum, quam sibi desponsatam fecerat isto certamine, et sibi nupturam jure dotali conjugis. Is itaque donavit cælum Andromedæ, et consecravit astris, quasi præmium tanti

---

'Pro *illa*, lege *ille* (cetus) *viro*.' Reines.—609 Scal. Delph. et vulg. *summas iterumque renavit*. 'Gemb. *summasque iterum renavit ad undas*. Potuit Manilius primam in *renavit* producere, ut supra ostendimus, exemplo Lucretii et aliorum veterum. Sed nihil mutandum.' *Scal*. 'Illud *que* vitiose hic locatur. Gemb. *summasque iterum renavit*. Lips. et Voss. *summasque iterum regnavit*. Repone cum Venet. *summasque iterum remeavit ad undas*. ut supra 579. 'pactusque maritum ad litus remeat.'' *Bent*. 'Magis convenit, ideoque placet, hoc *renavit*, quod omnium itidem librorum consensu firmatum.' *Stoeb*.—612 Scal. Delph. et vulg. *Perfudit*. Et sic Paris. et Regiom. 'Immo *Perfundit* cum Voss. ut mox *provolat*.' Bent.—613 Scal. Delph. et vulg. *pervolat*; et sic Paris. et Regiom. 'Inepte. Repone *provolat*.' Bent.—616 Vulg. *stellasque*

NOTÆ

eadem bellua ait Ovid. Met. IV. 727. 'Bellua pœniceo mixtos cum sanguine fluctus Ore vomit. Maduere graves aspergine pennæ.'

605 *Puella*] Andromeda.

606 *Vindice tali*] Perseo.

607 *Pendet*] Eleganter. Dicitur enim et *animo* vel *animi pendere*, i. e. anxium esse, mente angi; et *corpore pendere*, i. e. suspensum hærere, aut affixum esse. Andromeda autem, et scopulis alligata pendebat corpore, et anxia metuensque Perseo pendebat animo.

612 *Liquido in marmore*] In æquoris undis, quod *marmor* dicitur ab æquabilitate, qua par videtur marmori. Virg. Æn. VI. 729. 'Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.' Et Æn. VII. 717. 'Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus.'

616 *Hic*] Perseus quidem non ipse

Mercedem tanti belli, quo concidit ipsa
Gorgone non levius monstrum, pelagusque levavit.
Quisquis in Andromedæ surgentis tempora ponto
Nascitur, immitis veniet, pœnæque minister,
Carceris et duri custos, quo stante superbo
Prostratæ jaceant miserorum in limine matres,
Pernoctesque patres cupiant extrema suorum

belli, quod ipsa peperit: et abstulit monstrum non minus Gorgone, et removit mare furens. Quicumque in lucem editur in tempore Andromedæ ascendentis e mari, is erit crudelis, et minister supplicii, et custos diræ custodiæ, quo adstante ambitiose genitrices infortunatorum liberorum abjectæ prosternantur ante fores, et ipsi genitores optent de noctibus ultimos amplexus liberorum suorum, et transmittere suam

---

sacravit. 'Melius *stellisque.*' Scal. 'Recte libri omnes, *Hic*, scil. Perseus dedit, i. e. sua virtute. Ita Nostro conveniunt Hygini verba Poët. Astron. II. de Andromeda: 'Hæc dicitur Minervæ beneficio inter astra collocata, propter Persei virtutem.' Quapropter accedere non possumus Barthio conanti corrigere, *Hinc adit A. c. stellisque sacravit* scil. eam. Alioquin minus apte sibi junguntur hæc: *Et* Perseus *sacravit Andromedæ stellis.* Quin hoc *sacravit* reposcit suo jure *stellas*, quod ei servant cod. Paris. et cum Regiom. reliqui vetusti editores. Quare deleta post hoc *sacravit* distinctione (,) sequentia quo arctius eo quoque commodius illis jungentur in hunc modum: *Hic dedit Andromedæ cœlum; stellasque sacravit* (ei) *Mercedem tanti belli, &c.*' Stoeb.—617 Vulg. *quod condidit ipse.* 'Gemblacens. *condidit ipsa.* optime. scribe, *Mercedem tanti belli, quo condidit ipsa Gorgone non levius monstrum.* Condere bellum, condere lustrum, condere diem, est finire.' *Scal.* "'Condere monstrum,' ait Scaliger, 'ut condere bellum, lustrum, diem, est finire.' Immo repone *concidit.* Virgilius Æn. XI. 245. 'Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.' Ovidius Fast. III. 550. 'Ipsa sua Dido concidit usa manu.'" *Bent.* 'Malim cum nostris, iisque melioribus, libris, *quod condidit ipse*, i. e. quod ipse Perseus composuit, finivit satis feliciter; bellum scilicet Andromedæ cum bellua marina.' *Stoeb.*—619 Scal. Delph. et vulg. *tempore.* 'Repone ex Gemblacensi, Lipsiensi, et Veneto, *tempora.* Nascitur in tempora Andromedæ ponto surgentis.' *Bent.*—621 Scal. et vulg. *superbæ.* Delph. *superbe.* 'Immo *superbo.*' Bent.

NOTÆ

dedit Andromedæ cœlum: sed in causa fuit cur inter astra retulerit eam Minerva; nimirum ob virtutem illius. Hygin. Astron. Poët. II.

618 *Gorgone*] Medusa.

Levavit] I. e. abstulit monstrum illud marinum, quod interfecit; et levavit pelagus, quod removit ab Æthiopiæ littoribus, quæ perfundebatur inundatione et fluctibus maris.

619 *Quisquis in Andromedæ, &c.*] His 12. vss. docet natos sub Andromedæ sidere fore crudeles, carnifices, carcerum custodes. Sic Firmic. VIII. 17. 'Quicumque sub hoc sidere oriente [Andromedæ] nati fuerint homines crudeli semper feritate grassabuntur; erunt enim aut pœnarum publicarum ministri, aut carcerum custodes, aut carnifices, et quibus occidendorum hominum officia credantur; aut ergastulis præpositi, aut fodiendis metallis.'

Oscula, et in proprias animam transferre medullas:
Carnificisque venit mortem vendentis imago,
Accensosque rogos, et tinctas cæde secures.
Supplicium vectigal erit. Qui denique posset
Pendentem e scopulis ipsam spectare puellam:
Interdum pœnis innoxia corpora servat,
Vinctorum dominus, sociusque in parte catenæ.
Piscibus exortis, cum pars vicesima prima

animam in suas medullas; oritur et simulacrum tortoris, qui ferat mortem non solum pyris accensis, sed etiam plerumque districta bipenni. Pœna erit census illorum. Tandem nascetur qui queat videre virginem appensam ad rupes, et qui sit magister captivorum, et comes in parte vinculorum. Aliquando custodiet corpora innocentia ad supplicia. Ubi autem vicesimus gradus in piscibus ortis notatur,

Reines. *superbe.*—625 Scal. Delph. et vulg. *ducentis.* 'Argute, et melius meo judicio quam Gemb. *vincentis.* Seneca, 'Et morte tristi tristior mortis locus.'' *Scal.* '*Mortem ducentis*, 'Argute,' inquit Scaliger. Nihil minus. Gemb. *vincentis:* Lips. et Voss. *vindentis.* Repone, *vendentis.* Probat quod mox sequitur, 'Supplicium vectigal erit.'' *Bent.* 'Cod. Paris. et editi vetusti *ducentis mortem*, pro ad mortem.' *Stoeb.*—626 Scal. Delph. et vulg. *Accensisque rogis et stricta sæpe securi.* 'Unde ablativus hic casus regatur, frustra quæras. Libri omnes, *Accensosque rogos.* Illud vero *sæpe* quid hic facit? Repone, *Accensosque rogos, et tinctas cæde secures.* Horatius Carm. III. 23. 12. 'Victima pontificum securim Cervice tinguet.' Tinctas *cæde*, idem quod sanguine, cruore. Ovid. Pont. II. 9. 56. 'Sumere, et hostili tingere cæde manum.'' *Bent.* '*Accensosque rogos, &c.* Ita legi Bentleius affirmat 'in libris omnibus.' Erroris veniam a nobis facile impetrabit vir doctus, qui codicem Paris. oculis non usurpavit. Hic enim diserte legit *Accensisque rogis et stricta sæpe securi.* Nec aliter Regiomontano vulgatum, ceterisque non sinistris interpretibus. 'Unde vero hi ablativi, frustra,' ait criticus ille, 'te quæsiturum.' Ne te fallat ratio, dicam ipsius auctoris verbis, hoc potissimum ordine concinnandis: Et imago carnificis ducentis ad mortem veniet in vel cum accensisque rogis, i. e. non solum accens. rog. et, pro sed etiam, stricta sæpe securi. Ita, ut video, plana sunt omnia, sibique cohærent aptissime.' *Stoeb.*—627 Scal. Delph. et vulg. *possit.* 'Immo *posset* cum Gemb. et Voss.' *Bent.*—629. 630 'Hi duo versus in libris scriptis ordinem inter se mutaverant. Nos sic, ut vides, posuimus, manifesto sententiæ commodo.' *Bent.* 'Vs. 629. in cod. Msto Paris. et editis vetustis, rectius omnino, post vs. 630. legitur.' *Stoeb.*

NOTÆ

624 *Medullas*] Carnem, substantiam; pars pro toto. Liberi enim de parentum medulla sunt ac substantia.

627 *Supplicium vectigal erit*] Tortores enim de supplicio vivunt.

630 *Sociusque in parte catenæ*] Eadem quippe catena vincti ibant et miles et militis custos.

631 *Piscibus exortis, &c.*] His 14. vss. ait cum 21. grad. piscium exoriri equum, quo sub sidere 'quicumque nascuntur, curiosi erunt, aurigæ, agitatores, equites, rhedarii, speculatores. Nonnunquam etiam medici, sed qui herbis medelas hominibus ægrotis

Signabit terræ limen, fulgebit et orbi,
Aërius nascetur equus cœloque volabit,
Velocesque dabit sub tali tempore partus,
Omne per officium vigilantia corda ferentes.

tunc certa lux affulgebit terris, et equus æthereus exorietur orbi terrarum, et volitabit in cælo, et tribuet sub tali tempore fœtus celeres, qui portent artus diligentes

—632 Vulg. *Signatum terræ lumen.* 'Quid est *signatum terræ lumen?* Gemb. *Signato.* Scribo confidenter *Signator terræ lumen, pars vicesima prima* appositive. *ὁρίζον τὴν γῆν.* Nam τὸ *Signator* in omni genere usurpant. Tertull. de Orat. 'Evangelium expunctor vetustatis.' Corn. Severus, 'Ignea nam cœlo ducebat lumina Phœbe Fraternis successor equis.' Sic Plinio Vergiliarum sidus 'institor vestium' dicitur. In Epist. Paridis, 'Sponsor conjugii stat Dea picta sui.' Sing. *Signator lumen*, plural. *signatricia lumina.* Insolentius Claudianus 'victrix solum:' Portentosius Silius, 'Phœnissa metuntur Agmina.' lib. XVII. Ejusmodi sunt Euripidea, *σκάφος ὁλκὰς*, in Cyclope: *μανιάδι λυσσήματι*, in Oreste: *δρομάδι κώλῳ*, in Helena. Minus mirum apud eundem *τὰς προφήτας*, apud Æschylum *τύχη σωτὴρ*, apud Apollonium *μοῦσαι ὑποφήτορες.*' *Scal.* Delph. *c. p. v. p. Signatur, terræ lumen fulgebit, e. o.* [Et sic Huet. Vide inter notas huic editioni appensas.] 'Ita castigandum fuit. Male Scal. *Signator.* Quis enim sensus? Bene autem *cum vicesima prima pars* piscium *signatur*, exoritur seu *fulget terræ lumen*, quod est equus aëris, qui terris exoritur et affulget.' *Delph.* ''*Pars XXI.* piscium lumen *signator terræ* (appositive) fulgebit, et statim equus nascetur.' Apage illud *Signator lumen.* Gemb. et Lips. *Signato terræ lumen.* Voss. *Signavit terra limen.* Repone et distingue *P. exortis, c. p. v. p. Signabit terræ limen, f. e. orbi; Aërius, &c. Signabit limen terræ*, hoc est, stringet lineam horizontalem. Sic I. 581. 'Proximus hunc ultra, brumalis nomine gaudens, Ultima designat fugientis limina solis.'' *Bent.* 'Cur duo verba, cum unum sufficiat? Concinnius hæc legit cod. Paris. et verius: *Signatum terræ lumen fulgebit et orbi.* Procul hinc faciat incisum. *Signatum lumen* dicit *equum*, vel propter figuram, quæ tantum dimidia; vel propter clarissimam in umbilico stellam, quæ Andromedæ caput vocatur, cui omnino convenit hoc *fulgebit.* Noster supra I. 356. de hoc equo: 'pectus fulgenti sidere clarus; Et finitur in Andromeda.' Ubi confer, si vacat, notata nostra. Illud itaque *signatum sidus Equi*, Noster ait, *fulgebit terræ et orbi.* Dicta sunt per ἓν διὰ δυοῖν, pro terrarum orbi.' *Stoeb.*—635 Vulg. *Omne*, et sic Delph. 'Gemblacen. *Come per officium.* Sedulos et officiosos. Phædrus idem II. 86. sed nescio quare priorem corripiens 'jactans officium come.' Martialis I. 90. 'Omne sed officium circa te semper obibat Turba tui sexus.' Lego, *come sed officium:* neque enim Latinum est 'omne officium obibat;' saltem non est elegantiæ illius sæculi.' *Scal.* Ibid. Scal. Delph. et vulg. pro *corda, membra.* 'Gemb. Lips. et Voss. *Come.* Venet. *Roma;* recentiores, *Omne.* Repone, *Omne p. o. v. corda f. Omne officium;* ut Claudian. Eutrop. I. 367. 'communiter omni Fungitur officio, gaudetque potentia flecti.' *Vigilantia corda:* nam certe *vigilantia*

NOTÆ

pecoribusque aptissime componant,' &c. inquit Firmicus VIII. 17. Per *curiosos* intelligit cursus publici præfectos.

633 *Equus*] Pegasus, I. 348. not.

635 *Omne per officium*] Eu officiosos nuntios.

Hic glomerabit equo gyros, dorsoque superbus
Ardua bella geret rector cum milite mixtus.
Hic stadium fraudare fide, poteritque videri
Mentitus passus, et campum tollere cursu.
Quamvis extremo citius revolaverit orbe
Nuntius extremum velox penetraverit orbem.

per omne officium. Alter multos aget orbes equo, et sublimis dorso equi faciet difficilia bella dux ipse mixtus cum milite. Modo poterit fallere fidem curriculo, et videri simulare gressus, et quasi subducere cursum ex arena: et qui nuntius redeat velocius, licet redierit ab ultimo terrarum orbe, vel bis percurrerit ultimum orbem

membra nimis dure et audacter. Sed Noster alibi 'vigilanti mente,' 'vigilanti sensu.' Supra v. 63. 'Indelassato properantia corda vigore.' Sic 'martia corda,' 'tremebunda corda,' 'lepore tincta corda.' Sil. VIII. 210. de Annibale, 'Anxia ducebat vigili suspiria corde.' Sic lego pro vulgata *voce:* non ut Heinsius *nocte:* res enim interdiu est acta.' *Bent.*—638. 639 Vulg. *studio*. Scal. et Delph. *Nunc stadio f. fidem p. q. v. Mentiri passus et campo t. cursum.* 'Gemb. *campum t. cursu.* Quasi retro relinquere viam campumque cursu superare.' *Delph.* 'Hæc mendosa sunt; *fraudare fidem* et *tollere cursum campo;* utrumque vitiose. Libri veteres, *Hic stadium*, et *mentitus, et campum cursu.* Repone, *Hic stadium fraudare fide, poteritque videri Mentitus passus, et campum tollere cursu. Fraudare stadium fide;* tam celeriter curret, ut stadium justo brevius esse, et campus ipse tolli, videatur. Nemesianus Cyneget. versu 289. 'ire viarum Longa volunt, latumque fuga consumere campum.' Sic 'corripere campum;' Virgilius Æn. v. 145.' *Bent.* 'Ex nostris codicibus, quo facilius et vel ultro sensus eorum adpareat, ita sunt constituendi: *Nunc* (cod. Par. melius, *Hunc*) *studio fraudare fidem poterisque videre Mentiri passus, et campo tollere cursum* (cod. Par. *cursus*) Videbis, inquit, hunc, i. e. alium, eo quod præcessit alter hic (vs. 636.) studio fraudare vel fallere fidem, i. e. sponsionem, non illam ab ipso, sed a spectatoribus mutuo datam receptamve. Videbis eundem mentiri, i. e. simulare, passus præstanti velocitate campo tollere cursus, i. e. campo quasi evolare.' *Stoeb.*—640. 641 Scal. Delph. et vulg. pro *velox*, *vel bis*. 'Hæc portentosa sunt; callide tamen ab interpretibus dissimulata. Aut uterque spurius est, aut posterior sic refingendus. Pro *vel bis* Venetus *ve toris;* Vossianus, *velle bis*. Repono, *N. e. velox p. o.* Claudianus, Prob. et Olyb. 174. 'Dixerat, et velox jam

NOTÆ

636 *Hic glomerabit equo gyros*] En domitores equorum.

Dorsoque superbus, &c.] En equites.

638 *Hic stadium, &c.*] En aurigas, qui mira dexteritate currum agant per campum.

639 *Campum* [*campo*] *tollere cursu* [*cursum*] I. e. tanta celeritate currum agere, ut vix supremam campi superficiem rotæ ac equi videantur attingere, quasi per aëra volvatur currus.

640 *Quamvis extremo, &c.*] En curiosos, speculatores, delatores. Sueton. in Aug. cap. 27. 'Equitem Romanum, cum apud milites subscribere quædam animadvertisset, curiosum ac speculatorem ratus, coram confodi imperavit.' Curiosus autem in bonam et malam partem sumitur, et is dicitur qui ab una ad alteram terrarum partem res novas ferat et quærat; et qui olim delicta in re mi-

Vilibus ille etiam sanabit vulnera succis
Quadrupedum : et medicas herbas in membra ferorum
Noverit, humanos et quæ nascentur ad usus.
Nixa genu species, et Graio nomine dicta
Engonasi, (ignota facies sub origine constat)

terrarum. Alter etiam curabit vilibus succis herbarum morbos equorum: sciet et artes medicas ad artus pecorum, et eas artes, quæ erunt ad usus hominum. Figura incumbens genu, quæ vocatur engonasi vocabulo Græco, et quæ figuratur sub specie

nuntius advolat urbem.' Prior versus videri potest ex posteriore per variantes lectiones conflatus.' *Bent.* 'Sana primi versus lectio, quam iisdem verbis tenet cod. Paris. Illud *Quamvis,* sequente, versu abhinc tertio, *etiam,* valet præterea vel præterquam quod. uti hoc *quamquam* in pari constructione supra IV. 702. sq. quod e loco Taciti evictum dedimus in adnot. ad loc. cit. Signat Noster *hemerodromum,* qui præterea quod altius revolaverit tanquam nuncius ab extremo orbe, (hanc distinctionem post hoc *Nuncius* scite ponit Molin.) *vel bis* (sic cod. Paris. et editi præstantiores) penetraverit orbem extremum, (et hoc inciaum a Molinio est) ille etiam sanabit, &c.' *Stoeb.*—643 Scal. Delph. et vulg. *Q. m. artes i. m. ferarum.* 'Firmicus interpretatur pecorum. Melius *ferorum,* id est, equorum. Virgilius: 'inque feri curvam compagibus alvum Contorsit.' Supra: 'Excogitare feros, pronumque anteire volantes.' Item idem error supra: 'Ille tenet medicas artes ad membra ferarum.' Ubi melius legeretur *ferorum.* Nam τὰ κτίλα non dicuntur feræ.' *Scal.* 'Cum dicit *nascentur,* herbas vult, non artes. Libri veteres, *et medicas.* Repone, *Et medicas herbas in membra ferorum.* Statius Achill. I. 116. de Chirone; 'nam tum labor unus inermi, Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas.' Vide supra v. 353. 'Ille tenet medicas herbas ad membra ferorum:' etiam Scaliger hic *ferorum.*' Bent.—646 Vulg. *Engonasi ingenicla vivens sub origine constat.* Scal. pro *vivens, nitens.* 'Ut de duabus primis vocibus constat, ita in cæteris nihil juvat nos codex Gemblacensis. In eo scriptum, *vides sub origine constat.* Fortasse: *cui pes suffragine constat.* Cui pes constat suffragine ingenicula. Id est, qui uno pede ingeniculato nititur. Nam *suffrago* est ἡ ἀγκύλη, ἡ ἰγνύη. *Engonasi, ingenicla cui pes suffragine constat.* Sed hoc est divinare. Inanes et frivolæ conjecturæ, et ægrorum somnia facessant. Ni-

NOTÆ

litari commissa nuntiaret. Hoc autem curiosorum officium primum nobis sub Cæsare Maximiliano innotuit, ejusmodique cursorum, quos Gallice *postes* vocamus, consuetudinem neglectam renovavit familia Vicecomitum Mediolanensium.

642 *Vilibus ille etiam, &c.*] En medicos pecorum et hominum per viles herbarum succos tantum, qualem artem vulgo profitentur rustici.

643 *Quadrupedum*] Equorum, lib. IV. 234.

645 *Nixa genu species, &c.*] His 11. vss. docet cum extremis piscium partibus exoriri engonasi, quod vocant, id est, Herculem, qui genu nititur. Quo sub sidere quicumque nati fuerint 'fugaces erunt, callidi, variis instructi dolis, mendaces, et qui homines variis insidiis appetant. Erunt funambuli, oribatæ, neurobatæ,' inquit Firmic. VIII. 17.

646 *Engonasi*] Græca vox, quasi ἐν γόνασι, *in genubus.* Arat. Ἀλλά μιν αὔτως Ἐγγόνασι καλέουσι, τόθ' αὖτ' ἐν

Dextra per extremos attollit lumina pisces.

ingeniculata adolescentis, evehit dextras stellas per ultimos pisces. Ex hoc sidere

hil hic videt acies ingenioli nostri. Ait Engonasin, sive Nisum, ut vocat Cicero, vel Ingeniculum, oriri in extremis partibus piscium. Exclamare libet: Hercules tuam fidem. Nam sæculo Manilii oriebatur a XXI. libræ, ad VI. scorpii in finitore barbarico, hor. 3. 45'.' *Scal.* Delph. *E. ingenicla juvenis sub imagine constans.* 'Lege *Engonasin Sicula.* De ea etiam lib. I.' *Reines.* 'Gemb. *Et comes inguicola vides sub origine constat.* Lips. *Et comas inguicula vides.* Voss. *Et gonas ingui onlandas.* Ex his veteris et veræ lectionis vestigiis nata est hodierna lectio. Scaliger tentabat, *Engonasi, ingenicla cui pes suffragine constat:* sed statim conjecturæ pertæsus, desperabat. Vossius ad Catullum hoc modo, *Engonasi, ingenicla claudens ab origine constat. Claudens,* inquit, est claudicans. Nimirum infirmo est talo, clandicatque hæc conjectura. Unde vero est, quod plerique quasi certam lectionem sumunt barbarum illud *ingenicla?* Nemo vel ante vel præter Firmicum *ingeniculus* dixit VIII. 17. et vel ibi nescio an *in genibus* Firmicus scripserit, ut Græci *ἐν γόνασι.* Certe apud Nostrum, qui priore versu dixerat *Nixa genu species,* ineptissimum fuerit *ingenicla* addere, quod idem est ac *genu nixa.* Sic et I. 322. 'Nixa venit species genibus, sibi conscia causæ.' Restituo tibi, quod ab auctore venerat, *Nixa genu species, et Graio nomine dicta Engonasi* (*ignota facies sub origine constat*) *Dextra per extremos attollit lumina pisces.* Ut in libro primo dixerat, 'sibi conscia causæ;' nimirum quia nemo alius erat conscius; ita hic *ignota sub origine. Facies* tamen, inquit, *constat.* Omnes in asterismo consentiunt, juvenem esse genibus nixum; licet, Arato duce, plerique causam se nescire fateantur. *Facies constat sub ignota origine:* sic de origine mundi disserens I. 147. 'Sed facies quacumque tamen sub origine rerum Convenit, et certo digestum est ordine corpus.'' *Bent.* 'Nusquam librorum leguntur hæc, *ignota facies.* Regiomontanus sic dedit versum, *En gonasi idolon juvenis sub origine constans Dextra per extremos, &c.* Ceteri editores, exemplar forte Bononiense secuti, eandem cum Barthio lectionem tenent: *Et coma signicula virens sub origine constat* (.) Posteriora quidem verba *viv. sub orig. const.* codici quoque Paris. diserte leguntur. super hoc *virens* scriptum ab alia manu, 'vel *oonas.*' Priora vero correctoris manum adhuc desiderant: *Et vide igcula.* Ad versum in margine hoc signum (†) positum, scriptionis corrigendæ monimentum. Videtur id negotii datum nobis, ut post tot alios hunc quoque locum, sane quam ægerrimum, neque doctorum interpretum conjecturis adhuc sanatum, nostro, si quod est, ingenio sublevemus. Faciamus periculum. Cogitantibus autem, Nostrum mores artesque conjungere, in unum *Engonasi* sidus minus apte quadrantes, præsertim quod ratio excogitari nulla potest, qua fiat, ut ab illo schœnobatæ et oreibatæ nascantur; in mentem venit, ingeniosissimum Poëtam pro instituti sui et astrothesias ratione (cf. supra adnot. ad vs. 29.) duo sidera conjunxisse: nimirum geniculatum et lyram; quæ uti vicinitate illi conjuncta, ita chordarum intuitu et auctoris ejus Œagri vel Orphei, posteriori apotelesmati locum fecit aptissimum. Clarius hoc patescet ex ipsa codicis Paris. lectione,

NOTÆ

γόνασι κάμνον Ὀκλάζοντι ἔοικεν. Id est, 'sed ipsum vulgo Engonasi vocant, eo quod genubus laborans Geniculanti similis est.' Sic Manil. I. 315. 'Nixa venit species genibus sibi conscia causæ.' Consule locum, et notas.

647 *Dextra*] Engonasi enim brachium dextrum extendit per extremos pisces, I. 315.

Hinc fuga nascentum, dolus, insidiæque creantur,
Grassatorque venit media metuendus in urbe.
Et si forte aliquas animis exsurget in artes,
In prærupta dabit studium, vendetque periclo
Ingenium. Ac tenues ausus sine limite gressus
Certa per extentos ponet vestigia funes;
At cœli meditatus iter vestigia perdet

fuga, fraus, et insidiæ nascentis generantur, et exoritur fur timendus in media ipsa urbe. Et si fortasse surget mente in aliquas disciplinas, adhibebit studium suum in res periculosas, et superabit mentem ipso discrimine; vel ausus metiri tenues passus absque termino, collocat non inscias plantas pedum per diductos funes, et aggressus viam aëris ascendens in vertices Apenninos quasi suspenditur, et tenet

illa exscriptorum negligentia misere corrupta, sed certissima, quod videtur, emendatione sic restituenda: *Et Fidis in genua Œagri sub origine constat.* *Et* omnibus veterum libris inhæret: retinendum ergo. Connectit enim hæc quæ deinceps dicturus est (forte parenthesi includenda) cum illis: *Nixa genu species et Graio nomine dicta:* quorum ultima sic concipienda: Graio quoque nomine sic dicta. Hæc intelligenti sufficiunt lectori, cujus peritiæ ne diffidere Noster videatur, illud *Engonasi* per totum, qua hactenus, carmen omisit. Cur ergo nunc, in fine demum, id ei dabimus, ubi ne vola quidem aut vestigium ejus in libris vetustis? Sed pergamus in tentaminis nostri ratione reddenda. *Fidis* primo casu hac terminatione semper et ubique effertur Columellæ: vide XI. 2. passim. 'Astrum illud quod Græcis λύρα.' Varro de Re Rust. II. 5. 'Œagri, i. e. qua usus Œager Orpheus.' Vide supra vs. 324. sq. coll. adnot. ad loc. *constat in genua sub origine* scil. τοῦ ἐν γόνασι, i. e. subsequitur illum orientem, ut quæ posita est inter genu et manum sinistram illius Engonasi, qui exoritur ante pedibus, quam reliquis membris, Auctor et interpres Hyginus Poët. Astronom. cap. v. de Lyra. Itaque multo uberiorem eandemque acuminatiorem habemus sententiam Auctoris, alteri certe τὸν Engonasi multa cum inani verborum profusione describenti, quod Nostri non est, tanto longius anteferendam.' *Stoeb.*—650 Scal. Delph. et vulg. *animo consurget.* 'Vetusti quattuor *animus*, et tres *exsurget*. Repone *animis exsurget*. Virg. Georg. IV. 132. 'Regum æquabat opes animis.' ita passim.' *Bent.*—651 Scal. Delph. et vulg. *vincetque.* 'Venet. *vendetque*: recte. Sic IV. 139. 'Seque sua semper cupientia vendere laude.'' *Bent.* 'Libri omnes, *vincetque*. recte. *periclo*(.) Sic non incommode interpunxit Regiom. *Ingenium* cum cet. referre omnino poteris ad hoc *ponet*, quod habes vs. 653. 'Certa per extentos ponet vestigia funes;' quæ quidem verissima est, Regiomontani quoque, lectio. *Funambulum* notat, ex lyræ chordis obductæ figuratione, coll. adnot. ad vs. 646. Unde Gallis ille, quod mirum Fayo non subvenisse, *danseur de corde*, dicitur; nimirum a chorda, qua id genus homines æneа, quale ferreum filum, utuntur.' *Stoeb.*—652 Scal. Delph. et vulg. *Aut.* 'Pro *Aut* vetusti quattuor habent *Ac*.' Bent.—653 Scal. Delph. et vulg. *ponit.* 'Immo *ponet*.' Bent.—654. 655 'Ipse aërobata, de quo hic mentio,

NOTÆ

653 *Certa per extentos, &c.*] En funambuli, qui per funes ascendunt et gradiuntur. Quos *schœnobatas* vocat Juven. Sat. III. a vocibus Græcis σχοῖνος *funis*, et βαίνω *ascendo*. Dicuntur et *neurobatæ* a vocibus Græcis νεῦρα *nervi*, et βαίνω *ascendo*. Dicuntur et *funerepi* ab Apuleio.

Pene sua, et pendens populum suspendet ab ipso.
Læva sub extremis consurgunt sidera ceti

plebem pendentem a seipso. Sinistræ stellæ ceti, qui sequitur sicut in mari, ita in

non magis est *παράβολος καὶ παρακεκινδυνευμένος*, quam sunt hi duo versus. Monstra sunt in Gemblacensi : *Et cœli meditatus iter vestigia perdet Et peneuæ et pendens porulum suspendit ab ipso.* Ibid. *Et cœli meditatus iter.* *ἀεροβάτης*, *σχοινοβάτης*. Firmicus. Prudentius Hamartigenia : 'Inde per aërium pendens audacia funem Ardua securis scandit proscenia plantis.' Ibid. *vestigia perdet.* Recta lectio. Nam illi paraboli per funem incedentes deinde tanquam casabundi fingunt se excidere, et pendent unico pede. Turcæ habent desperatæ audaciæ et miros hujusmodi schœnobatas. *Apennina petens.* Si non esset vitium in lectione, esset *ὀρειβάτης* Firmici. ut apud Statium II. Achilleidos : 'Nunc caput aërii scandentem prendere montis Quo fugitur per plana gradu.' Sed tam hic, quam apud Firmicum, vitium est. Nam *Apennina* conformatum vel interpolatum a Bonincontrio ex illo non meliore, *Et peneua.* profecto legendum, *Et pene ut pendens populum suspendet ab ipso.* Optime. Apud Firmicum vero non *Oribata*, sed *aërobata* legendum. In eodem etiam legitur *neurobata*, ut apud Vopiscum in Catino : 'Nam et neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit.' Utrobique puto legendum *anemobata.*' Scal. 'Vetusti libri in mirifica lectione consentiunt, *Et peneua et pendens porulum suspendet ab ipsa.* Unde Scaliger *Et pene ut pendens ;* Salmasius ad Vopiscum, *Per vacuum et pendens ;* Vossius ad Catullum, *Et perna pendens.* Repono, *At cœli meditatus iter vestigia perdet Pene sua, et pendens populum suspendet ab ipso.* Dum per extentum et directum funem incedit, certa vestigia ponit ; at cum cæli iter meditatus, per laxum et erectum funem scandit, vestigia sua pene perdit.' *Bent.* 'Melius *Et,* quod est in vetustis, *vestigia perdet.* Iidem omnes, *fastigia pendet.* Hoc futuri temporis est a *pendo* quod valet pondero, libro. Porro pro, *Pene sua, et pendens* restituendum ex scriptis editisque libris, *Apennina petens* (,) [Et sic Delph.] scil. fastigia, quæ proprie dicuntur montium cacumina, uti supra de Æthna. Regiom. suum, hoc quidem loco vitiosum, codicem secutus, vulgavit *Apennina potens torulum*, quæ nullius sane sunt pretii. Recte omnino, *populum suspendet*, scil. stupefactum, non *porulum*, quod nihili est in cod. Paris. nec *poculum*, quod nobis quidem longe ineptius videtur. Barthio tamen hoc probatur Advers. pag. 377. Inde vero hanc Nostri colligimus esse sententiam : Funambulus ille celsissima petens vel montis Apennini cacumina, aut pontones saltem pensiles tam alte exstruens, ut ipsum æquare

NOTÆ

654 *Cœli meditatus iter, &c.*] En orbitæ, qui summa montium altissimorum, qualis est mons Apenninus Romæ, cacumina ascendendo per funes superant.

655 *Suspendet ab ipso*] Eleganter dictum. Pendulus enim ille homo schœnobata suspensos, seu sursum elatos, tenet populorum vultus et oculos.

656 *Læva sub extremis, &c.*] His 37. vss. ait cum extremis piscium partibus exoriri cetum, quo sub sidere nati, inquit Firmic. VIII. 17. 'erunt piscatores, sed piscium magnorum. Hi enim phocas, marinos canes, xiphias, thynnos, crocodilosque capient. Vel habebunt officia quæ ex salibus, salsamentis, aut liquamine fiunt, et hæc mercabuntur,' &c.

Læva] Namque ceti sidus ad lævam piscium situm est, I. 428.

Piscibus, Andromedam ponto cœloque sequentis.
Hic trahit in pelagi cædes, et vulnera natos
Squamigeri gregis: extentis laqueare profundum
Retibus, et pontum vinclis arctare furentem;

cælo Andromedam, attolluntur cum ultimis piscium partibus. Hoc autem cete ducit nascentes sub se in cædes maris, et in vulnera gregis ferentis squamas. Jurat enim illos aut irretire mare laqueis diductis, et comprimere nexibus pelagus æstuans.

videantur Apenninum, suo fastigia haltere librabit, spectantemque populum tenebit stupore vel admiratione sui suspensum ab ipso, pro a se ipso, in quem utpote omnium ora atque oculi sunt conversi.' *Stoeb.*—658 Scal. Delph. et vulg. *Hoc.* 'Immo *Hic*, nempe cetus.' *Bent.*—660 Scal. et vulg. *armare sequentem.* '*Armare pontum sequentem vinclis* quid sit nescio, et turbat Gemb. qui hic habet *armare furentem.* An legendum? *Pontum vinclis artare sequentem.* Nam retibus quæ vincla vocat paulatim procedendo, quod hic dicitur *sequi* in arctum coguntur pisces, et quia non sentiunt se clausos, perinde sunt, atque in laxo æquore.' *Scal.* "*Armare pontum sequentem vinclis* quid sit nescio,' inquit Scal. At scire se existimabant Huet. [vide inter notas huic editioni appensas] et ad Statii Silvas Gronov. nempe *sequentem* obsequentem, patientem pontum armare retibus contra pisces. Quid aliud est, si hoc non est, intelligendo nihil intelligere? Vetusti omnes non *sequentem* sed *furentem.* Repone *e. p. v. artare furentem.* Et Scal. quidem *artare*, sed *sequentem* male retinebat. Pontum furentem et indignantem vinculis coërcent. Ut arta vincula passim dicuntur, ita Lucan. v. 234. 'Artatus rapido fervet qua gurgite pontus.'' *Bent.* 'Scribendum omnino *artare*, uti Scal. et ipse Bent. in notatis ad h. l. Marckland. ad Stat. pag. 235. Vide etiam Castal. ad Rutil. pag. 84. Sic 'arta domus' Apollinar. Carm. VII. 54. pag. 273. ed. Colv. Libri vero nostri prisci et moderni sic legunt, *et pontum vinclis armare sequentem.* Quæ quidem lectio, si rite explicetur, alteri præstat longissime. Gronovius quidem ad Plaut. Pers. I. 2. 22. reddit: 'retibus inductis infestum pontum reddere piscibus.' Hoc autem nihil est certe aliud, quam quod Noster modo dixerat, 'extentis laqueare retibus profundum,' quod est mare. Alii *pontum* faciunt *obsequentem.* Quos merito ridet Bentleius. Scaliger mavult *sequentes* scilicet pisces, qui *vinclis*, i. e. retibus ducuntur. Et hæc ab Auctoris mente sunt aliena. Scribendum vero *Pontum*, ut intelligatur piscium genus maximorum, quod *Pontum* proprio nomine sic dictum τὴν Ποντικὴν, Ælian. Hist. Anim. lib. XV. cap. 6. *sequitur*, i. e. quærit, intrat, ibique degere amat. Auctor Plinius Histor. Natural. lib. IX. cap. 15. 19. 'Piscium genus omne præcipua celeritate adolescit, maxime in Ponto. Causa, multitudo amnium dulces inferentium aquas. Amiam vocant, cujus incrementum singulis diebus intelligitur. Cum thynnis hæc et pelamydes in Pontum ad dulciora pabula intrant gregatim cum suis quæque ducibus.' Neque tamen in Ponto tantum capiuntur thynni, sed in Sicilia etiam, imo et alibi quoque piscatores eorum constat. Ælian. l. m. c. Poteris etiam accipere piscem prægrandem, quales ceti, thynni, delphini, *sequentem*, i. e. secantem pontum. Nam a *seco* fit *sequor*, eodem sensu. Vide adnot. ad II. 881. et ibi Perott. quemadmodum vicissim *seco* pro *sequor* Nostro usurpatum lib. cit. vs. 132. ex

NOTÆ

659 *Squamigeri gregis*] Piscium.

660 *Arctare furentem*] I. e. retibus arctatur mare, quod, licet furens ac æstuans, retibus comprimitur; vel quod furit et æstuat aliquatenus dum inter maculas, hoc est, reticulorum foramina effluit.

Et velut in laxo securas æquore phocas
Carceribus claudunt raris, et compede nectunt;
Incautosque trahunt macularum lumine thynnos.
Nec cepisse sat est: luctantur rumpere nodos,
Expectantque novas acies, ferroque necantur,
Inficiturque suo permixtus sanguine pontus.

Et includunt in laxis carceribus retium phocas quasi tutas in amplo mari, et constringunt illas laqueo, et rapiunt textura viminea retium imprudentes thynnos. Neque vero satis est comprehendisse. Corpora illorum aliquando agitant sese in vinculis, et opperiuntur nova agmina; et trucidantur ferro, et mare mixtum tingitur omne suo cruore, ubi capti pisces sternuntur per omne littus. Tunc altera stra-

Ms. 'certa secanda via est.' Hos autem pisces Noster dicit *vinclis armari*, quasi indui et includi. Quod luculentius tradit Ælianus Hist. Anim. XIII. 16. ubi memorat, Celtas et Massilienses atque omnes Ligures maximis et firmissimis hamis ex ferro confectis thynnos comprehendere solere. Quæ si adhuc, quod tamen dubito, minus placent, age sis *pontum sequentem* intellige ipsum piscatorem cetarium, qui variis ad capiendum instrumentis instructus pontum sequitur. Hæc instrumenta suo Ælianus ore vocat ὅπλα, unde perquam apte Noster *armare*. Vide illum Hist. Anim. XV. 5. ubi de thynnorum piscatione plura lectu admodum jucunda.' *Stoeb.*—662 'Gemb. *claudent, nectent, trahent.*' Scal.—663 Scal. Delph. et vulg. *vimine*. '*Vimen* pro textura, ut vimen arundinum dici, alibi nos monuisse meminimus. Virgil. XI. 'Arbuteis texunt virgis, et vimine querno:' id est, textu virgarum quernarum. Nam Gemblac. inepte habet *numine:* ineptius Bonincontrius *munere*.' Scal. 'Quid est *vimen macularum?* 'Textura,' inquit Scal. Cui hoc credibile fiet? Dixisset auctor *nassarum vimine*, non *macularum:* ut Silius V. 48. 'piscator ad undas, Ore levem patulo texens de vimine nassam.' Sed sententia hoc non recipit. Pro *vimine* Gemb. *numine;* Lips. et Voss. *nomine*. Repone, *lumine*. *Maculæ* sunt foramina, et quasi fenestræ retis. Ad thynnorum igitur capturam, qui inter pisces præcipua magnitudine sunt, retia adhibentur grandibus maculis: quo fit ut thynni non sentiant aquas opacari vel se retibus includi.' *Bent.*—664 Scal. Delph. et vulg. *l. corpora nodis*. 'Repone *rumpere nodos*. Thynni luctantur rumpere retia. Sic Horatius Carm. I. 1. 28. 'Seu rupit teretes Marsus aper plagas.'' *Bent.*—666. 667 Scal. Delph. et vulg. *permixtus s. pontus Totus, cum toto, &c.* ''Ponenda est hic,' inquit Huetius, 'τελεία στιγμή.' *Totus. cum toto.* Sane ponenda est, sed non post *totus;* ne sententiæ commodum aucupantes versus elegantiam prorsus amittamus. Quid quod ineptum et absurdum est, *totum pontum* thynnorum, qui uno reti clauduntur, sanguine infici. Gemb. et Lips. *Totum cum toto;* Vossianus, *Totum*

NOTÆ

661 *Phocas*] Belluas marinas corio et pilis tectas, per somnum instar vitulorum mugientes. Quos vitulos marinos vocant. Plin. IX. 17.

663 *Macularum lumine* [*vimine*] Maculæ dicuntur a piscatoribus retium foramina, quæ pro ipsis etiam retibus usurpantur.

Thynnos] Gallice *thons*, qui mense Maio copiosissime capiuntur præsertim in freto Gaditano.

665 *Novas acies*] Nova agmina, suppl. thynnorum. Thynni enim gregatim accedunt ad littora.

Tum quoque, cum toto jacuerunt littore prædæ,
Altera fit cædis cædes: scinduntur in artus,
Corpore et ex uno varius describitur usus.
Illa datis melior succis pars, illa retentis.
Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris
Evomit, et mixto gustum sale temperat oris.
Illa putris turba est. Strages confunditur omnis,
Permiscetque suas alterna in damna figuras,
Communemque cibis usum, succumque ministrat.
Aut cum cœruleo stetit ipsa simillima ponto
Squamigerum nubes, turbaque immobilis hæret,

ges fit stragis jam factæ; corpora piscium dissecantur in membra et partes, et ex eodem corpore diversus usus fit. Pinguior quidem pars describitur ad reddenda liquamina; alia, ad retinenda: inde pretiosa tabes emanat, et effundit florem sanguinis, et moderatur rite gustum gulæ admixto sale. Alia pars piscium multitudo est putrida, tota cædes promiscetur, et confundit suas formas in mutuas corruptiones, et præbet communem usum et cruorem suum in epulas. Verum ubi grex piscium ipse non dissimilis glauco mari constitit, et immotus adjacet littoribus, circum-

quoque cum toto. Repone et distingue, *Inficiturque suo permixtus sanguine pontus. Tum quoque, cum toto jacuerunt litore prædæ, Altera fit cædis cædes.*' Bent. 'Ex libris vetustis, cum interpunctione Molinii, ita restituendi sunt: *permixtus sanguine pontus* (dele hic distinct.) *Totus* (,) *cum toto jacuerunt littore prædæ* (.)' Stoeb.—668 Vulg. *A. f. cædi cædes.* '*Cædis* Gemb. Intelligit τὰ τεμάχη. Sequentia explicant.' *Scal.* 'Inepte, pro *cædi cædes*, quod referunt libri prisci. Nec hoc satis recte. Legendum puto *ceti cædes.* Pro *fit*, cod. Paris. *sic*, scil. fit.' *Stoeb.*—669 Scal. Delph. et vulg. *Corpora.* 'Sic quidem libri veteres: sed recentiores hic recte, *Corpore.* Si *corpora* legas, tum constructio erit, ex uno usu varius usus. Prorsus absurde.' *Bent.*—671 '*Cruoris.* Hoc Regiom. et alii. Cod. Paris. in margine pro var. lect. Idem vero *coloris* in textu. Utrumque suis nititur rationibus.' *Stoeb.*—673 'Gemb. *turbat.* Vestigium archetypi *turbast.*' Scal.—676 Scal. Delph. et vulg. *At.* 'Immo cum vetustis *Aut.*' Bent.—677 Scal. Delph. et vulg. *terræque.* 'Gemb. *turbæque.* Hic multa sunt inexplicabilia.' *Scal.* 'Ineptum illud *terræ: cui* si hærent thynni, non possunt *circumvallari* sagena. Vetusti omnes *turbæque.* Repone, *turbaque.* Immobilis præ turba.' *Bent.* 'Libri omnes, præter cod.

NOTÆ

668 *Altera fit cædis cædes*] Dissectio thynnorum, et majorum illorum piscium in partes, ut sale condiantur, aut in liquamina coquantur, i. e. in oleum ac adipem: quæ scilicet partes sunt meliores.

671 *Sanies pretiosa*] Muria, Gallice *saumure*, i. e. liquorum, quod ex thynno conficitur; de quo Martial. lib. XIII. 103. 'Antipolitani, fateor, sum filia thynni, Essem si scombri, non tibi missa forem.'

674 *Alterna in damna*] Caro quippe thynnorum et sanies sese corrumpunt; qua ex corruptione fit salsamentum, quod cibum simul præbet et potum.

Excipitur vasta circumvallata sagena,
Ingentesque lacus et Bacchi dolia complet,
Humorisque vomit socias per mutua dotes;
Et fluit in liquidam tabem resoluta medulla.
Quinetiam magnas poterunt celebrare salinas,
Et pontum coquere, et ponti secernere virus,
Cum solidum certo distendunt margine campum,
Appelluntque suo deductum ex æquore fluctum,

septus amplo verriculo capitur, et implet magna stagna, et cados Bacchi, et emittit liquores ex mutuo et consorti dono, et sanies emollita diffluit in fluidas medullas. Immo etiam nati sub hoc sidere poterunt facere magnas salinas, et concoquere mare, et segregare venenum maris, quando extendunt solum terræ in certa quadam ripa, et adducunt undam extractam e suo mari, et repellunt occludendo rivulos. Tunc

Ms. Lips. *terræque*, cui mox sequens *hæret* magis convenit.' *Stoeb.*—680 Scal. Delph. et vulg. *Humoresque vomet socia p. m. dote.* '*Vomet humores socia dote.* Non intelligo. Gembl. *Ut morisque volet.* Lips. pro varia lectione, *Humorisque volet.* Vossianus, *Umoresque volet.* Repone, *Humorisque vomit socias per mutua dotes.*' Bent. 'Præeuntem Barthium cum suis libris, nos sequimur cum nostris, hac lectione, *Humoresque volet socia per mutua dote.* De garo hæc ex variorum piscium mixtione vino temperata, ille V. D. capienda arbitratur. *Humoresque volet* scil. Bacchi. Vide Barth. Adv. p. 377.' *Stoeb.*—681 Scal. Delph. et vulg. *E. f. i. liquidas tabes r. medullas.* Et sic Paris. et Regiom. 'Monstrum hoc est, *tabes resoluta fluit in medullas:* immo medulla resoluta fluit in tabem. Repone, *Et fluit in liquidam tabem resoluta medulla.* Ovid. Met. IX. 175. 'Ambustique sonant nervi, cæcaque medullis Tabe liquefactis.' et XIV. 431. 'Luctibus extremum tenues liquefacta medullas Tabuit.'' *Bent.*—683 'Desunt verba *et ponti* in cod. Paris. Idem, et cum Regiom. editi plures, *vires.* Sed alterum rectius. Cf. vs. 690.' *Stoeb.*—684 'Pro *distendunt*, an legendum *describunt?* vel, quod Barthio visum, *distinguunt.* Vulgatam libri tuentur.' *Idem.*—685 Vulg. *Ad bellumque.* 'A Scal. est *Adpelluntque.* Libri omnes, *ad bellumque;* scil. cum fluctus cohibentur in

NOTÆ

677 *Nubes*] Grex, agmen, glomulus piscium, adnantium simul ad littora instar nebulæ. Qualiter solent congregari thynni et haleces. Sic et apud Virgil. Æn. IX. 33. *nubes* usurpatur pro globo et agmine militum: 'Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.' Sic Æn. VIII. 254.

679 *Bacchi dolia*] Cados in quibus Bacchi munus, i. e. vinum, solet excipi.

682 *Salinas*] Salina locus est in quo ex aqua marina sal paratur. Duplici autem modo coquitur sal, igne et sole. Igne quidem cum e puteis certis aqua hausta coquitur et coalescit igne in salem. Sole vero, cum littus maris aratur, ac certis anni temporibus, nempe a mense Maio ad mensem Octobrem, aqua maris in sulcos affunditur, ac ardore solis concrescit tandem in salem. Plin. XXXI. 7.

683 *Ponti virus*] Spumas maris, quæ concrescunt in salem. Dicitur autem *virus* ac *venenum* pelagi, quia nihil acerbius, nihil amarius.

Claudendoque negant. Tum demum suscipit auras
Area, tum posito per solem humore nitescit.
Congeritur siccum pelagus, mensisque profundi
Canities seposta maris; spumæque rigentis
Ingentes faciunt cumulos; pelagique venenum,
Quo perit usus aquæ succo corruptus amaro,
Vitali sale permutant, redduntque salubre.
At revoluta polo cum pronis vultibus arctos

tandem planities campi excipit aquas maris, tunc mare candescit in salem ex aqua per solem. Siccatum mare accumulatur, et candor congestus maris effusi et spumæ concreti pelagi efficiunt immensos aggeres et virus maris. Et quia usus aquæ fuerat corruptus humore amaro, mutant illam vivifico sale, et efficiunt sanam. Verum ubi major ursa retorta ab ipso polo reducit sempiternos gressus ad sua vestigia

fovea, solis ardore exsiccandi, ut nil nisi sal remaneat.' *Idem.*—686 Scal. Delph. et vulg. *undas,* et mox 687. pro *posito, pontus.* Et sic Paris. et Regiom. 'Hæc absurdissima sunt. Tum demum *undas* suscipit; postquam undis repleta est: et *pontus* nitescit per solem *humore;* quod fit calore et æstu. Vetusti omnes *ponto.* Repone, *t. d. s. auras A. t. posito p. s. h. n.* Posito per auras et solem humore nitescit et concrescit in salem.' *Bent.*—688 Scal. Delph. et vulg. *mersique,* et mox 689. Vulg. *et nota.* Scal. et Delph. *emota.* '*Siccum pelagus* est sal in fundo areæ siccus relictus. Quid igitur hic facit *mersi* maris? Gemb. *mersisque.* [et sic Paris. et Regiom.] Lips. et Voss. *mensisque.* Omnes quattuor *sed nota* pro *emota.* Repone, *mensisque p. C. seposta m.* Silius VIII. 378. 'At quos ipsius mensis seposta Lyæi Setia.' *Seposita mensis,* servata, separata, recondita.' *Bent.* 'Pro *seposta,* Molin. posita post hoc *Canities* (,) cum scriptis ac vulgatis vetustioribus legit, *et nota maris* (,) *spumæq. rig.*' Stoeb.—690–692 Scal. Delph. et vulg. et sic Paris. et Regiom. *I. f. tumulos, p. q. venenum. Quodque erat u. a. s. c. a. V. s. p. r. q. salubrem.* 'Et hæc sensu cassa sunt; quippe et mendis et prava distinctione laborantia. Pro *Quodque erat* vetusti tres *Quodque erit.* Voss. *Quod erit.* Lege et distingue *I. f. cumulos: p. q. v., Quo perit u. a. s. c. a., V. s. p., r. q. salubre.* Etiam *venenum* pelagi *salubre* reddunt.' *Bent.*—693 Scal. Delph. et vulg. *primis.* 'Repone, *pronis.* ut III. 359. 'boreamque rigentem Prona Lycaoniæ spec-

NOTÆ

693 *At revoluta polo, &c.*] His 17. vss. ait, helicen, quæ major est ursa, et cynosuram, quæ minor est, exoriri cum leone et scorpione: quibus sub sideribus nati feras mitigabunt, leones exarmabunt, lupos palpabunt, pantheris ludent, ursas non fugient, elephantos dorso prement, tigres rabie solvent, canes amicitia jungent, &c.

Polo] Sup. septentrionali, a quo et circa quem torquetur helice.

Pronis [*primis*] *vultibus*] Cum enim terras non subeat helice, nec tingatur aquis, ut cetera sidera, non ita facile fuit dicere quo tempore, et qua sui parte, primum oriri ac resurgere observetur. Major itaque ursa resurgere dicitur primis vultibus, i. e. a fronte; cujus exortum nobis explicuit Poëta per ordinem, ut aiunt, ad leonis exortum. Scilicet elevato polo ad grad. 36. qui Manilianæ sphæræ situs hic ponitur, sane ipsa helice

Ad sua perpetuos revocat vestigia passus,
Nunquam tincta vadis, sed semper flexilis orbe:
Aut cynosura minor cum prima luce resurgit,
Et pariter vastusve leo, vel scorpios acer
Nocte sub extrema permittunt jura diei:
Non inimica feræ tali sub tempore natis
Ora ferent, placidasque regent commercia gentes.
Ille manu vastos poterit frænare leones,

per primam suam faciem, nunquam immersa aquis, sed perpetuo volubilis in circulum; et ubi cynosura minor rursus ascendit primo lumine, et simul immanis leo, sævusque scorpius tunc dant jura sua diei sub fine noctis, creatus sub tali tempore non habebit vultus infensos feris, et securus reget societates generis ferini. Is quippe poterit domare manu immanes leones, et blande tractare lupos, et ludere cum

tantem membra puellæ.'' *Bent.*—696 Scal. Delph. et vulg. *Ac.* 'Et sic cod. Paris. Regiom. ceterique omnes.' *Stoeb.* 'Vetusti quattuor *Aut.*' Bent.—697 Scal. Delph. et vulg. *tum.* 'Pro *tum* vetusti *vel.*' Bent. 'Paris. et Regiom. *vel.* Ald. Pruckn. Molin. *tum.*' Stoeb.—696–698 'Hi tres versus, nimirum hic cum duobus sequentibus, huc irrepserunt ex phænomenis quibusdam; quos huc pertinere non dicent, nisi qui rerum cælestium imperiti sunt. Nam Cynosura ne in Barbarico quidem finitore occidit. Deinde hic sermo est leonis et scorpii orientium matutino. Quid hoc *πρὸς τὰς συνανατολὰς τῶν ἀπλανῶν*? Denique nemo est, qui plane hos versus interpretari possit. Quod autem ex quibusdam phænomenis hæc sint, imo ex Arateis, argumento sit quod scorpius oritur ante solem, quum sol ingreditur sagittarium. Aratus vero id dicit: *Σῆμα δέ τοι κείνης ὥρης καὶ μηνὸς ἐκείνου Σκορπίος ἀντέλλων εἴη πυμάτης ἐπὶ νυκτός.* id est: 'Illius mensis tibi signum scorpios esto Nocte sub extrema permittens jura diei.' Sed quid dubitamus? Eos versus habebat in animo Phænomenon scriptor. Sequitur enim: *Τῆμος καὶ κεφαλὴ* Κυνοσουρίδος *ἀκρόθι νυκτὸς Ὑψιμάλα τροχάει.* Certe rem acu tetigimus. Nam ea ipsissima verba sunt.' *Scal.* Vid. not. inf.—699. 700 'Totum vero locum ita concipit Gemb. *Non inimica fere tali sub tempore natis Ora ferent. placidasque gerent commercia gentis.* Sed vitiosa sunt. significat mansuetarium fore. Glossæ: *ἡμεροποιὸς, mansuetarius.* Lege: *Non inimica feræ tali sub tempore natus Ora feret. placidas reget in commercia gentes.* Sic alibi loquitur: 'novaque in commercia ducet.'' *Scal.* 'Repone ex vetustis omnibus *t. s. t. natis O. ferent, placidasque regent c. g.* Omnino melius dictu et decentius, ut feræ non inimica hominibus ora ferant, quam ut homines ora feræ nescio cui; quasi homines morsu feras invadant. Sic supra 391. 'Non inimica facit serpentum membra creatis.' Val. Flacc. 'non fœdera legum Ulla colunt, placidas aut jura tenentia mentes.'' *Bent.* 'Cod. Paris. *feret* (:) Sic ceteri omnes. *placidusve teget comm. gentis* Molin. *placidus terget*] Regiom. *placidus peraget commercia gentis.* Dicuntur autem h. l. *gentes* omnia animantium ferarum, quas modo nominavit, genera. Alibi Nostro *populi*, Lucretio *secula*

NOTÆ

caput attollit, ascendente leone, ut per globum cœlestem poterit quisque experiri, atque pedibus quasi sursum nititur in præruptum cœlum.

Arctos] Major, scilicet helice. Nam de cynosura jam aget seqq. vss. De hac autem disputatum est I. 296.

Et palpare lupos, pantheris ludere captis,
Nec fugiet validas cognati sideris ursas.
Ille elephanta premet dorso, stimulisque monebit;
Inque artes hominum, perversaque munia ducet,
Turpiter in tanto scandentem pondere funes.
Ille tigrim rabie solvet, pacique domabit;

pantheris captis, neque timebit robustas ursas, quæ affines sunt hujus astri, et edocebit illas aliena sibi officia et disciplinas humanas. Is onerabit elephantum a tergo, et agitabit aculeis, turpiter obedientem omnibus in tanta mole. Is exarmabit tigrim furore, et superabit ad mansuetudinem; et conjunget amicitia sibi ceteras feras,

audiunt. Barth. ad Stat. Theb. v. 231.' *Stoeb.*—704 'Hic vs. in membranis locum cum priore mutaverat. Nos in suum ordinem reduximus, duce ipsa sententia. Non enim ursas, sed elephantas in artes humanas ducunt. Ceterum pro *movebit*, repone *monebit*. Ovid. Trist. iv. 6. 7. 'Quæque sui monitis obtemperat Inda magistri Bellua.'' *Bent.* 'In omnibus libris qui sanum Auctoris sensum referunt, sequenti postponitur. Pro *monebit*, iidem illi *movebit*.' Stoeb.—705 Scal. Delph. et vulg. *munera*. 'Lege *munia*; ut antea bis, ter.' *Bent.* 'Non video cur Barthio admodum displiceat *perversaque munia*, pro quo ille tentat *præceptaque*. Dicit enim Noster *perversa*, quod, uti rectissime Scal. 'ea munera hominum potius quam bestiarum propria.'' *Stoeb.*—706 Scal. Delph. et vulg. *cedentem pondere cunctis*. 'Quomodo *cedentem cunctis?* Quinam illi cuncti, homines an bestiæ? Vidit absurdum Huet. et substituit *punctis*. Atqui jam dixerat Auctor, *stimulis monebit*. Neque *turpiter* cedit stimulis, sed sapienter. Repone, *T. i. t. scandentem p. funes*. In membranis scriptum *funis* casu accusativo: inde natum *cunctis*. De elephantis funambulis plenæ Romanorum historiæ. Jam vero de spectaculis hic agi certum est ex iv. 236. 'Cumque elephante loqui, tantamque aptare docendo Artibus humanis varia ad spectacula molem.'' *Bent.* De perversa hac versuum et lectionis immutatione vide judicium d'Orvillii ad Charit. p. 638. cui plane merito subscribimus. Libri nostri, *cedentem pond. cunctis*, scil. monentibus. Magis vero placet *punctis*, minutis nimirum punctionibus.' *Stoeb.*—707 'Pro *solvet* cod. Paris. et Regiom. *solvit*; minus bene, propter hoc *domabit*, quod

NOTÆ

695 *Nunquam tincta vadis*] Habita scilicet ratione sphæræ obliquæ, qua polus septemtrionalis ascendit supra horizontem a grad. 36. aut circiter, ad usque 90. grad. Cum enim torqueatur circa polum, nec procul a polo distet, sequitur ut quo magis elevatur polus supra horizontem, eo magis a terris ipsa helice recedit.

696 *Aut cynosura, &c.*] Hos tres vss. huc male irreptos esse vult Scaliger. Verum, pace tanti viri dixerim, bene sequi constat. Cynosura enim, quæ minor est ursa, de qua 1. 306. recte oriri dicitur cum scorpione, habita pari sphæræ ratione, quæ supra posita est de ortu helices cum leone. Oritur autem cynosura pariter a fronte, pedibusque nitens quasi præruptum cœlum ascenderet.

705 *Perversaque munia* [*munera*] Quæ feris istis propria non sint, sed aliena prorsus et inusitata: i. e. humana officia, humanas artes, in quas aliquando ferociores feræ ducuntur.

Quæque alia infestant sylvis animalia terras,
Junget amicitia secum, catulosque sagaces.

* * * * * *

MULTA DESUNT.

Tertia pleiadas dotavit forma sorores,

quæ e sylvis erumpentes vastant campos ; junget etiam amicitia odoros canes. * * * *Tertia species stellarum, inspersa rubicundo pyropo secundum muliebrem vultum,*

statim sequitur. Ad sententiam vide adnot. ad IV. 235.' *Idem.*—710 Scal. Delph. et vulg. *Pleiades dotabit.* 'Repone ex libris vetustis, et sententia ipsa *Pleiadas dotavit.*' Bent. 'Hæc tametsi uno se protelo excipiunt in libris scriptis pariter ac vulgatis vetustioribus, nulloque prorsus hiatu distincta, videtur tamen nonnihil excidisse, quod a tertia forma, i. e. tertiæ magnitudinis stella, quarum una est pleiadibus, seu duplex in unam juncta, tractatio-

NOTÆ

709 *Catulosque sagaces*] Gallice, *chiens de chasse.*

710 *Tertia pleiadas,&c.*] Quædam hic desunt. Hactenus videtur Poëta siderum non errantium apotelesmata per ordinem ad ortus singulorum zodiaci signorum rite explicuisse. Consule tabulas, quas de his subjunximus p. 812. &c. Quanquam desideratur ortus anguis seu draconis, sub quo nati, inquit Firm. VIII. 18. 'marsi erunt, vel qui venenis ex herbarum pigmentis confectis salutaria soleant hominibus remedia comparare.' Jam vero videtur docere Poëta varias stellarum figuras, quas magnitudines vocant, quarum sextuplex genus distingui vulgo solet. Sunt enim stellæ primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, et sextæ magnitudinis. Has omnes magnitudinis species annotasse videtur Manilius. Verum nonnisi tertii, quarti, quinti, et sexti generis, seu gradus, aliquas hic habemus. Quod superest Manilii hoc fragmentum, incipit a stellis tertiæ magnitudinis, quibus micare ait pleiadem sidus, deltoton, aquilam, et draconem : quanquam non omnes horum siderum stellæ sunt tertiæ ac similis magnitudinis. Namque, ut bene notarunt astronomi, e septem pleiadibus una est tertiæ magnitudinis, quæ quidem non una stella est, sed duplex in unam juncta : ceteræ vero quintæ et sextæ sunt magnitudinis. In cynosura una est pariter tertiæ magnitudinis : in delphino sunt quinque magnitudinis tertiæ : quanquam Manilius ait tantum quatuor esse : in deltoto nulla est tertiæ magnitudinis, licet Manilius velit tres esse : in aquila autem unica est tertiæ magnitudinis, cum tamen Poëta videatur tres notasse : in dracone decem sunt tertiæ magnitudinis. Verum fragmentum est hoc, in quo de stellarum magnitudinibus vix aliquid agitur. Nos autem ex occasione subjunximus p. 810. tabellam, in qua constellationum omnium nomina, stellarumque, quas quæque habent, numerum ac magnitudines quasi uno intuitu observare facile est. Loquimur autem tantum de iis stellis, quæ constellationes componunt, non de aliis, quæ positæ sunt extra figuras, quæque ideo communi vocabulo dicuntur 'informes stellæ.' Primus itaque numerus indicat nomina siderum seu constellationum omnium ab uno ad alterum polum : secundus numerus numerum stellarum cujusque constel-

Cœruleum rubro vultum suffusa pyropo,
Invenitque parem sub te, cynosura, colorem,
Et quos delphinus jaculatur quatuor ignes,
Deltotonque tribus facibus, similique nitentem
Luce aquilam, et flexos per lubrica terga dracones.

ornabit suo munere pleiades sorores, et reperit similem lucem in te, o cynosura: dotabit etiam quatuor flammas, quas delphinus vibrat; dotabit pari lumine et deltoton in tribus suis lampadibus, et aquilam lucentem, et membra draconis inflexa

nem novam exorditur. Pro *dotavit* in libris nostris est *dotabit*.' Stoeb.—711 Scal. Delph. et vulg. *Femineum*. 'Et sic libri omnes.' *Stoeb.* 'Hic agit de stellis tertiæ magnitudinis: quam assignat pleiadibus, cynosuræ, delphino, deltoto, aquilæ, et draconibus. Quorsum igitur *Femineum vultum?* An omnia hæc signa feminea sunt? Repone, *Cæruleum*. Cæruleus color nigro propior, pyropus flammeo. Ergo stellæ tertiæ magnitudinis mediam inter maximas et minimas lucem fundentes, sunt utriusque coloris participes. Sic I. 416. de canicula: 'vix sole minor, nisi quod procul ardens Frigida cæruleo contorquet lumina vultu.'' *Bent.*—715 Scal. Delph. et vulg. *et flexos artus per lubrica terga*. 'Id est, serpens, meo judicio. Tamen Gemblacensis, *et lubrica flexos in terga leones*. Fortasse legendum, *et flexus in lubrica terga leonis*. Septem sunt stellæ ἀμόρφωτοι ad tergum leonis, quas Hyginus πλόκαμον Βερενίκης dicit esse, aliter dicitur συστροφὴ πλοκάμου, ut eo nomine flexum vocarit Manilius; nisi quis malit legere *plexus*, ad verbum πλοκάμους. Theon dicit ἠλακάτην hoc sidus vocari, de quo putat innuisse Aratum: ἀλλ' ἄρα πάντες Ἀπλόοι ἄλλοθεν ἄλλος ἀνωνυμίη φορέονται. Sed nulla stella ex illis septem est tertiæ magnitudinis, ut vult Manilius. An legendum: *et colubri flexus in terga leonis?* Nam fortasse ille πλόκαμος, vocatus fuit coluber.' *Scal.* 'Hoc recentiorum codicum commentum est, et sensu caret: Gemb. vetus, *et lubrica flexos in terga leones*. Lips. *et flexos in lubrica terga leones*. Repone cum Vossiano, *Luce aquilam, et flexos per lubrica terga dracones*. Utrumque anguem intelligit, tam illum inter duas ursas, quam alterum ophiuchi; quem et supra versu 389. draconem vocat: 'Anguitenens magno circumdatus orbe draconis.' Et res de utroque vera est: nam ille draco VIII. stellas habet magnitudinis tertiæ, hic V. Ptolemæo definiente.' *Bent.* 'Regiom. *et flexos*

NOTÆ

lationis: tertius numerum stellarum primæ magnitudinis: quartus numerum stellarum secundæ magnitudinis: quintus tertiæ, &c.

Pleiadas, &c.] Sunt septem stellæ in armo tauri, I. 378.

711 *Vultum suffusa*] Synecdoche, qua verbum aut participium aliquod regit accusativum, subaudita aliqua præpositione, v. g. circa, ob, per, secundum, propter, ad, &c. Sic Virgil. Æn. I. 320. 'Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.'

Pyropo] Græca vox: πῦρ, *ignis*, et ὤψ, *aspectus*. Pyropus lapis est lucem ignis emittens, quem vulgo vocant carbunculum, Gallice *escarboucle*.

712 *Cynosura*] Ursa minor, I. 306.

713 *Delphinus*] I. 353.

Ignes] Stellas, I. 473.

714 *Deltoton*] Triangulum, I. 360.

715 *Aquilam*] I. 355.

Flexos per lubrica terga dracones [*flexos artus per l. t.*] I. e. volumina magni draconis, qui interfusus labitur inter utrumque ursam, I. 311.

Tum quartum quintumque genus discernitur omni
E numero, summamque gradus disjungit utramque.
Maxima pars numero censu concluditur imo,
Quæ neque per cunctas noctes, neque tempore in omni

circa labilia dorsa. Postea omnis quarta et quinta species magnitudinis stellarum internoscitur e summa et numero generis, quod datur serpenti. Maxima pars stellarum per minimos gradus magnitudinis continetur uno numero, quæ stellæ mi-

pisces per lubrica terga. Molin. *et flex. artus per lubr. terg.* 716. *Omni*] in nostris est *omne.*' Stoeb.—717 Scal. Delph. et vulg. *summaque gradus qui jungitur angue.* 'Suspicor legendum, *Tum summa, gradu quæ jungitur, ignes Maxima per minimos censu concluditur imo.* Id est, Tum summa stellarum, quæ quinto generi gradu proxima est, quæque numero maxima est per minimas stellas quas continet, ea postremo censu continetur. Emendationem nostram, ista confirmant, quæ habentur infra. 'Sunt proxima primis Sidera, suntque gradus, atque omnia juncta priori.'' *Huet.* 'Hæc portentose corrupta sunt; ita tamen constanter codices tam veteres quam novi. Quid est, *summaque gradus qui jungitur angue?* Quævis totidem verba, casu hinc inde petita, tam bonam sententiam, quam hæc, efficient. Frustra tentavit emendationem doctissimus Huetius. Repono, *summamque gradus disjungit utramque.* Summa stellarum IV. et V. magnitudinis gradu a se invicem disjungitur. Has autem duas magnitudines nullis constellationibus assignat, quia in omnibus sunt; contentus ipsos gradus indicavisse.' *Bent.* 'Cod. Paris. *summamq. grad. qui jung. angue.* Molin. *summaq. gr. q. jung. angui.* Regiom. hanc non variat, nisi in fine *ante;* quod nolim. Internoscitur, inquit Noster, e summa et numero generis, quod datur serpenti.' *Stoeb.*—718 Vulg. *M. per minimos c. c. uno.* 'Scribe ex Gemblacensi, *Maxima per minimos censu concluditur imo.* Ita fere olim divinabamus. Sextam magnitudinem vocat maximam turbam: quum tamen quinquaginta tres tantum designatæ sint ab artificibus.' *Scal.* 'Quo referes illud, *per minimos?* Quid facit sine suo substantivo *maxima?* Repone, *M. pars numero c. c. imo.* Pars ea stellarum, quæ numero maxima est, ut infinitæ illæ in via lactea, concluditur imo censu VI. magnitudinis: infra quam astronomi non descendunt.' *Bent.* 'Libris nostris sic legitur: *Maxima per minimos censu concluditur uno. Maxima*, supple forma seu magnitudo, vs. 710. *per minimos* scil. gradus, i. e. formas ac magnitudines minimas, quod sextæ magnitudinis genus est. *censu uno*, nimirum sexto. Gemblac. *imo*,

NOTÆ

716 *Quartum quintumque genus*] Sup. magnitudinis seu formæ stellarum.

717 *Gradus*] Formæ seu magnitudinis.

718 *Maxima*] Sup. forma, vs. 710. i. e. magnitudo. *Maxima pars numero [per minimos], &c.* I. e. major ac numerosior stellarum forma. Plures autem sunt sextæ seu ultimæ formæ ac magnitudinis stellæ, quam aliarum formarum.

Pars numero [per minimos] Sup. gradus, vs. 717. i. e. formas ac magnitudines minimas, quod sextæ magnitudinis genus est.

Censu] Summa, sorte, nomine, titulo, ut ita dicam.

Imo [uno] Nimirum in sexto gradu ac censu, quod ultimum est magnitudinis stellarum genus.

719 *Quæ neque per cunctas, &c.*] Scilicet stellæ sextæ magnitudinis vix oculis cerni possunt dum luna

Resplendet, vasto cœli summota profundo :
Sed cum clara suos avertit Delia currus,
Cumque vagæ stellæ terris sua lumina condunt,
Mersit et ardentes orion aureus ignes,
Signaque transgressus mutat per tempora Phœbus,
Effulget tenebris, et nocte accenditur atra.
Tunc conferta licet cœli fulgentia templa

nimæ remotæ quasi in altissimo fundo cœli, non lucent neque per omnes noctes, neque in omni tempore: sed ubi lucida Delia avocavit suos motus, et ubi longe illa erravit, et abscondit lucem suam sub terris; et ubi pariter auratus orion immergit suas fulgentes flammas; et ubi sol prætergressus signa per sua tempora diurna lucet sub tenebris terrarum, et incenditur sub nigra nocte; tunc fas est videre

quod valet ultimo.' *Stoeb.*—720 Scal. Delph. et vulg. *Resplendent alto.* 'Repone, *Resplendet vasto c. s. p.* Numero singulari, ut probat ipsa redditio versu 725. 'Effulget tenebris, et nocte accenditur atra.' Atque hinc firmatur prior emendatio *maxima pars.* Quippe si hic *resplendent* legas, *maxima* id erit quod maxima sidera, plane contra loci sententiam.' *Bent.*—721 Scal. Delph. et vulg. *cursus;* et sic Paris. et Regiom. 'Immo *currus,* ut sæpe ante. Sic I. 667. 'Subsequiturque suo solem vaga Delia curru.'' *Bent.*—722 Scal. Delph. et vulg. *Cumque vaga est illa et t. s. l. condit.* 'Quid hoc, Cum luna vaga est? Atqui semper *vaga* est; perpetuum est hoc lunæ epitheton. Horatius, Serm. I. 8. 21. 'simul ac vaga luna decorum Protulit os.' Et præterea, nihil in hoc versiculo erit, quod non dictum sit in præcedente, nempe cum luna sub horizonte est. Vetusti quatuor *condunt;* et Voss. *illa e terris.* Repone, *Cumque vagæ stellæ terris sua lumina condunt.* Hoc dicit: stellæ minimæ magnitudinis non per omnes noctes visuntur: sed cum luna, et planetæ, et orion sub horizonte sunt; et hieme cum sol in brumalibus signis versatur, tum effulgent noctibus tenebrosis, et fiunt conspicuæ, nec aliorum siderum splendore obruuntur.' *Bent.* 'Lege ex cod. Paris. et Regiom. *Cumque vaga est illa, et terris sua lumina condit. Vaga* dicitur luna, cum longius discedit, scil. sub horizontem. Confer notata ad lib. I. 87. *condit* est abscondit.' *Stoeb.*—726 Cod. Paris. *conserta.*—727. 728 Scal. Delph.

NOTÆ

lucet; aut orion, quod omnium sidus est maximum ac lucidissimum. Nempe ut recte ait I. 476. 'Præcipue medio cum luna implebitur orbe, Certa nitent mundo: cum luna conditur omne Stellarum vulgus: fugiunt sine nomine turba.' Id autem satis experientia docet. Sic Aratus scripsit.

721 *Delia*] Luna, I. 231.

722 *Cumque vagæ stellæ* [*vaga est illa*] I. e. errat sub terras, nec supra horizontem lucet.

723 *Orion*] Maximum cœli sidus, I. 399. Sic supra de orione, vs. 59. 'Quo fulgente super terras cœlumque trahente Ementita diem nigras nox contrahit alas.'

724 *Signa transgressus*] Quæ scilicet lustrat ac percurrit sol quasi ex opposito seu e regione lunæ. Neque enim luna medio seu pleno impletur orbe, quam cum soli opposita lucet.

Phœbus] Sol, I. 19.

726 *Cœli templa*] Fornices cœli seu concava cœli facies quæ oculis cernitur, I. 455. II. 354. &c.

Cernere luminibus densis, totumque micare
Stipatum stellis mundum; nec cedere summa
Floribus, aut siccæ curvum per littus arenæ:
Sed quot eant semper nascentes æquore fluctus,
Quot delapsa cadant foliorum millia sylvis,
Amplius hoc ignes numero volitare per orbem.

splendentes cœli fornices sparsos frequentibus stellarum seminibus, et videre splendere totis floribus, veluti siccæ arenæ in curvo littore micant: neque dari locum stellulis, neque numerum stellarum in cœlo; sed quot fluctus exorti perpetuo in mari currunt, quot millia foliorum delabuntur in sylvis, licet cernere flammas stellarum plures hoc numero. Et sicut in magna civitate populus

---

et vulg. *Cernere seminibus densis totisque micare Floribus, ut siccæ curvum per littus arenæ: Nec spatium stellis mundo n. c. summam.* 'Rectius cod. Voss. *luminibus.* 'Cælum micare floribus,' id est stellis, 'elegantissime,' inquit Scaliger; ut Lucretius, 'Bina lucernarum florentia lumina flammis.' Atqui aliud longe est, 'lucernas florere flammis;' aut ut Ovid. Fast. v. 363. 'collucere floribus agros,' et Stat. Theb. II. 275. 'arcano florentes igne smaragdos:' aliud 'cælum lucere floribus.' Illa belle, hoc nequaquam. Sed ut hoc condonemus, an *totis* quoque *floribus* elegantissimum est? In manuscriptis omnibus hi versus alio veniunt ordine; *totisque micare, Nec spatium stellis, mundo nec cedere summam, Floribus, ut siccæ curvum per litus arenæ.* Scaliger pro imperio loca permutare jussit. Sed utrumvis ordinem admiseris, nullus sensus exorietur. Quid enim est *spatium cedere stellis?* quid *summam mundo cedere?* Veteres quattuor, *totumque micare*, non *totis:* tum versum sic inchoant, *Spatium stellis*, sine illo *nec:* deinde pro *mundo summam* habent *mundum summa;* et postremo *aut siccæ*, non *ut.* Unde facilis et certa nascitur emendatio, *totumque m. Stipatum s. mundum; n. c. summa F., aut s. c. p. l. a.*' Bent. *Cernere* (:) sic interpungit Regiom. Idem cum cod. Paris. *seminibus* pro *lumin.* Item *desit* pro *densis* cod. Paris. qui etiam vs. 728. sequenti postponit. *Stipatum stellis mundum*] sic veteres: *Nec spatium stellis mundo, nec cedere summa* (al. *summam*) *Floribus, &c.* scil. campi, non stellulis, ceu metaphorice dictum 'putat cl. Fayus.' *Stoeb.*—729 Vulg. *current per litus.* 'Recte Gemb. *curvum p. l.*' Scal. 'Recte, non *cumulum*, quod dedit, nescio cur, Regiom. *curvum* fere perpetuum littoris epitheton. Lucanus: 'Et ripas Atyri, quas littore curvo,' &c. Vide Serv. ad Virgil. et Gevart. ad Statium pag. 84. Alterum epitheton est hoc *pronum*, quod Nostro non minus familiare. Cod. Paris. *aut siccæ currunt per litus arenæ.*—

NOTÆ

727 *Luminibus* [*seminibus*] *densis*] Stellulis, quæ quasi stellarum sint semina, aut flores micantes nivea luce; quas non oculis sed ope telescopii percipere est; et quæ multæ seminantur per viam cœli, quam lacteam vocant.

728 *Mundum*] Cœlum, I. 9.

729 *Floribus*] Metaphora; i. e. florum instar crebro spissorum micare. Albescit quippe ea pars cœli præ luce stellularum istarum, quæ quasi flores per cœlum confertim sparguntur: aut sicut arenæ lucidæ in littore, quæ micant in confertos lucis radios.

732 *Ignes*] Stellas, I. 473.

Orbem] Sup. cœlorum, i. e. cœlum, III. 49. 378. &c.

Utque per ingentes populus describitur urbes,
Præcipuumque patres retinent, et proximum equester
Ordo locum; populumque equiti, populoque subire
Vulgus iners videas, et jam sine nomine turbam:
Sic etiam in magno quædam respublica mundo est;
Quam natura facit, quæ cœlo condidit urbem.

distribuitur, et senatores tenent primum ordinem, et equester ordo secundum; et sicut etiam cernere est populum sequi post equitem, et post populum vulgus vile, quæ multitudo est sine titulo et honore; ita quoque ille auctor naturæ qui fecit orbem cœli, facit quasdam stellas similes esse ingenti populo. Sunt enim stellæ

---

731. *Delapsa*] Idem cod. *decussa.*' Stoeb.—733 Scal. Delph. et vulg. *ingentem ...urbem.* 'Vetusti omnes, *ingentes orbes.* Lege *ingentes urbes.* Hoc maluit Auctor: ne, si unam urbem Romam denotaret, in eo offenderet, quod non supra patres principem nominasset.' *Bent.* 'Rectius omnino libri nostri, *per ingentem urbem*, quod non nisi de Roma valet, ceu patet ex recensione ordinum, quam statim subjungit.' *Stoeb.*—734 'Cod. Lips. *Principiumque*, i. e. principatum, quod fusius declaravit et probatissimorum auctorum exemplis firmavit harum rerum solertissimus indagator, Vierschrotus, in Noctib. Gothanis, hactenus ineditis, I. 3. Ordinum Romani status trigam totidem verbis complectitur Sidon. Apollin. in Paneg. Majorau. vs. 287. 'Ordo omnis regnum dederat, plebs, curia, miles Et collega simul.' Confer huc viros doctos a Barthio allegatos ad Statium IV. Silvar. I. 25. *retinent* idem ac tenent. 735. Pro *equiti* cod. Paris. *equitum* scil. ordinem.' *Stoeb.*—736 Scal. Delph. et vulg. *videas etiam.* 'Distingue *V. i. v., et jam s. n. t.* Quinque gradus in civitate facit, senatum, equites, populum, vulgus, et sine nomine turbam.' *Bent.*—737.738 Scal. Delph. et vulg. *respondere mundo Hæc n. f. q. cœli c. orbem.*

NOTÆ

733 *Utque per ingentes, &c.*] Præclara comparatio, qua diversos stellarum gradus, diversasque formas magnitudinis asserit.

734 *Patres*] Sup. conscripti, i. e. senatores. Tres autem in ordines populus Romanus descriptus fuit, in senatores, equites, et populum. Romulus principio populum diviserat tantum in patricios et in plebem. Dion lib. II. Ex patriciis elegit centum seniores, qui rerum urbanarum curas agerent, quosque ab ætate, qua provecti erant, *senatores*; et a patrocinio, quo populum tuebantur, *patres* vocavit. Liv. I. et Fest.

Equester Ordo] Qui secundus in urbe fuit. Hos primum e populo ac plebe trecentos numero lectos creavit Romulus, quos non equites, aut equestris ordinis viros, sed *celeres* appellavit. Tarquinius vero numerum illorum auxit ad 600. Alii postea plures creaverunt. Legebantur autem tantum in equestrem ordinem inposterum, quibus census esset sestertium quadringentorum millium. Sueton. in J. Cæsare. Rosin. I. 17.

736 *Vulgus iners*] Plebs illa vilis, quæ rerum administrationem nullam habet aut curam in republica. Unde populum inter et vulgus iners distinguit Poëta.

737 *Magno .. mundo*] Ingenti populorum numero, cui stellas cœli correspondere ait.

Respublica [*Respondere*] Tertiæ conjugationis. Sic Martial. III. 4. 'Si

Sunt stellæ procerum similes, sunt proxima primis
Sidera, suntque gradus, atque omnia jura priorum.
Maximus est populus, minimo qui lumine fertur,

quædam similes patribus; sunt stellæ quæ sequuntur primum gradum. Scilicet numerosa est multitudo stellarum, quæ volitat per altum cæli cacumen, cui multitu-

‘*Respondere* conjugationis tertiæ omnem barbariem exsuperat. Nec scias numero an sententiæ sit pejor. Gemb. *res pendere:* ceteri *respondere*. Vossianus *mundo est;* omnes *Quam natura*, et *quæ cælo*. Repone, *Sic etiam in magno quædam respublica mundo est, Quam natura facit, quæ cælo condidit urbem. Respublica* compendiose scriptum erat, *Resp.* Inde librariorum hariolationes *pendere, pondere*.’ Bent. ‘Versum 737. sq. mire deformavit Bentleius, ut Nostrum vitiati, si videtur, sermonis culpa liberaret. Enimvero hanc optimi Poëtæ manum referunt codex Paris. editique vetusti: *Sic etiam magno quædam respondere mundo Hæc natura facit, quæ cælo condidit orbem. Respondere* hem! tertiæ conjugationis. ‘Hoc’ subtilis ille criticus ‘omnem barbariem exsuperare’ clamat. Et sane frustra est Scaliger, qui istud probare conatur exemplis e Martiali et Valer. Flacco conquisitis. Igitur aliam, ut laboranti loco succurreret, viam ingressus est cl. Vierschrotus, qui vocem divisit, legens *res pondere*. Cui favere videtur cod. Gemblac. si quidem vera est lectio, quam, tacente nimirum Scaligero, solus indicat Bentleius, *res pendere*. Sed hæc parum aut nihil ad sensum. Multo nobis videtur facilius ferenda Poëtæ castissimi scriptura, quam vel licentiosa criticorum temeritas, vel correctorum audacia. Quid? quod illi Linguæ Latinæ conditores ante sua scripta vulgarunt, quam concinnatæ fuerunt illæ Grammaticorum regulæ, ad quarum normam exigenda non esse poëtarum carmina, dudum est quod docuit, exemplisque divini Maronis ad oculum probavit Brodæus Miscell. IV. 27. Quod de nostro quoque loco, rectissime omnino, statuit Barthius Advers. p. 1102. Confer, si placet, notata ad Manil. v. 524. et 542. Nobis magis placet *resplendere*, quod vel e vetusto cod. vel e conjectura dedit Reinesius. Et illud correptam admittit penultimam. Cujus quidem rei caussam dum mecum studiosius inquiro, subvenit forte fortuna commodissima, Nostroque dignissima, observatio Senecæ, qui Nat. Quæst. lib. II. cap. 56. ‘Etiamnum,’ ait, ‘illo verbo (fulgere) utebantur antiqui, correpto, quo nos producta una syllaba utimur. Dicimus enim ut splendere, sic fulgere. At illis ad significandum hanc e nubibus subitæ lucis eruptionem (de fulgure loquitur) mos erat media syllaba correpta, ut dicerent fulgere.’ Quid ergo vetat, quominus credamus et pro certo affirmemus, Nostrum ad instar antiquorum non magis ingenio poëtico quam mente philosophica, eaque vel homine Christiano dignissima, scripsisse *resplĕndere*, ad significandum actus celeritatem, qua quidem natura, quæ Nostro Deus, hos stellarum ordines in cælo resplendere fecit?’ *Stoeb.*—740 Scal. Delph. et vulg. *juncta priori*. ‘Quid sibi velint *omnia juncta priori*, frustra opinor quæsiveris. Pro *juncta* vetusti omnes *victa:* pro *priori* Gemblacensis *priorem;* Lipsiensis *priore;* Vossianus *priorum;* ut et pro varia lectione Lipsiensis. Repone, *jura priorum*. Livius II. 1. ‘omnia jura, omnia insignia primi consules tenuere.’’ *Bent.*—741 Scal. Delph. et vulg. *summo qui culmine*. ‘Libri quidem universi, *summo*

NOTÆ

quando veniet? Dicet: responde, poëta Exierat; veniet, cum citharœdus erit.’

738 *Natura*] Deus.

739 *Procerum*] I. e. primi ordinis virorum in republ.

741 *Maximus est populus*] Vulgus stellarum, quæ sextæ sunt magnitu-

Cui si pro numero vires natura dedisset,
Ipse suas æther flammas sufferre nequiret,
Totus et accenso mundus flagraret olympo.

dini si auctor naturæ tribuisset vires pro numero, ipsum cælum non posset ferre suos ignes, et universus mundus arderet cælo inflammato.

culmine ; mendosa tamen lectio est, et ipsi cælo repugnat. *Maximus populus* sunt stellæ sextæ magnitudinis sive minimæ, non in *summo* modo *culmine*, sed per omne cælum dispersæ ; quibus si pro numero vires adessent, totus mundus conflagraret. Repone igitur, jubente ipsa sententia, *Maximus est populus, minimo qui lumine fertur.*' Bent.—742 Vulg. *Cujus pro numero.* '*Cui si pro numero* Gemb. et nos olim.' *Scal.*

NOTÆ

dinis ; vel potius, quæ nullius gradus formam habent, sed sunt sine nomine turba.

743 *Ipse suas æther, &c.*] Sic I. 473. 'Non poterit mundus sufferre incendia tanta, Omnia si plenis ardebunt sidera membris.'

Sequitur tabula, in qua, ut monui vers. 710. not. continetur numerus constellationum, ac ordo magnitudinis cujusque stellarum per singulas constellationes.

TABULA CONSTELLATIONUM.

Constell. num.		Stell. numer.	1. magnitud.	2. magnit.	3. magnit.	4. magnit.	5. magnit.	6. magnit.
1.	Ursa minor.	10.	0.	2.	1.	3.	1.	3.
2.	Ursa major.	35.	0.	7.	3.	12.	8.	5.
3.	Draco.	35.	0.	1.	10.	14.	8.	2.
4.	Cepheus.	21.	0.	0.	3.	7.	7.	4.
5.	Cassiopea.	28.	0.	0.	5.	6.	3.	15.
6.	Perseus.	42.	0.	2.	4.	12.	12.	12.
7.	Auriga.	40.	1.	2.	0.	7.	3.	27.
8.	Bootes.	32.	1.	0.	6.	13.	4.	8.
9.	Hercules.	62.	0.	0.	9.	21.	11.	21.
10.	Cygnus.	40.	0.	1.	5.	16.	7.	11.
11.	Andromeda.	27.	0.	3.	1.	11.	10.	2.
12.	Triangulum.	6.	0.	0.	0.	3.	1.	2.
13.	Coma Berenices.	13.	0.	0.	1.	11.	1.	0.
14.	Corona Borealis.	21.	0.	1.	0.	5.	8.	7.
15.	Lyra.	15.	1.	0.	2.	1.	7.	4.
16.	Pegasus.	23.	0.	4.	3.	6.	3.	7.
17.	Equuleus.	4.	0.	0.	0.	4.	0.	0.
18.	Orion.	56.	2.	4.	4.	16.	11.	19.
19.	Canis minor.	10.	1.	0.	1.	0.	3.	5.
20.	Serpentarius.	30.	0.	1.	7.	9.	10.	3.
21.	Serpens.	35.	0.	1.	7.	7.	2.	18.
22.	Aquila.	27.	0.	1.	6.	1.	5.	14.
23.	Antinous.	15.	0.	0.	6.	2.	1.	6.
24.	Sagitta.	8.	0.	0.	0.	3.	1.	4.
25.	Delphinus.	10.	0.	0.	5.	0.	1.	4.
26.	Aries.	19.	0.	0.	3.	1.	2.	13.
27.	Taurus.	48.	1.	1.	5.	8.	20.	13.
28.	Gemini.	34.	0.	3.	4.	7.	9.	11.
29.	Cancer.	32.	0.	0.	2.	4.	6.	20.
30.	Leo.	43.	2.	2.	5.	13.	7.	14.
31.	Virgo.	45.	1.	0.	5.	6.	11.	22.
32.	Libra.	14.	0.	2.	1.	8.	2.	1.
33.	Scorpius.	35.	1.	1.	9.	10.	11.	3.
34.	Sagittarius.	30.	0.	2.	7.	8.	8.	5.

Constell. num.		Stell. numer.	1. magnitud.	2. magnit.	3. magnit.	4. magnit.	5. magnit.	6. magnit.
35.	Capricornus.	28.	0.	0.	4.	1.	7.	16.
36.	Aquarius.	42.	0.	0.	4.	7.	23.	8.
37.	Pisces.	36.	0.	0.	1.	6.	19.	10.
38.	Cetus.	29.	0.	2.	7.	14.	5.	1.
39.	Eridanus.	44.	1.	0.	6.	29.	5.	3.
40.	Lepus.	13.	0.	0.	4.	4.	4.	1.
41.	Canis major.	19.	1.	1.	5.	4.	8.	0.
42.	Hydra.	29.	1.	0.	2.	13.	9.	4.
43.	Crater.	11.	0.	0.	0.	8.	1.	2.
44.	Corvus.	8.	0.	0.	4.	1.	2.	1.
45.	Piscis notius.	12.	1.	0.	0.	9.	2.	0.
46.	Phœnix.	14.	0.	1.	3.	8.	2.	0.
47.	Columba.	12.	0.	2.	0.	9.	0.	1.
48.	Argo navis.	51.	1.	7.	10.	23.	7.	3.
49.	Centaurus.	41.	2.	5.	7.	16.	9.	2.
50.	Lupus.	20.	0.	0.	2.	11.	7.	0.
51.	Corona meridion.	13.	0.	0.	0.	4.	7.	2.
52.	Grus.	15.	0.	3.	0.	4.	2.	6.
53.	Hydrus.	15.	0.	1.	0.	4.	10.	0.
54.	Dorado.	6.	0.	0.	0.	3.	3.	0.
55.	Piscis volans.	4.	0.	0.	0.	0.	1.	3.
56.	Apis.	4.	0.	0.	0.	4.	0.	9.
57.	Triangulum australe.	4.	0.	3.	0.	0.	1.	0.
58.	Ara.	6.	0.	0.	0.	5.	1.	0.
59.	Pavo.	16.	0.	1.	2.	1.	6.	6.
60.	Indus.	15.	0.	0.	0.	6.	3.	6.
61.	Toucan.	8.	0.	4.	0.	3.	1.	0.
62.	Chameleon.	9.	0.	0.	0.	0.	9.	0.
63.	Apus.	12.	0.	0.	0.	1.	11.	0.

Sunt igitur, ut facile colligere est, constellationes omnino 63. stellas vero in illis omnibus 1481. Loquor autem de iis stellis, quæ oculis cerni possunt: ope enim telescopii multo plures deprehenduntur.

Sequitur tabula, in qua, ut monui vers. 710. not. continetur ortus et occasus quorundam siderum ad ortum et occasum signorum zodiaci.

INERRANTIUM SIDERUM COORTUS ET OCCASUS,

CUM ORTU ET OCCASU SIGNORUM ZODIACI.

EX MANILIO, ARATO, ET HYGINO.

ORTO ARIETE.

MANILIO	ARATO		HYGINO	
ORITUR	ORITUR	OCCIDIT	ORITUR	OCCIDIT
Orion 4. grad. Argo 4. Heniochus 15. Hædi 20. Hyades 27. Capella 30.	Andromedæ reliquum. Persei caput.	Ara.	Andromedæ reliquum. Persei caput. Deltoton.	Ara.

ORTO TAURO.

MANILIO	ARATO		HYGINO	
Pleiades 9.	Persei reliquum. Heniochi pars. Hædi. Capella. Ceti cauda et dorsum.	Bootes. Arcturus.	Persei reliquum. Hyades. Pleiades. Hædi. Capella. Cetus.	Bootes. Hyades. Pleiades.

ORTIS GEMINIS.

MANILIO	ARATO		HYGINO	
Lepus 7.	Heniochi reliquum. Cetus totus. Eridani pars.	Ophiuchi pars Bootes 2.	Heniochus. Cetus 2. Eridanus.	Bootes 2. Ophiuchus. Hædi. Capella. Canicula.

ORTO CANCRO.

MANILIO	ARATO		HYGINO	
Aselli. Procyon 20.	Orion. Eridani reliquum.	Corona. Notii piscis pars. Ophiuchi reliquum. Serpens. Bootes 3.	Heniochus 2. Eridanus 2. Orion. Canis. Hydra. Aselli.	Corona. Ophiuchus 2. Cetus. Notius piscis. Aselli. Bootes 3.

ORTO LEONE.

MANILIO	ARATO		HYGINO	
ORITUR	ORITUR	OCCIDIT	ORITUR	OCCIDIT
Canis 1. Canicula 1. Crater 30.	Hydræ caput. Lepus. Procyon. Canis pedes priores.	Aquila. Engonasi.	Heniochus. Lepus. Procyon. Hydra 2. Canicula.	Corona 2. Ophiuchus 3. Aquila. Cetus 2.

ORTA VIRGINE.

Spica 10. Coron. Ariadneæ 15.	Hydræ pars media. Canis reliquum. Argus prora.	Lyra. Delphin. Sagitta. Cycni pars. Equi caput.	Argo. Hydra 2. Spica. Crater.	Lyra. Cycnus. Sagitta. Delphin. Pegasus. Spica.

ORTA LIBRA.

Sagitta 8. Hædus. Lyra.	Bootes. Argo. Hydræ reliquum. Engonasi. Ophiuchus. Coronæ pars. Centauri cauda.	Equi reliquum. Cycni reliquum. Andromedæ caput. Cepheus. Cetus.	Bootes. Engonasi. Argo 2. Arcturus. Corvus.	Cycnus 2. Andromedæ pars. Deltoton.

ORTO SCORPIONE.

Ara 8. Centaurus.	Coronæ reliquum. Hydræ extremum. Engon. infer. pars. Serpentarii caput. Centauri caput, et bestia seu Lupus.	Eridani curvamen. Ceti reliquum. Andromedæ reliq. Orion. Cepheus. Cassiope.	Corona. Engonasi 2. Ophiuchus. Sagitta. Centauri pars.	Cepheus. Cassiope. Andromedæ reliq. Eridani pars. Orion.

ORTO SAGITTARIO.

Arcturus 5. Cycnus 30.	Centauri pedes priores. Serpentarii corpus. Engonasi caput.	Cepheus. Lyra. Canis. Orionis reliquum. Lepus. Aurigæ pars infer. Persei caput. Argus rostrum.	Engonasi 3. Lyra. Cepheus. Cassiope. Ophiuchus. Delphin. Centauri reliq.	Perseus. Aurigæ pars. Eridani reliquum. Lepus. Orion 2. Canis. Argo.

ORTO CAPRICORNO.

MANILIO	ARATO		HYGINO	
ORITUR	ORITUR	OCCIDIT	ORITUR	OCCIDIT
Serpentarius. Serpens.	Cycnus. Aquila. Sagitta. Procyon.	Persei reliquum. Argus reliq. Procyon.	Ara. Cycnus. Aquila.	Persei reliquum. Aurigæ caput. Procyon. Argus reliquum.

ORTO AQUARIO.

Cepheus. Aquila 12. Cassiope.	Equus.	Centauri cauda. Hydræ frons et collum.	Pegasus.	Centauri pars Hydræ pars.

ORTIS PISCIBUS.

Andromeda 12. Pegasus 21. Engonasi. Cetus.	Piscis notius. Andromedæ medium.	Centauri reliquum. Hydræ reliquum.	Andromedæ pars. Pegasi reliquum. Piscis notius.	Centauri reliquum. Hydræ reliquum.

Quæ duo promisit non semel Manilius, ut monui vs. 27. ea vel non scripsit, vel si scripserit, ad nos non pervenerunt, alterum de occasu siderum, alterum de planetarum viribus. Non abs rè esse duxi subnexuisse præcedentem tabulam, in qua ortus siderum ex Manilio, ortus vero simul et occasus ex Arato et Hygino disponuntur.

JULII PONTEDERÆ

IN GYMNASIO PATAVINO REI BOTANICÆ PROFESSORIS

EPISTOLA

DE MANILII ASTRONOMIA,

EJUSQUE ANNO CŒLESTI.

JULIUS PONTEDERA

ANDREÆ MARANO

AMICO SUO S. D.

MAGNA in expectatione cum essem, quanam ratione acciperes, quæ de solari anno Chaldaico ad te proxime miseram, ecce tabellarii mihi jam ex horto egredienti obviam facti tuas literas, quas avide expectabam, tradiderunt. Quibus in ipso horti vestibulo perlustratis, non mediocriter sum perturbatus illa clausula: te de commentariis meis nuperrime redditis tunc responsurum, cum de Manilio quæ subduxeram, accepisses. Quid enim de Manilio tibi debeo; aut quid significem, cujus ratio a paucis percipitur, negligitur ab omnibus? Sane non inficior ad hunc scriptorem sæpe eo consilio manum admovisse, ut quid ad Latinam cœlestem scientiam illustrandam decerperem. Sed inutili cura: omnia ferme dissimillima deprendi. Quis enim, ut summatim attingam, stellarum ortus et occasus ita digessit, ut Manilius? Quis ex illis qui ex astrorum motibus tempora descripserunt, tanto intervallo a communi sede deduxit, ut dimidiatis signis piscium, geminorum, virginis, sagittarii eadem assignaret, hoc uno excepto scriptore? Hæc cum mihi ante oculos versarentur, studium, et operam in id quod ab omni stellarum disciplina abhorrebat, conferre posthabui, præsertim quod conquirere ac scire nihil attineret. Quid ergo? De ipsane arte ad te scribam, qua nihil magis inane, aut inconditum,

aut claudicans fingi potest? Non puto hoc a te mihi imponi; id enim semper curavi ut in postremis haberem. De anni natura partibusque quid abs te expeti interpretor, quod superioribus ad te scriptis hæc finitima sunt. Id nunc agere instituam, non tamen ad extrema, verum usque eo quo opus arbitrabor, persequar, ut morem tuæ voluntati geram.

§ I. Sed quando in hoc vate multæ latebræ sunt, et multi recessus, quem ducem adhibebo Latinumne Græcumve, an barbarum? Nemo inventus est qui Manilii doctrinam ad Latinos aut Græcos referret. Omnes fatentur barbaricam esse ab Ægyptiis vel Chaldæis informatam atque excultam. Neque de Ægyptiis nonnulli ambigunt; quoniam Manilius hinc annum suum adumbraverit, partibus CCCLX. contexens, ut hoc carmen ostendit:

> Nam cum sint partes orbis per signa trecentæ
> Et ter vicenæ: quas Phœbi circuit ardor,

e quibus

> ubi summam feceris unam,
> Tricenas dabis ex illa per singula signa.

Hanc esse anni Ægyptii figuram opinantur, quo pro mensibus signa, pro diebus signiferi orbis partes comprehenduntur; cum antiquitus in Ægypto annum in dies CCCLX. contractum argumento sint dies V. quos absoluto anno apponebant, atque ἐπαγόμενας vocabant. Qui ista tanti habent, nihili sunt habendi. Viguit quondam apud Ægyptios annus quem diximus, sed aliis gentibus communis, ut Græcis. Talem nihilominus a Manilio repetere insipientis est, qui signiferum orbem, cujus ambitu annus intelligitur, haud secus distribuit, ac ceteri cœlestium rerum periti, ceu Ægyptii, Chaldæi, Græci, Romanique. Quid igitur cœlestem annum, qui apud tot gentes in sermone ac consuetudine fere quotidiana versatur, ab Ægypto deposcunt? At Ægyptii primi id invenerunt? Hoc etiam ubique confessum non est, ac probatum. Utrum hi an Chaldæi astronomiam invenerint, ambigitur, et pari momento disceptatur. Sed nihil ad rem. Quod a multis peti potest, nemini attribues proprium. Quare dum Ægyptia in Manilio isti rimantur, eos dimittamus.

§ II. Accedit altera de Chaldæis opinio, quæ apud paucos nunc fovetur, antiquis temporibus apud omnes ferebatur, nemine hanc artem Babyloniis negante, qui, ut ait M. Tullius, de summis Caucasi jugis signa cœli servantes numeris et motibus stellarum cursus

persequebantur. Ideoque, cum ea, quæ divino carmine exsequitur Manilius, a Chaldæis inventa, culta, diuque retenta sint, quid prohibet vatis annum ad Chaldæos referre? Profecto apud Manilium quædam nactus sum, quæ ad Chaldæorum annum propria similitudine spectant. Ver enim, si a Chaldaico principio in signa solem revoces, kalendis Martiis proximum existit; autumnus inter kalendas Septembris ac nonas inchoatur. Neque æstas a kalendis Maiis distaret, si in dimidiato tauro, non inter geminos collocaretur. Incipit IV. non. Jun., exoriente Chaldæis aquila vesperi, Ovidioque sucularum sidere. Haud secus hyems ex kalendis Decembribus notatur, quo die canis occidit Chaldæis, atque aër per dies XXXVII. ad mediam hyemem exasperatur. Jam vero vergiliæ a. d. XI. cal. Mai. Chaldæis mane se attollere non incipiunt? Nonne sexta tauri pars, a qua idem astrum Manilius producit, ad Palilia pertinet, si cum Chaldæis XVI. kal. Maii tauro initium in signifero orbe dabis?

At Procyon oriens cum jam vicesima cancri
Septimaque ex undis pars sese emergit in astra,

ad quos auctores referri potest, nisi ad Chaldæos? Hi enim primi hoc prodiderunt, cum Ægyptiis de nona cancri parte exoriatur. Jam cernimus non minima societate Manilii, et Chaldæorum annum inter se conjungi; nullusque dubito, quin omnia in utroque similia concurrerent, si naturalis anni modus ea quæ ad inanem disciplinam exornandam perquirebant, discrimina subiret. Hoc enim solum intuentes, patrii anni similitudine retenta, cetera in id, quod formas, quascumque vellent, susciperet, immutarunt. Ab hoc fonte ars effluxit, quæ imbecilles hominum animos aucuparetur, ac cœlestium rerum specie mentis aciem obtunderet. Adhuc tamen antiquæ imaginis vestigia, ut dicebam, supersunt: neque difficile est diligentius intuenti Chaldæos agnoscere utriusque anni inventores.

§ III. Refert nunc statuere a quo signo Manilii annus inchoëtur. Non ab alio crediderim quam ab ariete, cui primas semper vates attribuit;

Nobile lanigeri sidus quod cuncta sequuntur.

Quare hoc signum a Chaldæorum sede ex a. d. XVII. kal. Apr. promovemus. At æquinoctium vernum a qua? Ternas affert de

cardinibus sententias; quoniam

Has quidam vires octava in parte reponunt;
Sunt quibus esse placet decimas; nec defuit auctor
Qui primæ momenta daret, frænosque dierum:

Primam, quam item Latini amplexi sunt, a Chaldæis emanasse, ex superioribus literis haud ignoras: tertiam ab Ægyptiis, cui Græcorum solertissimus quique adhæsit, originem ducere, notum tibi exploratumque opinor. At secundam cui attribuemus? Nullus auctor superat, ad quem referatur. Quin, ut mea est opinio, nullus extitit, ut mox aperiam. Interea quamnam secutus fuerit Manilius, videndum. Ab octavis non recessisse, argumentum præbent quæ de bruma canit:

Hic (sol) cum per gelidas hyemis summotus in astra
Fulget in octava capricorni parte biformis,
Tunc angusta dies vernalis vertit in horas
Dimidiam atque novem, sed nox oblita diei
Bis septem, apposita, numerus ne claudicet, hora
Dimidia.

Si recto ac definito ordine gubernat ac moderatur omnia, quod in uno cardine constituit, in reliquis, ut temporum spatia constent, non videtur mutasse. Peragetur itaque Manilio cum Chaldæis æquinoctium vernale X. kal. April. quod Atticis IX., Ovidioque VIII. kal. easdem; illis quidem in octava arietis parte; huic, retento eodem signi principio, in decima. Hinc in Manilii laudibus non fero, quod decimæ signorum parti cardines attributos esse canebat. Chaldæorum consuetudo, et peculiare anni exordium, tanquam commune Romanis, aliisque populis, ipsum fefellit. Etenim si summo vitio dabant illis qui anni momenta octavis signorum partibus ea tempestate attribuebant, quid de iis factum existimes qui in tanta astronomiæ solertia ad decimas traduxissent? Hac de re quod mihi rationi consentaneum videretur, inveniebam. Sequitur ut de reliquis scribam. Cum ad cancrum ex Chaldæorum placito ascendat sol XIV. kal. Quint. solstitium conficiet VII. kal. ejusdem, quod Atticis V., decimo nimirum signi die peragetur: alterum autem æquinoctium VII. kal. Oct., quod libram sol adit XIV. kal. Octob., habetur. Id Atticis tertio hinc die servatur. Pari intervallo bruma Chaldæis et Manilio procedit in octava capricorni parte X. kal. Jan. Plinio vero, Ovi-

dioque a Chaldaico initio in decima, qui brumalem cardinem VIII. kal. Jan. annotant.

§ IV. Nunc de temporibus est inquirendum. Æstatem inter geminos collocari diximus, quod

Ex geminis alter florentia tempora veris
Sufficit, æstatem sitientem provehit alter.
Nudus uterque tamen, sentit quia uterque calorem:
Ille senescentis veris, subeuntis at ille
Æstatis pars est, primæ sors ultima parti.

Sol in geminos introitum facit XV. kal. Jun. afficitque signum per dies XXXI. quare geminorum alteri dies XV. horæ XII. competunt, totidemque alteri. Æstas igitur incipit IV. non. Jun. diebus ab æquinoctio verno LXXI. et XXIII. ante solstitium, aquila Chaldæis vesperi oriente.

Quinetiam Erigone binis numeratur in astris,
Nec facie ratio duplex; nam desinit æstas,
Incipit autumnus media sub virgine utrimque.

Ad virginem transit sol XIV. kal. Septembr. virginique immoratur diebus XXX. ex quibus si XV. priori signi parti dabis ad æstatem attinentes, reliquos XV. secunda sibi assumit, quæ autumnum præbet ex a. d. III. non. Sept. diebus LXX. horisque XII. a solstitio remotum. Sunt propterea æstivi temporis dies XCII. horæ XII.

Necnon arcitenens, qui te, capricorne, sub ipso
Præmittit, duplici formatus imagine fertur.
Mitior autumnus molles sibi vindicat artus,
Materiamque oris: fera tergo membra rigentem
Excipiunt hyememque.

Adeunte sagittarium sole XVI. kal. Decembr. hyems sub dimidiato sagittario initium habet ex kal. Decembr. dum Chaldæis canis delabitur mane, intenditurque frigus. Autumnalis igitur temporis colliguntur dies LXXXIX. Quorum termino annexa hyems in alterum e piscibus dies XC. producit.

Quosque aries præ se mittit duo, tempora pisces
Bina ferunt, hyemem claudit, ver inchoat alter.

Permeat pisces sol, ut Chaldæi determinant, ex a. d. XVI. kal. Mart. in a. d. XVII. kal. Apr. quo spatio bifariam diviso kal. Martiis vernum tempus inchoatur, et cessat hybernum. Longissimum itaque omnium vernum, quod diebus XCIII. horis XII. æstatem attingit.

§ v. De Manilii anno ejusque partibus primis, non puto fore ut quid amplius desideres. Quare de astrorum disciplina nonnulla sufficiam:

> Nunc cancro vicina canam, cui parte sinistra
> Consurgunt jugulæ.

Quo Latini scriptoris præsidio Julius Firmicus jugulas asellos interpretabatur, intelligere nequeo; apud Latinos certe jugulam vel jugulas fuisse Orionem nemo ignorat. Certe Orionem, quem egregium venatorem inter fabulas extulit Græcia, venandi animos, prædæque cupiditatem aspirare nascentibus magis valebit, ut Manilius pollicetur, quam tardus imbellisque asellus. Adde Orionem tam Chaldæis quam Romanis solstitiali die exoriri, quod tempus a cordatioribus astronomis, ut jam notum feci, in prima cancri portione collocatur:

> Cum vero in vastos surgit Nemeæus hiatus,
> Exoriturque canis, latratque canicula flammas.

XIV. kal. Sextil. tam Chaldæis quam Manilio prodire caniculam, sole primam partem leonis ingresso, notabis:

> Jam subit Erigone; quæ cum ter quinque feretur
> Partibus ereptis ponto, tollentur ab undis
> Clara Ariadneæ quondam monumenta coronæ.

Corona Firmico, quintam virginis partem collustrante sole, prodit, et spica, quæ post coronam emergit, Manilio decimam; quapropter carmen vitii reprenditur jure. Nota tibi Josephi Scaligeri emendatio:

> Quæ quando quinque feretur.

Quod iste fortasse perfecit, ego conatus sum ad hanc sententiam componere:

> Quæ cum de quinque feretur
> Partibus.

Attollitur igitur Manilio corona x. kal. Sept. et spica v. kal. ejusdem:

> At cùm secretis improvidus hædus in astris,
> Erranti similis, fratrum vestigia quærit.

Plures invenies qui ista reprehendunt, quam vitio liberent. Scaliger totus in hunc locum exarsit: ultima emendandi cura subsedit. Cum Firmico oriatur hædus in XV. libræ parte, nec vates tempus, ut solet, definiat, id ipsum a Firmico repetam; quamvis veram car-

minis speciem ex fucatis non pollicear:

At cum ter quinis in partibus hædus in astris.

Si res conjectura penditur, nascetur hædus VI. non. Octobr. cujus grex nonis procedit Chaldæis, ac Cæsari postridie.

VI. Nunc surgente lyra, testudinis enatat undis
Forma per hæredem tantum prælata sonantis.

Deinde multis interpositis:

Hinc distante lyra, cum pars vigesima sexta
Chelarum surget, quæ cornua ducit ad astra
Quid regione pari vix partes octo trahentis
Ara ferens thuris, stellis imitantibus ignem.

Nihil hoc carmine in Manilio fœdius plane contenderim, verum Scaligeri editione nihil magis lacerum magisque divulsum sine ulla dubitatione affirmabo. Primum carmen XI. versibus a secundo separatum cum secundo miscet, eodemque reparat ac sarcit:

Nunc surgente lyra testudinis enatat undis
Forma per hæredem tantum præfata sonantis,
Chelarum surget cum pars trigesima sexta.

Quid hominis tibi videtur dilaniare membra, ex detruncatis unum corpus conglutinare, et longe a sua sede traducere, tum discerptas partes ita compositas literis tradere memoriæque mandare tanquam germana, et de optimis exemplaribus depromta? En iterum:

Hinc distante lyra, quæ cornua ducit ad astra.

Hiccine est interpres? Hiccine afflictæ vetustatis reparator? Cuinam pædagogo in vernas tantum licuit, quantum in nobilissimum vatem sibi licere Scaliger opinabatur? Non tamen Scaligero eripiam multa in melius restituta, ceu istud ex *pari nepæ;* cui nihilominus præcinerat Firmicus. Verumtamen de Scaligero videant alii. Nos omnia membra inter articulos suos retinebimus, versa primi carminis vocula *cum* in *cui*. Siquidem vates cum primo carmine lyram in libra exoriri proposuisset, nec definisset diem locumve, tandem id adjecit:

Hinc distante lyra, cui pars vicesima sexta
Chelarum, surget quæ cornua ducit in astra
Quid regione nepæ vix partes octo trahentis
Ara ferens thuris, stellis imitantibus ignem.

Ita a fidicula III. id. Octobr. prodeunte ad aram transit Mani-

lius in octava scorpionis parte exorientem VIII. kal. Novembr. ferentemque quid thuris. Neque anguli in ara a Latinis improprie cornua dicuntur qui in tribunali a Tito Livio, a Valerio Maximo, a Tacito simili nomine vocantur, sacrarum literarum interpretibus aræ etiam attribuentibus, utrumque cum sit angulatum corpus.

Jam nihil superest quod nostra industria melius tibi reddam ideo epistolam complicabo. Vale.

D. Patavio VI. Kal. April. MDCCXXXIII.

MICHAEL FAYUS

AD LECTOREM.

UNUM supererat, lector benevole, quod ad hujus operis commendationem desiderari videbatur: nempe ut quæ olim ad Manilium et Scaligeri notas inter legendum animadverterat v. ill. Petrus Daniel Huetius, ea ad usum atque commodum publicum his nostris lucubrationibus addi curaremus. Cum enim virum hunc omni doctrinæ genere florentem adirem sæpenumero consultum de nonnullis obscurioribus Manilii locis, multosque in ejus bibliotheca libros pervolutarem, plurima ad oras librorum manu ipsius annotata deprehendi, cum in reliquis linguæ utriusque scriptoribus, tum in hoc maxime Manilio secundæ editionis Scaligeranæ. In quo multa agnoscens, aut emendata feliciter, aut acute explicata, compluresque Scaligeri lapsus solerter castigatos; ac probe etiam intelligens, quantum ex iis utilitatis percipi posset ad publica studia, et ad penitus percipienda Manilii sensa; copiam mihi harum observationum ab eo fieri contendi. Id primo constanter abnuere visus est. Verum opportune, importune, diuque instanti mihi, victus assiduis meis flagitationibus, absconditi hujus doctrinæ thesauri, e bibliothecæ suæ latebris, codicis videlicet sui marginibus, eruendi molestiam in se recepit, erutumque mihi permisit. Hanc ergo mantissam editioni nostræ jamjam ad exitum spectanti, tanquam egregium quoddam corollarium attexui. Nunc æquum est, candide lector, ut ego et tu, accepti beneficii memores, nobilissimo viro de literis literatisque semper bene merito agamus gratias, referendi etiam potestatem nobis dari cupiamus. Vale.

PETRI DANIELIS HUETII

ANIMADVERSIONES

IN MANILIUM, ET SCALIGERI NOTAS.

LIBER I.

3 *Deducere mundo*] Hoc est, cœlo. Qua significatione sæpe usurpatur a Manilio, etiam cum affectatione. Parcius quidem usurparunt eo sensu, sed usurparunt tamen optimi Latinitatis auctores, Attius, Lucretius, Catullus, Virgilius, Vitruvius, Plinius, et alii. Sic Græcis antiquis et recentioribus *κόσμος* utrumque significat, *mundum* et *cœlum.*

71 *Jam sole regresso*] Haud dubie desideratur particula negativa, ut efficiatur hæc sententia: Non poterat discernere per suas caussas dies varios, et incerta noctis tempora, et umbras non similes, sole recedente et accedente. En tibi geminam particulam *ἀποφατικὴν*, *non poterat* et *non similes;* quarum priorem temere expunxit Scaliger. Itaque legendum, *nec sole regresso*, quod habent priscæ editiones, et prima Scaligeri.

116 *Tantas emergere moles*] *Emergere, ἐνεργητικῶς*. Hoc usu vix alibi reperias. 'Emergere se' dixerunt alii.

146 *Super est hominemque, Deumque*] Legatur *supra*, si ita videtur Scaligero; quanquam et *super* ferri potest. At ferri non potest ejus interpretatio. Nec enim id sibi vult Manilius, cognitionem originum mundi esse supra Deorum ipsorum captum, cum libri hujus initio contrarium docuerit; verum esse supra hominum captum et Deorum potestatem. Quo designatur fatum Diis ipsis ineluctabile; quod est ordo seriesque caussarum quas describit.

155 *Tertia sors undas stravit, fluctusque natantes Æquora perfudit toto nascentia ponto*] Non assentior Scaligero, qui trajectionem hic inesse ait, (tmesin dicere voluit,) et *Perfudit æquora fluctus natantes*, interpretatur, Fluctus natantes fudit per æquora. Ego simpliciorem et veriorem interpretationem do: Tertia sors undas et fluctus stravit, et nascentia æquora toto ponto perfudit; hoc est, per recentes planities terræ mare effudit.

163 *Et siccata magis strinxerunt æquora terras*] Perverso sensu, vel potius nullo. Scribe, *Siccatasque magis*. Terræ nomen fecit Deus יבשה hoc est *ξηρὰ*, juxta Senes Septuaginta; *arida*, juxta Vulgatam editionem. Sic Moses Gen. I. 9. 'Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida.

Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, terram.'

211 *Divisque simillima forma*] Id hausit e fontibus Academicorum, qui orbiculares Deos sibi fingebant, auctores secuti Platonem et Xenophanem. Quod et vitio datum Origeni alibi notavimus. In eo recedit Manilius a Stoicis magistris suis, qui formam ullam Deum habere negabant, ut est apud Lactantium.

218 *Sed quærent helicen, quibus ille supervenit ignis, Qui laterum tractus habitant*] Manilium hic suggillat Scaliger, quasi dixerit videri non posse helicen in iis locis, quibus apparet et videri potest canopus. Quod sane falsum est: nam non Cnidiis solum et Rhodiis, sed Lydis etiam et Phrygibus, propter refractionem, utrumque sidus eodem tempore conspici potest. Verum aliud sensit et scripsit Manilius; iis nempe, quibus canopus supervenit, hoc est, quorum verticibus imminet canopus, helicen non apparere. Atque hoc verissimum est. Ceterum peccavit Manilius cum dixit canopum non videri, quoad perventum sit in Ægyptum: nam, ut dixi, gentibus longe borealioribus conspicitur.

227 *Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra*] Non regiones solum Muhammedanorum, quos hic commemorat Scaliger, sed universum orbem pervasit fatuus ille mos pulsandorum crepitaculorum et sonitus edendi in lunæ eclipsibus. Faciunt id Tartari: faciunt Sinæ et Tunquinenses, non in lunæ solum, sed et in solis eclipsibus; draconemque sideribus iis tum insidiari, ut ea devoret, persuasum habent. Fictilia omnia vasa frangunt Gangaridæ ad augendum fragorem. Lappones sclopos in cœlum explodunt, ut lunæ a dæmonibus jam prope deglutiendæ succurrant. Strepitus quoque et murmura cient Americani Caraibæ, laborante luna, quam a dæmone tum devorari putant. Par est Peruvianorum consuetudo, qui et canes ad ululatum verberibus tum adigunt, ut ægra luna animal sibi gratum miserata excitetur. Unde perspicuum est penetrasse ad eos fabulam de Diana venationis et canum studiosa, ut a Garcilasso observatum est. Cumanenses cometas clamoribus et tympanorum crepitu prosequuntur, eclipses jejuniis; quibus et fœminæ fuso suo sanguine mederi se putant.

236 *Hanc circum variæ gentes hominum atque ferarum, Aëriæque colunt volucres*] Periœcos signari putat Scaliger, quod dictu ridiculum est. An feras et aves *περιοίκους* Manilius notaverit? Cur potius quam *ἀντοίκους*, vel *συνοίκους*? Postquam terram rotundam esse probavit, homines, feras, et volucres incolas ejus esse dicit. Nondum enim varios regionum situs attingit, quod proxime facturus est.

239 *Sub pedibusque jacet nostris, &c.*] Sic distingue, *Sub pedibusque jacet nostris, supraque videtur Ipsa sibi, fallente solo declivia longa.* Id est, Quemadmodum Arctoi populi superiores esse sibi videntur, infra se vero habere Antarcticas gentes; sic illæ superiores nobis esse se putant, terræ rotunditate utrasque fallente.

245 *Somnosque in membra locamus*] Latine dictum id negat Scaliger, proindeque refingit pro arbitrio suo. Ego contra tam Latine dictum esse contendo, quam quod a Plauto dictum est, 'collocare aliquem in soporem;' 'jacere in lustra;' et a Terentio, 'esse in magnum honorem;' et a Cæsare, 'in potestatem habere;' 'collocare auxilia in mediam aciem:' et a Cicerone, 'esse in ditionem populi Romani;' 'ponere vestigium in aliquam historiam;' et a Gellio, 'ponere coronas suas in caput patris.'

246 *Distinguit et alligat*] Hæc ad horizontem refert Scaliger, reclamante ipso verborum contextu, ex quo intelligas manifesto de mari dicta

esse, *Pontus utrosque suis distinguit et alligat undis. Distinguit*, hoc est, abscindit. Sic Horatius, 'Nequicquam Deus abscidit Prudens Oceano dissociabili Terras.' Ovidius, 'terras abscidit undis.' Statius, 'abscissum miseris animantibus æquor.' *Alligat*: sic Virgilius, 'Quos circum limus niger, et deformis arundo Cocyti, tardaque palus innabilis unda Alligat.' Nunc arbitretur lector, Manilii verba ad horizontemne, an ad mare pertineant.

297 *Ut verti non possit in ipsum*] Quæ hic disserit Scaliger, partim inepta sunt, partim inexplicabilia. 'Quod si,' inquit, 'aliquis dicit axem circa suum centrum moveri, impossibilia dicit.' Nam quis adeo fungus est ut hoc dicat? quodnam est centrum lineæ rectæ? quomodo axis, quatenus axis, moveri potest circa centrum suum? Addit, 'Nam cum centrum sit ὅρος ἀσώματος, non poterit manere interea, dum illa, quorum est ὅρος, moventur.' At Manilius docet contrarium; circa axem enim cœlum moveri ait, axem ipsum non moveri. Pari igitur ratione, si circulus moveatur circa centrum suum, immotum manebit centrum illud, dum reliquus circulus movebitur. Quod subjicit deinde,' Non enim per se subsistit centrum. Igitur si non manet centrum, neque per se movebitur,' ad id plane cæcutio.

319 *Quæ quia dissimilis, qua pugnat, temperat aër*] Aërem proprie dictum intelligit Scaliger, qui circa terram fusus est. Sed *aërem* hic usurpari pro æthere, loci sententia demonstrat. Inter polum mundi, inquit Manilius, et zodiacum astra interjacent, poli et zodiaci viribus, frigore nempe et calore, mista. Quæ quoniam temperat æther ille sui dissimilis, utpote diversarum' qualitatum, æstus et algoris particeps, propterea infimum hunc orbem fœcundum et frugiferentem efficit. Similiter paulo superius 'aërem' posuit pro æthere: 'Nam quum aër omnis semper volvatur in orbem.' Contra vero 'ætherem' pro aëre ponit aliquando; velut lib. II. 'Non imbres alerent terras, non æthera venti:' et libro quinto Persei fabulam narrans, 'Laxumque per æthera ludit Perseus.' Præterea cum sententiam Ptolemæi, lunam terræ vaporibus affici docentis, refellit Scaliger hoc argumento, quod luna, et quæ supra lunam sunt, corruptioni erunt obnoxia, siquidem vera prædicat Ptolemæus, in eo videtur hæsisse priscorum Peripateticorum opinioni, qui nihil supra lunam generari vel corrumpi posse sciscebant; cum tamen Scaligeri ætate astronomia recentior et novitia philosophia hunc errorem confutasset.

324 *Quod similis junctis*] Dicat Scaliger cujus grammatici auctoritate fretus hunc versum nobis panxit: *Post helicem instanti similis de more juvencis.* Equidem scio Orbilium tam atrocem solœcismum ferula fuisse ulturum.

339 *Toto mergentem corpore corpus*] Serpentes corpus corpore mergere non possunt: obstat spina vertebris conserta. At possunt insecta, quorum corpus caret spina, et annulis tantum contextum est. Idem peccavit facetissimus quidam Poëta nostras.


351 *Assueto volitans*] Hoc est, ut solitum: nam in 'Αστροθεσίᾳ apertis alis et volans pingitur: ἰσχημάτισται διαπεπταμένος τὰς πτέρυγας, inquit Eratosthenes. Is addit præterea solam ex omnibus avibus aquilam contra solis radios volare. Hinc Hyginus, 'Sola tradita est memoriæ contra solis orientis radios contendere valere.' Atqui contra orientem volat in Astrothesia. Huc accedit quod sublimis volare solet aquila: ὑψοῦ πέτεται, ut docet Aristoteles. Ælianus quoque, ὑπερφρονῶν καὶ τῶν ὑδάτων

καὶ τῆς ἀναπαύσεως, τὸν ἀέρα τέμνει πολὺν, καὶ ὀξύτατα ὁρᾷ ἐκ πολλοῦ τοῦ αἰθέρος καὶ ὑψηλοῦ. Igitur cum dixisset Manilius de aquila cœlesti, 'Magni Jovis ales fertur in altum,' subjunxit, 'Assueto volitans,' hoc est, illic in cœlo perinde sublimis volat, et in altum fertur, ut in aëre volare solet. Ergo hic minime supplendum est 'magis,' aut 'plus,' quod vult Scaliger.

359 *Tertia lampada*] Sic Plautus in Casina, 'Tene hanc lampadam :' quod et a Prisciano observatum est.

361 *In pœnas signata suas*] Recte hoc intelligas ex Arato. Brachia ipsam pandere ait, ac propterea *φαίης κεν ἀνιάζειν ἐπὶ παιδί.* Theon, *ἐσχημάτισται γὰρ στερνοκοπουμένη.* Planum hoc est: cui tamen explicationi alteram hanc præfert Scaliger, 'ob *ἀμυδρότητα*, ut tanquam atrata lugere videatur.' Tum subjicit, 'Nam, inquit Aratus, plenilunio obscuratur, quod minimas stellas habeat similes capitulo clavis intrantis in foramen seræ, seu obicis, aut, ut Germanicus vocat, clostri.' Hoc enim plane est quod ait, *Οἵην δὲ κληῗδι θύρην ἔντοσθ' ἀραρυῖαν Δικλίδ' ἐπιπλήσσοντες ἀνακρούουσιν ὀχῆες.* Ergo atrati quoque sunt asterismi, quorum tenue est et obscurum lumen ; læti e contrario, qui lucidioribus stellis constant. Lugent ergo Hercules ingeniculus, serpentarius, sagittarius, aquarius : quod ineptum est. Quod addit plenilunio ipsam obscurari, quia minimis constat stellis, neque id habet Aratus, neque verum est : nam quatuor habet stellas tertiæ magnitudinis, sex quartæ, juxta Ptolemæum ; quinque tertiæ magnitudinis, quinque quartæ, juxta Tychonem. Cum autem ait Aratus ipsam *μάλα πολλὴν φαίνεσθαι νυκτὶ παμμηνίδι*, id non contingit ob *ἀμυδρότητα* stellarum, ut censet Scaliger ; sed quod *οὐ μιν πολλοὶ καὶ ἐπημοιβοὶ γανόωσιν ἀστέρες, οἵ μιν πᾶσαν ἐπιῤῥήδην στιχόωσιν.* Exiguus est numerus stellarum, quibus hic constat asterismus. Itaque ipsum dicit plenilunio non valde lucere, propter paucitatem, non propter exiguitatem stellarum, quæ ipsam aperte, *ἐπιῤῥήδην*, hoc est clare et manifeste componunt. Atque hæc jam diu confudit Cicero, cum vertit; 'obscura specie stellarum Cassiepea.' Rectius Germanicus, 'Clara etiam, pernox cœlo cum luna refulget, Sed brevis, et paucis decorata in sidere flammis.' Aliter Arati versus interpungebat, ut sensus esset, Cassiepeam *προκυλίνδεσθαι οὐ μαλὰ πολλὴν*, ferri non magnam, quod exiguum cœli spatium teneat : *καὶ γὰρ μικρὸν ἐπέχει τοῦ οὐρανοῦ τόπον*, inquit Theon ; quippe *ἐπὶ διφροῦ καθημένη*, ut habet Eratostenes ; vertit Hyginus, *sedens in siliquastro*, hoc est, in cathedra, cujus posterior pars, cui dorsum innititur, concavum est, curvatum, et superne etiam supra caput fornicatum, in modum siliquæ : sed etiamsi propter situm sedentis contracto sit corpore, et paucis decorata flammis, tamen claritatem ei non deesse, immo etiam fulgere in plenilunio. Merito autem Aratum carpit Hipparchus, quod stellas Cassiepeæ in plenilunio non apparere dixerit, cum splendore superent alias quasdam, puta quæ sunt in humeris serpentarii, quas tamen Aratus ipse plena luna lucere et manifestas esse scripsit. Quod subjicit hic Scaliger, et in suis quoque ad Moretum commentariis scriptum habet, stellas nempe illas similes esse capitulo clavis intrantis in foramen seræ, sumsit id ex Arati interpretibus, qui mentem ipsius neutiquam sunt assecuti. Constat profecto parum certam esse scriptionem versuum illorum, in quibus cum clavi Cassiepeæ sidus confert Aratus : quod cognosces ex Grotii notis ad Germanici phænomena, et ex Salmasii Exercitationibus Plinianis. Placet inprimis conjectura

Grotii, qui legi jubet, οἵη δὲ κληῖδι, ut hæc sit loci sententia, Qualis est clavis, talem situm obtinere stellas Cassiepeæ. At genus multiplex clavium fuit. Scholia clavim Laconicam hic signatam volunt. Par est Germanici sententia, nam reddit clavim dentatam, hoc est Laconicam. Par est Avieni, qui reddit clavim Caricam. Caricæ enim claves Laconicarum similes fuerunt. Hos secuti sunt Scaliger et Salmasius. Verum tam facile in stellis illis seræ, vel portæ, vel domus, vel urbis, vel cujuscumque rei formam reperies, quam clavis Laconicæ. Itaque non convenit inter interpretes, qua parte Laconicæ suæ clavis scapum, qua dentes statuant. Scholiastes duabus tantum stellis id effici vult, quod ridiculum est. Ut lectorem paucis absolvam, aio signari ab Arato falcatam clavim, non Laconicam. Vetustissimus fuit usus falcatarum clavium. Talem Penelope tribuit Homerus ad reserandum thalamum: εὐκαμπέα κληῖδα appellat, hoc est δρεπανοειδῆ, ut exponit Eustathius: qui antiquum esse docet hoc genus clavium, et ad suam ætatem perseverasse, quarum ne nunc quidem usus penitus obsolevit; recentiores vero esse multifores illas, quæ Laconicæ sunt. Eburneum falcatæ clavi præfigebatur manubrium, vel ligneum, quo circumagi posset ad excutiendum forium pessulum, postquam foraminI inserta erat. Talem autem formam accurate referunt stellæ Cassiepeæ; quod ex subjecta, et asterismi, et clavis δρεπανοειδοῦς figura perspicue cognoscetur.



Ex solo formarum istarum conspectu, opinionis nostræ veritas cognoscitur; quam et confirmant Scholiastis verba, quæ ex vetustis membranis profert Salmasius, aliter concepta ac vulgo eduntur. His sitam esse tradit Cassiepeam ad faciem vetustæ clavis; hoc est, juxta Eustathium, falcatæ. Porro ex tam variis scholii hujus lectionibus, quas ex priscis libris repræsentat Salmasius, existimari potest varias fuisse ex variis auctoribus compilationes scholiorum istorum, ut et reliquorum fere omnium, quæ in poëtas Græcos et Latinos scripta circumferuntur. Quamobrem mirandum non est, perversam illuc interpretationem irrepsisse de Laconica clavi, quam imperitus aliquis ab Arato notatam credidit, cum nihil de

ea vel significaverit ipse, vel indicet positura stellarum, unde certissima conjectura capi potest.

367 *Spoliumque sibi, testemque videnti*] Toto cœlo hic aberrat a vero Scaliger: '*Sibi*,' inquit, 'id est, ipsi ceto: *testem*, id est, Persea præsentem.' Hoc non est loci sententiam illustrare, sed opacare. Veretur Cassiepea ut Perseus sustineat Gorgoneum caput, quod ipsi quidem Perseo spolium est de Medea reportatum; ei vero qui contra aspicit, testis est victoriæ Persei. Horatius, 'Testis Metaurum flumen.' Belle hæc habent: quæramus tamen aliquid melius. Dico scribendum esse, *pestemque videnti*. Medusæ caput Perseo quidem honorificum spolium est; qui vero oculos contra audebit attollere, præsens ei feret exitium. Certissima est hæc emendatio.

387 *Diversasque umbras*] In dextra et læva assignanda varia est Manilii ratio, quam nisi probe distinxeris, ludes operam. Solet ille quidem septemtrionem collocare ad dextram, meridiem ad lævam, ac proinde fingendus est occasum spectare. Sic libro quinto arietem statuit ad latus dextrum navis argus, qui ipsa borealior est. Cassiepeam ait dextra de parte resurgere, Andromedam cœlo dextro venire, et Ingeniculum dextra lumina attollere; quippe boreales sunt hi asterismi: contra Orionem oriri de summa parte lateris sinistri, et læva consurgere ceti sidera, quæ sunt ad meridiem. Idem libro illo, 'Qua dexter Boreas spirat;' et paulo post de polo arctico, 'Quæ dextera pars est.' Atque hæc est pervulgata poëtarum ratio, a vetustissimis ducta temporibus, quam et Ægyptii tenuerunt, et ipsi etiam Ebræi, qui ad occasum conversi Deum orabant, pro situ nimirum tabernaculi, et deinde templi occidentem spectantis. Quanquam extra templum et Dei cultum, ad ortum ora obvertebant; propthereaque Boream ventum sinistræ appellabant. Antiquos etiam architectos templorum situm ad occasum direxisse scripsit Hygenus. Astronomi quoque, etsi zodiacum, hoc est meridiem, spectare soliti, occasum tamen aliquando locant in antica parte: velut Cleomedes cum ait, δέξια τοῦ κόσμου τὰ πρὸς ἄρκτον, εὐώνυμα τὰ πρὸς μεσημβρίαν. Nec astronomi solum, sed et alii demum omnis generis scriptores eandem rationem tenuerunt. Quapropter Boreas nomine dexter appellatus est; quod inferius ostendam ad librum quintum. Haruspices Etrusci orbem diviserunt in duas partes, secundum solis curriculum; et dextram appellaverunt septemtrionem; sinistram, meridiem. Quæ disciplina in gromaticen manavit: nam agrimensores in dividendis agris, ducto juxta solis cursum decumano limite ab ortu in occasum, partem eam quæ vergebat in boream, dextram, et agrum dextratum dixerunt; quæ in meridiem, sinistram, et agrum sinistratum. Ducto deinde cardine, transverso nimirum limite, a septemtrione in meridiem, quæ pars spectabat occasum, antica dicta est; quæ ortum, postica. Legatur Hygeni Gromaticus, ipso libri initio. Quæ cum ita sint, Manilius tamen ab hac lege nonnunquam videtur discedere: velut libro secundo, cum sciscit 'semper dextris censeri signa priora;' ac idcirco arietem dextrum esse tauro, taurum geminis, atque ita porro alia: ac proinde conversus erat ad zodiacum. Verum in eo morem sequitur astronomorum, quorum et effatum refert, 'Sinistra Quæ subeunt; quæ præcedunt, dextra esse feruntur.' Similiter hoc loco quem expendimus, zodiacum respexit, quem et ab antisciis nostris respici finxit, cum dixit esse illis 'Diversas umbras, lævaque cadentia signa, Et dextros ortus cœlo spectantia verso.' Nam si et nos, et illi, facies obvertamus ad zodiacum, occasus illis erit

ad lævam, ortus ad dextram, quod contra fiet apud nos ad dextram occasum habentes, ortum ad lævam. Eundem situm Arabibus tribuit Solinus, 'Umbræ quæ nobis dexteræ sunt,' inquit, 'illis sinistræ:' eundem et Taprobanensibus, 'Solem,' inquit, 'orientem dextera habent, occidentem sinistra.' Ac recte hic Manilium interpretatus est Scaliger, sed non itidem celebratos Lucani versus e tertio Pharsaliæ: 'Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem, Umbras mirati nemorum non ire sinistras.' Loquitur Lucanus de Arabibus inter æquinoctialem et tropicum cancri degentibus. Hi cum sint ἀμφίσκιοι, umbras aliquando vident ire sinistras, sole in tropico cancri versante; aliquando dextras, sole ad æquinoctialem accedente. Nam Arabes fingit Lucanus occasum spectare, pro consuetudine poëtarum. Hoc situ cum observassent nemora sua umbras projicere dextras, cum sol esset in hybernis signis; sinistras, cum cancrum premeret; postquam citra cancri tropicum venerunt, mirantur nemorum umbras cadere solummodo dextrorsum, nunquam sinistrorsum. Legitima hæc est loci istius interpretatio, cujus prædem damus Hygenum libro jam laudato De limitibus agrorum: 'Omnibus terris in hac parte (cis tropicum æstivum) in occidentem spectantibus, umbras in dextrum emittit (sol), exceptis illis quæ sunt ab Ægypti fine usque ad oceanum, qua finit circulus æquinoctialis. Has terras ferunt inhabitare Indos et alias gentes: apud hos, in occidentem spectantibus umbræ in sinistrum emittuntur, ex quo apparet eos ultra solis cursum positos; sicut et Lucanus, 'Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem, Umbras mirati nemorum non ire sinistras.'' Eundem quoque obtinere situm versus occidentem censendus est Lucanus, cum de austrinis gentibus, et trans æquinoctialem positis ait, 'At tibi, quæcumque es, Libyco gens igne diremta, In Noton umbra cadit, quæ nobis exit in arcton.' Non erat igitur cur Lucanum tam aspere sugillaret Scaliger, cum loco hoc, tum et in Prolegomenis ad Manilium; patris fortasse sui Julii Cæsaris præjudicio obsecutus, qui in Hypercritico hos quoque Lucani versus acri censura vexavit.

392 *Nec numerosa minus*] Hic Scaliger Manilium castigat, quod dixerit partem cœli australem non minus lucida habere sidera ac borealem: 'Nullæ enim stellæ,' inquit, 'magnitudinis primæ ultra tropicum capricorni: omnes enim stellæ primæ magnitudinis veteribus notæ fuerunt.' Ὦ σκαλανὲ, σκαλανὲ, τῷ τὰς φρένας ἐκπεπόνασαι; annon cor scorpii est ultra tropicum capricorni? annon extrema Eridani? annon Canopus? annon duæ in pedibus centauri? annon lucida in ore piscis notii?

400 *Subductos vultus*] Plerique veterum astronomorum, qui contrarias posituras asterismis tribuisse visi sunt, cum alii pronos, supinos alii fingerent, reipsa tamen non discrepuerunt. Nam qui descripserunt supinos, ad sphæram factitiam attenderunt, cujus in convexa et gibbosa parte ita fuerunt pingendi. Qui pronos voluerunt esse, rationem habuerunt cœli ipsius, in quo cum ita sitos eos imaginantur astronomi, ut terram spectent, proni utique sunt hoc situ. Itaque cùm cœlum aspicerent, asterismos, ore ad sese, hoc est ad terram ac inferiora, converso, pronos nempe videbant: quem situm cum ad sphæram factitiam transferre vellent, et in convexa ejus parte ea annotare, quæ viderant in concava, asterismos itidem ad se conversos repræsentare debuerunt; quod cum facerent, supinos eos pingebant, quos pronos viderant. Hæc in astronomorum priscorum libris, vel indiligenter distincta, vel incuriose a lectoribus obser-

vata, hanc discordiæ suspicionem invexerunt.

414 *Cursusque micantis*] Quod ait Scaliger, *ἰδιωτικωτέρως* quam *φυσικωτέρως* dictum esse ab Arato, stellas alias aliis esse obscuriores propter discrimen intervalli, id ipse quidem *ἰδιωτικωτάτως* dixit, suamque in rebus physicis imperitiam prodidit. Nec enim adhuc deprehensum est, an propter distantiæ, vel molis, vel luminis differentiam, aliæ aliis majores et clariores stellæ appareant.

421 *Emeritum magnis mundum tenet acta procellis*] Hoc est, meritum. Silius, 'Emerito sacrum caput insere cœlo.'

457 *Similesque figuras Astrorum referunt*] Didicisse se ex literis Americi Vespucii scribit Scaliger nullas alias lucidas stellas habere australem polum, præter quatuor in quadrum dispositas, quæ crux appellantur. At nos ex ejusdem literis ad Petrum Soderinum datis didicimus cœlum illic splendidissimis stellis esse ornatum; quarum viginti, Veneris aut Jovis luminibus pares, observasse se ait Vespucius; ac præcipue tres canopos: quæ vero polum obsident, esse numero quaternas, in quadrati formam positas. At frequentibus recentiorum navigationibus deprehensi sunt illic duodecim asterismi; qui in astronomicis globis accurate descripti sunt.

523 *Nec se cognoscunt terræ*] Pœnas hic Scaligero dat Ovidius, propter versus istos e libro decimo quinto Metamorphoseon: 'Œdipodioniæ quid sunt, nisi nomina, Thebæ? Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?' quos tamen optimi codices non agnoscunt. Consule accuratissimas eruditissimi Heinsii Notas.

565 *Sexque fugit solidas*] 'Describantur circuli,' inquit Scaliger, 'æquinoctiali paralleli nonaginta. Ii erunt quos Geminus vocat *ἀειφανερούς*.' Hoc ita se habebit in sphæra *μυλοειδεῖ*: nam parallelos intelligit ductos per singulos meridiani gradus. In sphæra autem recta nullus ex nonaginta his parallelis erit *ἀειφανερός*: in obliqua eo plures, quo erit obliquior. Sed neque nonaginta, verum octoginta tantum et novem parelleli numerantur. Ceterum hanc Manilii doctrinam accurate expositam reperies in Achillis Tatii Isagoge, vicesimo sexto capite. Adi et Hygini Poëticon Astronomicon, primo capite. Sed et hanc divisionem circuli in sexaginta partes agnoscit Strabo.

567 *Cancri, In quo consummat Phœbus lucemque, moramque*] Geminus in Isagoge, *ὁ γὰρ ἥλιος περὶ μὲν τοὺς τροπικοὺς κύκλους πολὺν μὲν ἐπιμένει χρόνον, κατὰ τὴν πάροδον τὴν πρὸς αὐτοὺς, καὶ τὴν ἀποχώρησιν· ὥστε σχεδὸν ἐφ' ἡμέρας τεσσαράκοντα μένειν πρὸς αἴσθησιν ἐπὶ τροπικῶν κύκλων· δι' ἣν αἰτίαν τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν σχεδὸν ἐφ' ἡμέρας τεσσαράκοντα τὰ αὐτὰ διαμένει.* Nemesianus in Cynegetico, 'Sed postquam Phœbus candentem fervidus axem Contigerit, tardasque vias, cancrique morantis Sidus init.' Manilius libro secundo, 'Nec mirere moras, cum sol adversa per astra Æstivum tardis attollat mensibus annum.' Et libro tertio, 'Solstitium tardi cum fit sub sidere cancri.'

575 *Quo limite Phœbus*] Veteres libri et editiones, *quo lumine;* hoc est, quo conspectu, quo oculo: nam proxime dixit, 'Parte ab utraque videns axem.' Malim tamen, *quo limite;* metaphora sumta ex agrorum mensuris, in quibus limes decumanus ducitur ab ortu in occasum. Eodem vocabulo statim utitur, 'Medium æquali distinguit limite cœlum.' Illic generatim sumitur pro tractu. Quemadmodum et paulo inferius, ubi de æquinoctiali, tropicis, et polaribus ait, 'Intervalla pari servantes limite semper:' et deinde de coluro æquinoctiorum, 'Alter ab excelso decurrens limes olympo:' et postmodum de horizonte, 'Præcingit tenui trans-

versum limite mundum:' quem limitem sequenti versu lineam vocat; et paulo post de eodem horizonte, 'Et mundum plane præcingit limite gyrus:' tum de galaxia, 'Candidus in nigro lucet sic limes olympo:' rursum de eodem, 'Sic superincumbit signato culmine limes Candidus.' Limitem etiam nonnunquam appellat Manilius locum quemlibet; nam et hoc nomine infra afficit polum antarcticum. At hic Scaliger pro *limite* legit *limine*, quod minus apposite dictum videtur de æquinoctiali, qui velut medium solis curriculum designat. Rectius paulo post de tropico capricorni, 'Ultima designat fugientis limina solis.' *Limina* enim sunt fines, metæ, ut ipse interpretatur Scaliger; quod de æquinoctiali dici non potest.

580 *Proximus hunc ultra Brumalis nomine tangens*] Sic codex Gemblacensis. At *tangens* absolute positum non est, ut opinatur Scaliger: sequitur enim, 'Ultima designat fugientis limina solis.' Igitur *tangens* pertinet ad *limina*, ut et *designat*. *Tangens* designat limina. Duo verba ἀπὸ κοινοῦ nomen idem regunt. Similiter in versu illo de galaxia, 'Inde per obliquum descendens tangit olorem,' quem versum in expositionis suæ patrocinium affert Scaliger, *tangit* absolutum non est, sed regit *olorem*: Descendens per obliquum tangit olorem.

608 *Serpentis caudam, siccas et dividit arctos*] 'Nullus colurus,' inquit Scaliger, 'potest simul secare serpentis caudam, et ambas arctos.' Vere; at ambas arctos a coluro secari non dixit Manilius, sed dividi: nam inter eas ducitur colurus æquinoctiorum, etsi posteriora helices secat.

611 *Adversus concurrit rursus in axe*] Astrologo indignum esse pronuntiat Scaliger, putare de horizonte ullo dici posse, quod dixit Bonincontrius, horizontem esse eundem ac colurum. Equidem peccata Bonincontrii præstare nolim, quem nunquam legi, neque nancisci usquam potui. At verum tamen est, iis quibus sphæra recta est, horizontem bis quotidie eumdem esse ac colurum hunc; bis item eundem ac colurum solstitiorum.

618 *Quam septem stellæ primam, &c.*] Hoc est, Quæ propter septem majorum stellarum suarum claritatem prima e duabus ursis conspicitur post occasum solis. Idem vult Aratus hoc versu, Πολλὴ φαινομένη ἑλίκη πρώτης ἀπὸ νυκτός. Ubi Theo: οὐ τῷ μεγέθει, ἀλλὰ τῇ λαμπεδόνι· εὐθέως γὰρ δύναντος τοῦ ἡλίου φαίνεται· Quid ergo sibi vult istud Scaligeri, 'Prima enim occurrit ἀκρόνυχος in horizonte?'

635 *Hic mutans per signa vices*] Hæc ad horizontem refert Scaliger, quæ pertinent ad meridianum.

639 *Volat hora per orbem*] 'Poli omnis horizontis,' inquit Scaliger, 'sunt puncta orientis et occidentis. Poli mundi sunt poli omnium meridianorum.' Quid hoc monstri est? Poli igitur æquinoctialis iidem sunt ac poli meridiani; nam polos æquinoctialis didicimus esse polos mundi. Addit, 'Ita omnis horizon per puncta ortus et occasus transit, ut omnis meridianus per polos mundi.' Ergo meridianus et horizon transeunt per polos suos; quod est absurdum. Nos vero scimus meridiani polos esse puncta æquinoctialia ortus et occasus; polos vero horizontis esse zenith et nadir; quod ne pueri quidem ignorant; et docuit nos Theodosius, ὅτι κύκλου πόλος ἐν σφαίρᾳ ἐστὶ σημεῖον ἐπὶ τῆς ἐπιφανείας τῆς σφαίρας, ἀφ' οὗ πᾶσαι προσπίπτουσαι εὐθεῖαι πρὸς τὴν τοῦ κύκλου περιφέρειαν, ἴσαι ἀλλήλαις εἰσίν· At Scaliger, qui polos horizontis collocat in punctis orientis et occidentis, idem centrum horizontis ponit in verticali puncto, sive zenith, hoc est in polo horizontis. Cujusmodi ineptiæ si quando nobis pueris excidebant, vapulabamus.

641 *Atque ubi se primis, &c.*] Hæc, quæ perspicua erant, neque satis intellexit Scaliger, et alii ne facile intelligerent argutationibus suis perfecit. Sequamur designationem gentium quam proposuit; Molucensium, qui nonaginta gradibus versus orientem distant a Zocotorinis; et Zocotorinorum qui nonaginta itidem gradibus distant a Canariensibus versus ortum. Id sibi vult Manilius, oriente sole Zocotorinis, sextam esse horam Molucensibus, quorum in meridiano versatur sol, occidente vero sole iisdem Zocotorinis, sextam esse Canariensibus Hesperiis, hoc est, ad occasum positis. Ita Zocotorini primam horam diei numerabunt, quæ Molucensibus sexta erit; postremam, quæ sexta Canariensibus. Similiter nos Galli primam horam et ultimam diei numeramus, quæ Bengalensibus et Jamaicæ incolis sexta est; et primam quidem quæ Bengalensibus sexta, ultimam quæ sexta Jamaicensibus.

655 *Sed quocumque vagæ, &c.*] Sive progrediatur versus austrum aut septemtriones, sive versus ortum aut occasum. Non video igitur cur hæc addixerit Scaliger progressui a septemtrionibus versus meridiem.

661 *Hic terrestris erit*] Quærit Scaliger, cur horizon 'terrestris potius quam cœlestis, si tam extremum cœli quam terræ præcingit:' nos respondemus sic dici, quod solus hic circulus terræ undique cohæreat, et ab extrema terræ ora, quam perlustrant oculi, designetur. Falsa ergo ratio quam subjicit, 'quia ἡ σφαιροθήκη orbis mechanici, qui instar est terræ, est loco horizontis.'

679 *Et ter vicenas partes patet, atque trecentas, In longum*] Circulum meridianum supra divisit in sexaginta partes; hic zodiacum in trecentas sexaginta. Ac primum æquinoctialem in partes secuisse videntur vetustissimi astronomi, cum spatia et intervalla ascensionum metiri vellent. Tunc autem æquinoctialem a zodiaco non distinguebant. Primus enim inter Græcos zodiaci obliquitatem deprehendit Anaximander. Divisus est primum signifer in partes duodecim a Chaldæis, ut perhibet Sextus Empiricus; vel ab Ægyptiis, juxta Macrobium; a quo fusius etiam et clarius, quam a Sexto, rei modus et artificium traditum est; quod artificium et ad alias observationes priscos astronomos accommodasse docet Theo. Cum rudior visa esset ista divisio, subtilior quædam subinde reperta est, ac singula dodecatemoria secta sunt in partes quinque, ita ut sexaginta partes totus signifer obtineret. Atque in alios deinde circulos translata est hujusmodi partitio, quam supra ad meridianum a Manilio vidimus adhibitam. Narrat Cleomedes Posidonium dodecatemoria singula in partes quatuor secuisse, totique zodiaco tribuisse quadraginta gradus. Alii, quos commemorat Sextus Empiricus, in duodecim partes dispescebant signa quæque, et centum quadraginta quatuor partes circulo inesse fingebant. Accuratioribus demum studiis florente astronomia, utilissima et commodissima instituta est divisio in partes trecentas sexaginta, et aliis deinde adjuncta circulis. Quod cum nec satisfaceret subtilitati astronomorum, distributa est unaquæque ex illis partibus in λεπτὰ sive particulas sexaginta; hæ in sexaginta alias; atque istæ præterea in alias, usque ad decimas.

701 *Namque in cæruleo candens nitet orbita mundo*] *Cæruleo*, hoc est, nigro; nam, cum nitet galaxias, cœlum nigrum est. Paulo inferius de eodem, 'Candidus in nigro lucet sic limes olympo.' Sic Pedo ad Liviam dixit 'cœruleam mortem;' vetus Poëta apud Ciceronem, 'furias cœruleas;' Propertius, 'cœrulam navim Orci,' quam Virgilius 'cœruleam cymbam'

appellat. Dixit is quoque 'cœruleum imbrem,' et 'cœruleas vittas,' hoc est, nigras; et frigidas zonas cœrulea glacie concretas esse atque imbribus atris, quod septemtrionem perpetuis tenebris obsitum veteres existimarint; et in Ciri, 'cœruleas nubes,' et 'cœruleas umbras.' Ovidius Plutonis 'cœruleos equos' commemorat. Par est significatio vocabuli *κυάνεος* apud Hesychium. Quemadmodum autem cœrulea dixerunt veteres, quæ nigra erant; sic et quæ cœrulea, nigra appellavere. Virgilius violas nigras, et vaccinia nigra vocat, quod sumsit ex Theocrito fere *αὐτολεξεί*. Claudianus crines nigros violis comparat. Hinc lux istis Salomonis in Cantico, 'coma capitis tui sicut purpura.' Græci comas hujusmodi nominant *ὑακινθίνους*, et *κυανέας*, et *πορφυρᾶς*; et qui nigris esset superciliis, *κυανόφρυν*, qualem Jovem repræsentat Homerus. Euripides in Phœnissis *βοστρύχων κυανόχρωτα πλόκαμον* dixit. Audacior Priscianus in Periegesi, qui sapphirum, quæ cœrulea est, nigram appellat.

741 *Curvisque quadrigis*] Σκολιοῖς, diversis curribus, ut supra dixit.

779 *Et Romana gerens quæ texit mœnia Cocles*] Coronam civicam intelligit Scaliger, cujusmodi coronas ait murorum specie fuisse. At olim audiveramus in scholis, coronam civicam quernam fuisse; quæ vero murorum specie erat, auro conflatam fuisse et muralem dictam. Atque hinc cognoscas murales coronas non iis solum fuisse datas, qui muros obsessarum urbium primi conscendissent, sed et qui suarum urbium muros servassent.

788 *Invictusque mora Fabius*] In veriloquio nominis Fabiæ gentis Adamantium Martyrium sequitur Scaliger. Is putat dictos Fabios, sive Favios, a favia; quo modo fovea a veteribus dicebatur. At contradicunt veteres magno consensu, qui a faba, lente, piso, cicere, Fabios, Lentulos, Pisones, Cicerones dictos tradunt. Prisci enim Romani rustici fere erant, et agricolæ. Rusticum quoque Virgiliæ gentis nomen, a virgulis, hoc est, ramis arborum. A virgula Virgilius, ut a famulus, familia; a consulo, consilium.

798 *Quod regit Augustus*] Miratur Scaliger dicere Manilium, cœlum regi ab Augusto, quo nondum fruebatur. Meminisset Horatiani hujus, 'Hac arte Pollux, et vagus Hercules Innixus arces attigit igneas, Quos inter Augustus recumbens Purpureo bibit ore nectar.' Constat porro sibi Manilius, cum ait de pugna Actiaca sub finem libri hujus, 'et in ponto quæsitus rector Olympi;' quod perperam sumsit Scaliger; nam *quæsitus* interpretatus est invocatus; cum sensus sit pugna illa navali quæsitum esse, quis summæ rerum præesset. Sic deinde Manilius, 'Sit Roma sub illo, Cumque Deum cœlo dederit, non quærat in orbe:' et in calce l. IV. 'Jam facit ipse Deos, mittitque ad sidera numen, Majus et Augusto crescit sub principe cœlum:' et l. V. 'Et in ponto cœli fortuna natabit.'

803 *Sunt alia adverso pugnantia sidera mundo*] 'Ἰδιωτίζει, nam τῷ παντὶ nihil contrarium.' Verba sunt Scaligeri, quibus ἰδιωτισμὸν ipse suum prodit. Mundus hoc loco ponitur pro cœlo, ut alibi sæpe. Cœlum autem non est τὸ πᾶν. Ceterum cœlo pugnant planetæ, qui cœlesti motui diurno contraëunt. Sic alibi, 'Atque alia adverso luctantia sidera mundo.' Et deinde, 'Per bissena volant contra nitentia signa.' Rursum, 'Et quinque adverso luctantia sidera mundo.' Item, 'Æternum et stellis adversus sidera bellum.'

807 *Ac prius incipiam*] Hermes in Carpo laudatur a Scaligero. Atqui Ptolemæus auctor est Carpi, non Hermes. Fertur quidem sub Hermetis nomine libellus centum apho-

rismos complexus, unde et titulum habuit. Cum autem totidem constet aphorismis Ptolemæi Carpus, qui propterea Centiloquium vulgo appellatur, hinc natus error.

810 *Vigeat quandoque*] Hoc est, et quando vigeat. Sic sæpe Manilius.

836 *Nunc prior hæc species diversus crinibus exit*] *Exit*, hoc est, abit, mutatur, desinit.

865 *Ob juncta creavit*] Miratur Scaliger non resumere Manilium quod supra dixerat, 'Sunt autem cunctis permixti partibus ignes,' quippe hoc concludendum fuisse. Verò, et conclusit quidem Manilius, cum dixit, 'Ne mirere faces,' &c. Præterea hæc ipsa sunt velut conclusio superiorum.

882 *Qualis Erechtheos, &c.*] Præter Thucydidem, Lucretium, et Virgilium, quos commemorat Scaliger, Ovidius etiam et Silius in pestilentiæ descriptione sese exercuerunt.

888 *Et coacervatis ardebant corpora membris*] Hypallage; Et coacervatis corporibus membra ardebant.

905 *Nec plura alias incendia mundus, &c.*] Hæc primi libri pars postrema ad exemplum postremæ partis lib. I. Georgicon Virgilii manifesto composita est.

LIBER II.

13 *Et chaos enixum terras*] Dicam scribit Manilio Scaliger, quod falso dixerit Hesiodum scripsisse Terram ex Chao genitam. En tibi verba Hesiodi, Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα Γαῖ' εὐρύστερνος· Atqui cum Chaos primo extitisse dicat, deinde Terram, credi potest id sensisse, Terram posteriorem Chao antiquiore esse prognatam. Sic intellexit Johannes Diaconus: 'Ἡσίοδος γεννᾷ τ' ἄλλα ἐκ τοῦ ὕδατος, καὶ ἀρχαιότερον πάντων, ὡς ἀπὸ τῆς χύσεως παρονομάσας χάος . . . ἔπειτα δὲ ἡ γῆ παράγεται μετὰ τὸ χάος· εὐλόγως· τοῦ γὰρ ὕδατος πυκνουμένου μὲν καὶ εἰς δυσχερεστέραν φύσιν συνισταμένου, παχύ τι καὶ γεωδέστερον τὸ συναγόμενον γίνεται· Ubi cum id censuisse Hesiodum doceat, Chaos aquam esse, ex eaque compressa et densata Terram extitisse; omnino credidit id sibi velle Hesiodum, ex Chao Terram esse genitam. Quam opinionem Manilium quoque videmus esse secutum.

14 *Et primum titubantia sidera corpus*] 'Nihil tale,' inquit Scaliger, 'in Theogonia Hesiodi.' At ista tamen illic legimus, Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ Οὐρανὸν ἀστερόεντα· Alio loco Solem, Lunam, et Auroram Hyperione et Thia procreatos esse canit, Astræo vero et Aurora Luciferum, atque astra reliqua. 'Titubantia sidera' appellat Manilius, metaphora ducta ab infantibus, qui pedibus suis consistere nequeunt, et in gradiendo titubant ac vacillant; quasi astra recentia nondum gressus suos, ob infantiam, figere didicissent.

15 *Titanasque senes*] 'De Titanibus nihil in Theogonia,' inquit Scaliger. Mirare præceps hominis et confidens ingenium. Titanum ortus, casus, pugnas, pœnas adeo prolixe narrat Hesiodus, ut vix ullo argumento plus se oblectasse videatur. Cunabula quoque Jovis non perfunctorie narravit.

16 *Sine fratre parentis*] Scribit hic Scaliger cecinisse poëtas omnes Junonem sine Jovis opera Vulcanum pe-

perisse; præter Hesiodum, cujus et versus affert, Ἥρη δ' Ἥφαιστον κλυτὸν, ἐν φιλότητι μιγεῖσα, Γείνατο, καὶ ζαμένησε, καὶ ἤρισεν ᾧ παρακοίτῃ· Contra vero scholiastes Hesiodi, οὗτος δὲ τὸν Ἥφαιστον ἐκ μόνης Ἥρας εἰσάγει· ὁ δὲ Ὅμηρος ἐκ Διὸς καὶ Ἥρας. Non poterat apertius Scaligerum redarguere, quam cum dixit Hesiodum ex sola Junone Vulcanum natum finxisse, Homerum vero ex Jove et Junone. At Johannes Diaconus in Allegoriis ait scripsisse Hesiodum Jovem ex Junone Vulcanum procreasse. An ergo ex iisdem verbis contraria colligere potuerunt interpretes? minime sane; at diversa legerunt; et Johannes quidem Diaconus ea quæ extant in recentioribus editionibus; scholiastes vero isthæc, Ἥρη δ' Ἥφαιστον κλυτὸν οὐ φιλότητι μιγεῖσα Γείνατο· Atque hanc legitimam esse scripturam sequentia declarant; καὶ ζαμένησε καὶ ἤρισεν ᾧ παρακοίτῃ; quibus causam affert, cur Juno sine Jove Vulcanum ediderit, quia nimirum rixæ inter eos erant. Et sic legisse Manilium verba ipsius ostendunt. Accedunt præterea fidejussores, eruditi illi Apollonii scholiastæ, qui ad hæc e lib. I. Argonauticon, ἔξοχα δ' ἄλλων Ἀθανάτων, Ἥρης υἷα κλυτὸν, sic disserunt, Ἡσιόδῳ ἐπικολουθήσεν, ἐξ Ἥρας μόνης τὸν Ἥφαιστον λέγοντι γεγενῆσθαι· Ἥρη δ' Ἥφαιστον κλυτὸν οὐ φιλότητι μιγεῖσα Γείνατο· Ὅμηρος Διὸς καὶ Ἥρας φησὶν αὐτόν.

29 *Solventemque patrem*] Non intelligere se istud fatetur Scaliger, quod in astrothesia Cepheus Andromeden non solvat. Atqui id non pertinet ad astrothesiam, sed ad originem et causam astrothesiæ: dixit enim supra 'causasque tulere,' nempe cum post cetum a Perseo interfectum Cepheus pater, vel de Cephei licentia, Perseus Andromeden vinculis exemit. A Perseo enim solutam esse tradit Lucianus, a Cupidine Philostratus, quod idem est. Ut hic autem, sic et lib. V. Manilius a Persei et Andromedæ asterismis descendit ad eorum historiam, prout in terris fingitur contigisse. Quæcumque autem illic narrat, si quis ad cœlestes has formas exigat, errabit.

32 *Spolioque Leonem*] Hoc est, propter eam pugnam, in qua ab Hercule victus et spoliatus est.

43 *Ecce alius pictas volucres, &c.*] Quæ hic commemorat Manilius, a tribus diversis auctoribus descripta esse indicat. Alius, inquit, refert pictas volucres et bella ferarum, ille venenatos angues, hic fata nata per herbas. Igitur uni Æmilio Macro hæc esse tribuenda haudquaquam cum Scaligero censuerim. Nicandrum in his videtur designare.

58 *Soloque volamus In cœlum curru*] Et paulo post, 'Sed solus vacuo veluti vectatus in orbe Verbere agam currus, non occursantibus ullis, Nec per iter socios commune regentibus actus.' Virgilius, 'Juvat ire jugis qua nulla priorum Castaliam molli divertitur orbita clivo.' Propertius, 'Quo me fama levat terra sublimis, et a me Nata coronatis Musa triumphat equis: Et mecum in curru parvi vectantur amores.' Statius de Lucano, 'Rapidum poli per axem Famæ curribus arduis levatus.'

76 *Nec pelagus fontes*] Vulgatam opinionem prosequitur. Verum aliam quoque esse fontium originem certissimis argumentis deprehensum est.

93 *Sic summersa fretis, concharum, &c.*] Fuit ea veterum opinio, ad hanc usque ætatem deducta, crescente luna augeri corpora animalium; minui, decrescente. Sed vereor ut certa et constanti experientiæ fide nitatur. Sæpe equidem mitulorum, astacorum, cammarorum, pagurorum, cancrorum, caridum conchas, et quadrupedum complurium medullas rimatus sum diversis lunæ temporibus, neque ullam deprehendi mutationem, quam ad lunam certo possem referre. Nam id propter alias causas sæpe contin-

gere certum est; vel propter diversas anni tempestates, vel propter animalium morbos, aut famem diuturnam, aut immodicos labores, aliave hujusmodi plurima. Quid quod in India ferunt crustaceos hujusmodi pisces extenuari pleniluniis, interluniis pinguescere? Retinenda est in his rebus assensio, quoad certioribus experimentis exploretur veritas, et res ipsa auctor detur.

120 *Ac terras, cœloque fretum, &c.*] Versum hunc carere sensu, et si quis ex eo sensus elici possit, nihil ad Manilii propositum facere Scaliger pronuntiat. Aio contra optimum ei inesse sensum, hunc videlicet, hominum ingenium, cœlum et cœlo subjectas terras ac maria, et quæ mari ac terræ subjecta sunt, penetrare et cognoscere beneficio solertiæ a natura ei inditæ. Hoc autem conducit ad institutum Manilii, qui cœli ac siderum vim et efficientiam, qua in hunc terrestrem orbem, totiusque mundi compagem pollent, explicare aggressus est. Supra hoc libro, 'Namque canam tacita naturæ mente potentem, Infusumque Deum cœlo, terrisque, fretoque.'

140 *Nec per iter socios commune regentibus actus*] Ipsas curruum ἐλάσεις intelligit, non spatia illa agrorum, quibus pecudes aguntur, ut existimavit Scaliger.

161 *Queis sunt collegia*] Collegium de duobus dici apud Livium sæpe observavimus.

175 *Quin etiam Erigone, &c.*] Ut alia astra quæ tropica præcedunt, pisces nempe, gemini, et sagittarius, biformia dicuntur; non solum quod duplices vires, sed etiam quod duplicem formam obtineant, par quoque virgini forma tribuenda fuit: uti reipsa tributa est a Manilio infra hoc libro, 'duplicemque in virgine formam:' alis quippe instructa fingitur. Itaque duplicem formam habet, virginis et avis. Dicamus ergo memoria lapsum esse Manilium, cum scripsit, 'Nec facie ratio duplex;' vel supplendum est 'solum,' ut hæc sit sententia, virgo non facie solum duplex est, sed et viribus.

212 *Et sua respiciens aurato vellere terga*] Sic lib. I. 'Aurato princeps aries in vellere fulgens Respicit, admirans aversum surgere taurum:' et lib. IV. juxta emendationem Scaligeri, 'Et cervice prior flexa quam cornibus ibit.' Sic pingi solet aries terga respiciens, et tres illæ insignes stellæ, quæ in occidentem spectant, cornibus ejus attribuuntur. Atque hunc morem vetustum esse liquet. Perverse tamen id factum censeo: nam cum ex stellarum situ figuras illas imaginati sint prisci astronomi, certum est tres illas stellas arietinum caput, recta in occasum spectans, repræsentare: adeo ut lucida illa borealis, quæ est in dextro cornu, oculum; quæ in sinistro cornu, nares; quæ in auricula, os referat. Quod nos vel pueri observabamus, antequam ex globi cœlestis inspectione accuratiorem siderum notitiam haberemus. Suspicionem nostram egregie confirmat vetus kalendarium rusticum Farnesianum, in quo aries eo situ pingitur quem dixi; occasum videlicet, non terga respiciens. Confirmat et quod inferius subjicit Manilius, arietem currentem pingi: vix enim, ac ne vix quidem pecus ulla currens terga sua respicere possit. In quo iterum peccant, qui procumbentem arietem pingunt. Vulgarem globorum illorum technicorum et mapparum astrothesiam in multis a veteri et a cœlo ipso discrepare deprehendimus.

233 *Parsque mari nitens fundentis semper aquari*] Quamvis Manilius scripserit lib. V. 'Nunc subit arcitenens, cujus pars quinta nitentem Arcturum ostendit ponto;' hoc tamen loco, quem habemus in manibus, partem aquarii mari nitentem, aquas

esse ex situla aquarii fusas non possum fateri, propter repugnantem modulum syllabæ prioris, in vocabulo *nitens*. Præterea mira hæc esset locutio: nam si *mare* hic ponitur pro aquis, et *pars mari nitens* sunt aquæ ipsæ ex urceo cadentes, tantundem esset ac si dixisset, aquæ aquis nitentes. Aliud voluit Scaliger, cum lectionem hanc invexit; nempe partem corporis inferiorem in aquis latere, et mari niti, hoc est, in mari incedere. Unde colligit aquarium olim pingi solitum fuisse eminentem extra aquas parte aliqua corporis. Quod non ita est, nec assentiuntur formæ veteribus kalendariis impressæ. Dicendum potius mari niti aquarium, quod supra aquas ex urna ipsius profluentes gradiatur; nam pedibus eas calcare fingitur. Atque hæc est legitima loci sententia, si Scaligeri lectionem sequimur. Verum si recurramus ad priscos codicum apices, quos Scaliger interpolavit, scriptum reperiemus, *Parsque marina nitens*. Partem marinam intelligere possumus aquas e vase erumpentes. Duæ enim partes in hoc signo spectandæ sunt, quas et infra distinguit Manilius, cum ait, 'Piscibus Erigonen, juvenique, urnæque leonem.' Juvenis et urna unum aquarii signum constituunt. Quæ quamvis recte se habent, aliud tamen vetustatis monumentum hic latere suspicor. Docet nos Eubulus apud Hyginum, Cecropem signo hoc fuisse notatum. Hunc autem διφυῆ dictum esse notum est; vel quod utroque polleret sexu; vel, juxta alios, quod superna parte homo, inferna draco esset. Cujus fabulæ variæ causæ afferuntur. Mihi verisimile fit, quod mari ex Ægypto in Atticam pervenerit, superiore parte hominem, infima piscem συμβολικῶς esse pictum, quo modo Tritones pingi solent. Hoc si sit, jam dubium non erit ecquam ejus partem marinam nitere Manilius voluerit. Ceterum notent grammatici illud *fundentis*, absolute positum; ut et infra, 'Crurum fundentis aquari Arbitrium est:' cum alias addat 'sinum,' 'aquas.'

239 *Nec capit, aut captos effundit aquarius ortus*] Insunt versui huic Veneris monumenta nefandæ, quam cum Catamito exercere Jupiter fingitur: nec patitur pudor noster ut pluribus hæc explicemus.

251 *Libra sub emerito considens orbe laborum*] In globis vulgaribus astronomorum, et in uranometria Bayeri, libra depressis et prostratis lancibus exhibetur. At olim ex libripendis manu suspensa pingebatur. 'Humana est facies libræ,' inquit Manilius. Consentit et forma quam obtinet in kalendario Farnesiano. Ægyptii nugarum illarum inventores stantem libripendem pingebant, gerentem in dextra libram, in sinistra decempedam. Stat et in illo kalendario; cum sedentem Manilius repræsentare videatur. Hoc officium libræ gestandæ Augusto sua ætas, adulandi artibus jam sese erudiens, delegavit. Sed quid hoc est, *sub emerito orbe laborum?* An id sibi vult, considere libripendem quietis capiendæ causa, post gestum munus, quod ex intervallis soleat repetere? Dixit Virgilius, 'Redit agricolis labor actus in orbem.' An potius *orbem laborum* appellat zodiacum, quod in eo curricula sua exerceant planetæ: emeritum vero, quod propter justitiam suam in eum referri meritus sit gestator ille libræ? Sic supra 'emeritum mundum' dixit.

292 *Et hunc læva*] Scaliger in hunc locum: 'Libræ dexter cancer, cancro capricornus, capricorno aries, arieti cancer.' Hæc adeo absurda sunt, ut tanto viro non putem excidisse. Credamus potius sic scripsisse, 'Libræ dexter cancer, cancro aries, arieti capricornus, capricorno libra.'

293 *Semper enim dextris censentur signa priora*] Hoc est, dextris accen-

sentur, annumerantur. Quod non assecutus est Scaliger, proptereaque mirum ipsi visum est et insolens.

317 *Transibit numerus formam*] Hoc est, figuram. Livius, 'Archimedes intentus formis.'

325 *Sin summa prioris*] Hæc, quamvis levia, in gratiam tamen tironum scripta sunt a Manilio, ut intelligant trigona, et tetragona, aliosque σχηματισμοὺς ducendos esse, non a signis ad signa, sed a partibus signorum ad pares signorum partes. Ceterum levia hæc, ut voles, vera sane sunt et perspicua; quæ Scaliger, ut alia pleraque auctoris hujus, περιεργίᾳ ipse sua opacavit et intricavit. 'Quis concedat Manilio,' inquit, 'ab ultima capricorni ad primam arietis, quatuor signa comprehendi? Sunt enim sexaginta partes tantum exclusive, sexaginta et una inclusive, ut vulgus loquitur.' In his et sequentibus facit nos intelligendo, ut nihil intelligat. Ab ultima capricorni ad primam arietis sunt quatuor signa inclusive; (utamur enim vocibus plebeiis;) nempe capricornus, aquarius, pisces, aries: duo vero exclusive, nempe aquarius et pisces.

356 *Visus eorum*] Sic Censorinus, qui et 'visiones' dixit et 'conspectus,' pro eo quod vulgo aspectus dicimus. Græci utuntur verbo βλέπειν, unde ζώδια ἐβλεποντα, vox Firmico familiaris.

368 *Sexque per anfractus curvatur virgula in orbem*] Nescio quid hic de peripheriis segmentorum somniat Scaliger, de quibus non cogitavit Manilius. Loquitur de hexagono, quod circulo inscriptum est, ut supra de trigono et tetragono. Angulos eleganter appellat *anfractus*: nam, juxta Varronis originem, fit ea vox ab *ambitu* et *frangendo*; vel, quod verius est, ab *amfringo*, quod est circumfringo. Ergo *virgula*, hoc est, linea, frangitur, et sex angulos efficit, donec orbem compleverit. Fraudi Scaligero fuit dictio *curvatur*, qua circuli curvamen significari censuit, cum pertineat ad flexuram hexagoni circulo inscripti, quæ curvaturam circuli sequitur et imitatur.

365 *Quo te, capricorne, rigentem*] Pro, a quo; nam supra, 'a tauro;' infra, 'a te.'

366 *Adversaque tauro Sidera*] Legendum omnino, *aversaque tauri Sidera*. Supra, 'Respicit admirans aversum surgere taurum;' et lib. II. 'Cernis ut aversus redeundo surgat in arcum?' Infra, 'Quique sub aversi numeratur sidere tauri:' deinde, 'Temporis averso nascentis sidere tauri.' Rursum de tauro, 'Aversus venit in cœlum.' Iterum, 'Taurus in aversos præceps ut tollitur ortus.' Cum autem dixerit latera hexagoni a tauro venire in cancrum, ab hoc in virginem, dein in scorpium, tum in capricornum, ab eo in pisces; postremum hexagoni latus omnino cadere debet in aversa tauri sidera. Quocirca de emendatione hac dubitandum non est.

375 *At quæ succedit*] Antea editum erat, *Et quæ succedit*. Mutavit id Scaliger, quia non intellexit. Pergit Manilius loqui de hexagonis. Cum dixerit autem superiore versu tertia signa condita esse recessu convexo cœli, subjungit lineam, hoc est, latus hexagoni, quæ succedit et attingit sidera illa tertia, cœlo proximam esse et velut connexam, quod singula tantum et una astra transmeet: nam quæ succedit, hoc est, subtenditur a primo signo ad tertium, puta a primo puncto arietis ad primum geminorum, transmeat tantum taurum; videlicet exclusive, ut loquuntur; exclusis nempe ariete et geminis. Sic supra dixit, 'alterno divertitur angulus astro,' hoc est, alterno transmisso. Et paulo post, 'a tauro venit in cancrum,' nimirum transmissis geminis. Firmantur isthæc ex iis quæ proxima subeunt, fœdus esse tertiis illis signis sub lege propinqua, nec diversum

illis esse genus, quippe servato astrorum ordine mascula sex respondere masculis; totidem fœminea fœmineis; alterna alternis, hoc est, tertia tertiis. Igitur arietem inter et geminos fœdus est, quod masculi sint; est et inter taurum et cancrum, quod fœminei sint. Ac proinde latus hexagoni, quod sidera hæc connectit, etsi infirmum est, propter distantiam suam a terris; quia tamen signa cognata conjungit, idcirco vi aliqua et efficientia pollet. Vera hæc est mens Manilii, quam misere obscuravit et confudit Scaliger; nam putavit Manilium desita de hexagonis disputatione, aliam aggredi περὶ τῶν ἀσυνθέτων, καὶ ἀβλέπτων, καὶ ἀσχηματίστων, nempe μοναχῶν καὶ συναφῶν· Falsum id esse liquet ex eo quod proxime instituit disputationem περὶ τῶν συναφῶν, cum ait, 'Jam vero nulla est hærentibus addita signis Gratia.' Deinde si linea illa quam cœlo connexam esse ait Manilius, ea intelligenda est, quæ uni dodecatemorio subjacet, verbi gratia a primo arietis ad primum tauri, ut μοναχὸν et singulare signum comprehendat; vel quæ a decimo arietis ad decimum tauri pertinet, ut signa συναφῇ connectat; hæc utique linea attingit signa diversi generis, cum aries masculinus sit, taurus fœmineus: cum e contrario diserte pronuntiet Manilius, lineam de qua agit, signa attingere ejusdem generis: 'Sed tamen est illis fœdus sub lege propinqua, Quod non diversum genus est.'

386 *Nam consensus hebet, quia visus ademtus*] Signa hærentia nullum inter se consensum habent nec gratiam. Rationem subjicit Manilius, quia visus illis ademtus est, hoc est, quia sunt ἄβλεπτα καὶ ἀσχημάτιστα; sive, ut vulgari genethliacorum more loquar, quia non faciunt aspectum. Clarissima hæc erant, neque indigebant notatore Delio; in hac tamen disputatione de ableptis insignis est Scaligeri ἀβλεψία· 'Nulla,' inquit, 'linea defluit ad visum nostrum: ἄβλεπτα potius dicta, quia a nobis non videntur, quam quod se non videnti.' Aries et taurus signa sunt hærentia et ἀσύνθετα, quæque propter vicinitatem se non respiciunt; utrum credere satius est, ἄβλεπτα ideo dicta esse, an quod ea non videmus, ut vult Scaliger? An arietem, an taurum non videmus? Tantum virum tantum cæcutire mirabile sane est.

387 *In se ducta ferunt animos, quæ cernere possunt*] Medicinam facio loco huic parva mutatione. Lego, *In seducta ferunt animos, quæ cernere possunt.* Signa illa, quibus gratia non est cum proximis suis, quod ea videre non possint propter viciniam; eadem signa cum *seductis*, id est, remotis signis, quæ videre possunt, consentiunt. Nihil hic vidit Scaliger.

388 *Sunt et diversi generis, &c.*] Pergit loqui de signis hærentibus et conjunctis, quæ dixerat inconvenientia esse, quod conspectus illis sit ademtus: nunc aliam discordiæ et ἀσυμφωνίας causam addit; quod sint diversi sexus. Quæcunque in quatuor hos versus disserit Scaliger, πάνθ' ἑλικτὰ sunt; præcipue quæ in hunc scripsit, 'Tertius absumto ductus non sufficit orbe;' quem feliciter exposuit doctissimus Bullialdus, et Scaligeri supinitatem castigavit.

486 *Audit se*] Sic disserit Scaliger in hunc locum: 'Tropica ambo cancer et capricornus se invicem vident.' Falsum hoc est; cancer se ipse videt, se ipse capricornus; invicem se non vident, sed audiunt. Scripserat procul dubio Scaliger, 'Tropica ambo cancer et capricornus se invicem audiunt, non autem se invicem vident.' Quemadmodum paulo post scripsit, 'Ideo se vident mutuo libra et aries, non autem mutuo sese audiunt.'

491 *Indutusque Jovi*] Jupiter induerat tauri formam, non taurus Jo-

vis. Igitur Jupiter indutus erat tauro, non taurus Jove. Perperam ergo opinatur Scaliger *Jovi* hic positum auferendi casu, pro *Jove*. *Indutus* hic usurpatur pro, circumpositus, circumdatus. Taurus Jovi circumjectus erat. Sic veteres dixerunt, induere se vallis; vestes humeris, torquem cervici induere.

496 *Cancri captatur aquarius astro*] Exponit Scaliger, 'cancrum amat aquarius;' et olim ita interpretabar; nam infra scribit Manilius de aquario, 'sublimemque colit cancrum;' hoc est, amat: et qui amat, 'amore captus' dicitur. At contra se res habet ac putabam; nam sensus est, cancrum insidiari aquario, et fraudem illi nectere, ut loquitur Manilius. *Captare* autem hoc ipsum significat. Plautus, 'Cur me captas? Astute mihi captandum est cum illo.' Dicimus autem eum amore capi, qui amat, non amore captari; multo etiam minus *captari*, sine adjuncto.

509 *In Augusti felix qui fulserit ortum*] Quærit Scaliger, quomodo Augustus et Agrippa, dum Apolloniæ versarentur, Theageni mathematico geniturarum suarum tempora edere potuerint, in tanta confusione anni Romani, tot tamque frequentibus intercalationibus perturbati. Nos respondemus fieri potuisse, ut nascentibus illis horoscopantia signa et solis ac lunæ loca notata sint. Id vel maxime persuadet Dio, cum narrat, Augusto recens nato, Nigidium Figulum Octavio patri dixisse, 'Dominum nobis genuisti.' Ergo genituram suam ignorare non potuit Augustus; cujus et insignem notam nummis impressit, et cujus thema vulgavit, quamque carminibus suis Manilius et Germanicus celebrarunt. Verum cum themati huic non consentiat tempus genituræ a Suetonio assignatum IX. kal. Octobris, paulo ante solis exortum, M. Tullio Cicerone et Antonio coss. verisimile est adulteratam fuisse dictionem *Octobris*; quæ cum decurtata et contracta esset, uti fieri solet in notis temporum ascribendis, facile labem admisit.

542 *Et libra, et gemini piscis quos protulit unda*] Sublata conjunctione totam rem Scaliger intricavit. Nam cum duodecim signorum hostes ordine percenseat Manilius, cur libram extra locum suum commemorasset, cujus hostes infra est editurus? Sensus autem est, arietis hostes sunt virgo, libra, et pisces. 'Gemini piscis undam' dixit περιφραστικῶς, pro piscibus.

549 *Quique sub adversi numeratur sidere tauri*] Lege *aversi*. Ut supra, 'adversaque tauro Sidera,' emendavimus *aversaque tauri*.

551 *Hostis, sed totidem bellum subscribitur astris*] Repono, *Hostis, et in totidem bellum subscribitur astra*.

554 *Maxima turba petit*] Ut vitiose hæc interpunxit Scaliger, ita et male interpretatus est. Maxima turba petit libram, non capricornum. *Maxima turba* idem est ac magnus numerus signorum libram oppugnat, nempe quinque. Vana hic est ergo Scaligeri argutatio de turba optima maxima, et de signis λογικοῖς.

562 *Natura et lege jubente*] Nimis quoque hic argutus est Scaliger: nam cum hæc signorum odia ἀναιτιολόγητα sint, frustra causas scrutatur, quæ nullæ sunt. Quod autem partus sagittarii deprimere volunt gemini, virgo, libra, et aquarius, non id propterea fit quod quatuor hæc λογικὰ sint, at sagittarius ex λογικῷ et ἀλόγῳ conflatus: nam virgo, ut supra monui, signum quoque est biforme, ex avis et puellæ natura compositum.

582 *Pectore amicitiæ*] Hoc est, pectore amico. Sic sæpe Plautus, 'Sarapis sementium,' pro Sarapide sementino: 'cibus perennitatis,' pro cibo perenni. Juvenalis, 'bellorum animæ,' pro animis bellatricibus. Figura Ebræis familiaris.

584 *Lis una fuit per sæcula mortis*] Id ita interpretatur Scaliger, 'Unum par amicorum succurrit, qui-

bus nullum jurgium intercessit, præter unam litem mortis.' Item, '*Per secula*, hoc est, in toto vitæ suæ tempore unam tantum litem hanc mortis habuerunt.' Fallitur; nam sensus est, per omnes retro ætates unicam litem hujusmodi extitisse; nam proxime dixit nihil rarius a natura fuisse creatum pectore vere amico; unum extitisse Pyladem, unum Orestem, qui se quam amicum mori mallent.

601 *Et fas atque nefas, mixtum, &c.*] Totum hunc locum ex primo Georgicon Manilius expressit.

619 *At cum lanigeri partu, &c.*] Hunc versum et sequentem sic restitui velim, *At cum lanigeri partu sub utroque trigono, Non partes, sed rara gerunt pro tempore bella.* Hoc est, nati sub utroque trigono, *Non partes, sed rara gerunt pro tempore bella.* Hoc est, Nati sub utroque trigono, leone nempe et sagittario, non semper fœdus ac partes consociant cum natis sub ariete; sed aliquando, licet raro, cum iis bella gerunt.

641 *Sic erit ex signis odium, &c.*] Frustra versum hunc, cum proximo, solicitat Scaliger; nam etsi quæ ad pacem ex signis pertinent nondum penitus absolvit, tamen hoc συμπέρασμα ex superioribus jure potest colligere; præsertim si Manilius scripsit, *in ternis*, hoc est, sub trigonis, ut vult Scaliger: nam manifesto hæc est conclusio disputationis de triplicitatibus. Quanquam rectè legi potest, *in terris;* ac si dixisset, quicunque in terris nascuntur, huic legi trigonorum sunt obnoxii.

665 *Nec metuit sine corpore quemquam*] Subaudi, adjuncto.

675 *Quotquot cardinibus propriò quadrante moventur Proxima*] Hoc est, astra quæ proxime accedunt ad cardines, et in suo quæque quadrante moventur, viciniæ jus continent. Minime autem hic intelligendi sunt cardines anni, sive puncta tropica, quod facit Scaliger; sed cardines geniture, κέντρα γενέσεως, quæ cuspides appellantur. Cardinibus illis inest jus cognationis. Ad eos qui proxime accedunt loci, sive ἐπαναφοραὶ, sive loci succedentes, vicinitati præsunt. Tertii loci a cardinibus geniture, qui loci dejecti dicuntur et ἀποκλίματα, hospitibus jura dicunt.

674 *Sic astrorum servabitur ordo*] Rationes hic quoque male subducit Scaliger: nam quatuor νόμιμα poni vult a Manilio, cognationem, affinitatem, viciniam, et hospitalitatem; et affinitatem quidem ab eo assignari trigonis, cognationem cardinalibus signis quadratorum, viciniam secundis, hospitalitatem tertiis. Quæ longe absunt a mente Manilii. Nam primum amicitiarum jus omittit Scaliger, quod trigonis Manilius ascribit, 'cognata quadratis Corpora censentur signis, et amica trigonis.' Deinde distinguit affinitates a cognationibus, easque trigonis attribuit Scaliger. At Manilius cognationes et affinitates ad signa cardinalia quadratorum ex æquo vult pertinere: 'Sic quæcunque manent quadrato condita templò Signa, parem referunt numeris aut tempore sortem; Ac veluti cognata manent sub fœdere tali. Idcirco affines signant, gradibusque propinquis Accedunt, unaque tenent sub imagine natos.'

731 *Proxima tricenas partes sententia ducit*] Existimavit Scaliger duplicem hic a Manilio fuisse propositam rationem investigandorum dodecatemoriorum; et primam quidem ab hoc versu, 'Hæc quoque comperta,' &c. secundam ab illo, 'Proxima tricenas,' &c. Ego unicam tradi puto; quam enim primam esse vult, ea manca et imperfecta est. Nam cum jubet Manilius partem signi, in qua luna constiterit, duodecies geminari, tum signo illi, atque item sequentibus, suas unicuique partes attribui, nemo certum inde rei conficiendæ modum queat cognoscere. Deindè nec integra est, quæ sequitur, ad cognoscendum dodecatemorion præcep-

tio; qua sancit, ut tricenæ detrahantur partes; tum ubi numerus deficiet, quæ supererit summa, distribuatur in duas partes cum dimidia, atque hinc exceptus numerus sequentibus signis ascribatur, et futurum illic lunæ dodecatemorion, ubi cadet numerus. Hæc, inquam, præceptio integra non est: unde enim colligentur tricenæ illæ partes? Unde detrahentur? Sane id primum dictum oportuit, nec infitiatur Scaliger. Præterea qui in hanc opinionem præcipitem dedit Scaligerum versus iste, *Proxima tricenas partes sententia ducit,* aliud omnino significat ac videtur; nec enim alteram et diversam sententiam notat: verum is est loci sensus, sententia hæc quam propono detrahit deinde tricenas partes. *Proxima* enim, nomen est pro adverbio, quæ figura poëtis familiaris est. Manilius ipse lib. I. 'Ultima ad Hesperios infectis volveris alis:' pro postremo, denique. Et lib. IV. 'Hic tibi nascetur cum primus aquarius exit:' pro cum primum, statim atque. Virgilius, 'Ubi concubitus primos jam nota voluptas Solicitat:' quo loco Philargyrius, '*Primos*, poëtice pro primum.' Idem, 'Primo depulsus ab ubere matris.' Et alibi, 'Ut cum prima novi ducent examina reges.' Ubi Philargyrius, '*Prima* hic, pro primum; nomen pro adverbio.' Ovidius, 'Copia cum facta est adeundi prima tyranni.' Item, 'Fac monitis fugias otia prima meis.' Silius, 'primamque intraverat urbem.' Statius, 'Ut subitus vates pallentibus incidit umbris:' pro, subito. Juvenalis, 'Interdum et ferro subitus grassator agit rem:' item pro subito. Valerius Flaccus, 'Prima Deum magnis canimus freta pervia nautis.' Idem, 'Serum ut veniamus ad amnem Phasidis:' pro sero. Et alio loco, 'Modo nostra prior tu perfice jussa:' pro prius. Item, 'Prior ense sequaci Æquat humo truncos.' Ausonius, 'Quarta in sede viget primi indulgentia solis.' Non piguit hæc ascribere, et plura in hujus rei probationem testimonia colligere, quia consimiles poëtarum multorum locos perperam a multis sumi et exponi video. Similiter igitur apud Manilium, 'Proxima sententia ducit,' tantundem valet ac, proxime, deinde sententia ducit. Quæ si vidisset Scaliger, verum loci sensum non pervertisset. Adde quod, si sententia hæc, quæ Scaligero gemina visa est, uni reddatur formæ, egregie coalescet; prior enim cauda, posterior capite caret, et luna in utraque assumta est in exemplum.

745 *Quandoque locatæ*] Id est, et quando; ut supra jam observavimus. Spectare decebit in quo dodecatemorio, et quando, stellæ locatæ fuerint. Quasi dicat, accurate observanda sunt locus et tempus.

747 *Cujus enim stellæ fines, &c.*] Quæ hic scripta sunt a Scaligero de terminis planetarum, neque pertinent ad hunc locum, et valde confusa sunt, neque consentiunt iis quæ infra traditurus est in præceptis doctrinæ Manilianæ, ad inveniendum dodecatemorion dodecatemorii. Id sibi vult Manilius, dodecatemorion quodlibet constare gradu sestertio, hoc est, duobus gradibus cum semisse, sive quinque dimidiis gradibus, quot sunt planetæ, Saturnus, Jupiter, Mars, Venus, Mercurius: nec enim veniunt in hunc censum sol et luna. Singuli hi dimidii gradus singulis assignantur planetis. Ad hos gradus sibi proprios ubi pervenerunt planetæ, majore vi pollent. Itaque multum interest cognoscere fines, hoc est, locum planetæ proprium in quolibet signo: nam si in suo dodecatemorio reperiatur, plurimum illi accessisse roboris intelligetur. Jam ergo triplex dodecatemoriorum genus proposuit Manilius; primum signa quælibet zodiaci; deinde duodecimas partes quorumlibet signorum, sive

gradus sestertios; demum quintas partes, sive singulos gradus dimidios secundorum dodecatemoriorum. Hæc clara erant, si non iis Scaliger tenebras affudisset, qui non doctrinam suam ad Manilii illustrationem, sed Manilium ad doctrinæ suæ ostentationem accommodare solet.

823 *Fundamenta tenet rerum*] Hinc Cicero 'fundatissimam familiam' dixit, quæ erat ditissima.

868 *Utraque præterita, &c.*] Contra fidem manuscriptorum codicum et editionum legi vult Scaliger, *Ut quæ.* Quod quam vanum sit, cognosce. Loquitur Manilius de duodecima domo et sexta. Utraque est ἀπόκλιμα. Apoclimata autem loci dejecti appellantur. Duodecima et sexta domus oppositæ sunt. Hanc sequitur occasus, illam ortus, sive horoscopus. His positis, plana omnia fiunt. Ait Manilius, duodecimam domum, quæ est super ortum, esse infelicem; sextam, quæ est sub occasu, opposita duodecimæ, æque esse infelicem, ne hac parte horoscopo præstet occasus; utramque esse dejectam, quippe ἀπόκλιμα, sive locum dejectum; utramque esse portam laboris, nam duodecima ascendit ab horoscopo, cadit sexta ab occasu; quod utrumque, ascensus videlicet et descensus, laboriosum est.

872 *Præceps hæc, illa superne Pendens*] Huic commati subjice ὑποστιγμήν. Lege deinde *metuit*, quod habet Aldina editio; non *meruit*, quod Basileensis. Postremo lege *cadit*. Domus secunda præceps est, octava superne pendet. Hæc metuit finem, cum instet occasus in vicino cardine; hæc cadit ab horoscopo, cui subjacet.

882 *Qui fungitur astro*] Astrum illud Scaliger exponit horoscopum; verum nec lectionem hanc nec interpretationem ratio et syntaxis patiuntur. Lege, *cui jungitur astro;* nempe μεσουρανήματι, cui jungitur undecima domus.

883 *Victrixque priorum*] Nempe domuum. Apotelesmatici enim in decretis suis confingendis, vel stellarum formas, vel situs locorum, vel alias hujusmodi commentitias causas secuti sunt. Ergo undecimæ domui, quod medio cœlo proxima sit, et id jam prope conscensura, spem ascripserunt, ac victoriam quoque, præ ceteris domibus; nulla enim summi loci consequendi certiore et proximiore spe ducitur. Itaque subjicit, 'Altius insurgit summæ comes addita fini.'

887 *Atque eadem interior, &c.*] Non habuit rationem Manilius decursionis circensis, quæ curriculum solare imitabatur, Tertulliano teste. In ea enim gyrus interior erat ad sinistram: at domus undecima est ad dextram μεσουρανήματος; ejus enim ἐπαναφορὰ est. Omnes autem ἐπαναφοραὶ sunt ad dextram, ἀποκλίματα ad sinistram. Verum interiorem esse dixit μεσουρανήματι undecimam domum, quia ei comes addita est, seque proxime adjungit, quod nona non facit, quæ discedit ab eo, et post se illud relinquit. Unde ἀποκλίματα, ut dixi, appellantur loci dejecti; ἐπαναφοραὶ, succedentes loci.

898 *Quæritur inverso titulus*] Scribit in hunc locum Scaliger: 'Cujusdam illorum priscorum cognomen fuit Maluginoso.' Non patietur hanc constructionem Priscianus. Patiemur nos, qui vitilitigare nolumus. At quis iste est, cui Maluginoso cognomen fuit? An Maluginenses intelligit, familiam Corneliæ gentis? At sic a loco dictos credibilius est, quam a malo genio, unde nomen hoc arcessit Scaliger. Sic Regillenses dicti sunt Claudii; sic Aventinenses, Genucii. Quod subjicit deinde Maluginosum reddi in veteribus glossis κακεντρεχῆ; neque id admittimus, nam exemplaria nostra habent *Malignosus.*

899 *Numenque Dei, nomenque potentis*] Nimirum δαίμονος, hoc est,

genii, de quo multa diximus ad Origenem. A dæmone dæmonia dicta est domus ista.

903 *Viribus ambiguum geminis, &c.*] Perverse hæc interpretatur Scaliger, et diem intelligit geminis viribus pollentem, propter mutabilitatem rerum, quæ talis est, ut serus vesper infortunium vehat quandoque, cum prospera omnia Lucifer promisisset. *Ambiguum* illud referendum est ad *numen Dei*, hoc est, ad dæmonem, sive genium, quem vultu mutabilem esse, album et atrum docet Horatius. Qua de re pluribus disseruimus in demonstratione evangelica. *Causaque diei*, hoc est, die: ut apud jurisconsultos, 'causa possessionis' dicitur pro possessione; 'causa bonorum,' pro bonis; 'causa rei,' pro re: ut apud Tibullum 'causa Neæræ,' pro Neæra; apud Propertium, 'causa leti,' pro leto; quod ab ipso Scaligero observatum est. Sic χρῆμα ἐλάφου Græcis, pro cervo; χρῆμα γιγάντων pro gigantibus; χρῆμα τῶν νυκτῶν pro noctibus: 'verba jejuniorum' Ebræis, pro jejuniis; 'verba mirabilium,' pro mirabilibus. Vult igitur Manilius dæmonem mutare sortem utramque in die. Ac ne quid dissimulem, insigni trajectione mihi videtur iste locus laborare; quam sic corrigas, *Sub corde sagaci Conde locum, numenque Dei, nomenque potentis; Viribus ambiguum geminis, causaque diei, Nunc huc, nunc illuc sortem mutantis utramque. Hic momenta manent nostræ plerumque salutis, Bellaque morborum cæcis pugnantia telis: Quæ tibi posterius magnos revocantur ad usus.*

905 *Sed medium post astra diem*] Suspecta hæc sunt Scaligero; miratur quippe Manilium post μεσουράνημα posuisse nonum domicilium, cum supra undecimum collocaverit post idem μεσουράνημα· 'At quæ fulgenti sequitur fastigia cœlo.' Expeditam habemus responsionem, fieri id diversa ratione: undecimam domum sequi medium cœlum, juxta ordinem signorum; sequi nonam, juxta diurnum cœli motum.

907 *Æthera Phœbus amat*] Hoc est, locum illum ætheris, sive cœli quem dixit, qui sequitur μεσουράνημα.

908 *Decernunt vitia*] Aquam sibi hic hærere fatetur Scaliger. At nos inde expediemus, si legerimus *Decerpunt vitia*, hoc est, contrahunt. Plana est sententia. Quod autem causatur Scaliger, vitium huic domui inesse non posse, quæ Deo dicata est, frustra est. Nam primum Manilius, cum proxime ageret de quinta statione, corpora nostra vitiis et morbis obnoxia esse dixit: 'Hic momenta manent nostræ plerumque salutis, Bellaque morborum cæcis pugnantia telis.' Tum deinde agens de nono domicilio, ait, 'Sub quo quoque corpora nostra Decerpunt vitia:' qua particula *quoque* significat, in nona, perinde ut in quinta statione, corpora nostra morbos contrahere. Præterea cum canit paulo post lunam in tertia domo, nonæ domui opposita, imitari hujus fata in damnosis orbis finibus, manifesto ostendit damnosam esse nonam.

913 *Et dominam agnoscit Phœben*] Queritur Scaliger tertiam stationem Dianæ fuisse dicatam ab astrologis, cum id aptius in secundam congruat, propter diluculum, quod propius est horoscopo; Dianam quippe esse Φωσφόρον, sive lucem dubiam, hoc est, diluculum. Fateor Dianam fuisse dictam Φωσφόρον, quia lucida revera est. Sic et sol Φωσφόρος dictus est. Et tum ea vox adjectiva est. At cum substantive usurpatur et absolute, Veneris stellam proprie notat, quæ diluculi comes est: atque hoc vocabulum redditur a Latinis Lucifer. Quocirca inepte fecissent astrologi, si secundam domum Dianæ idcirco dicassent, quod eadem sit ac Lucifer: nam neque Diana Lucifer est, neque Lucifer proprie est diluculum sive

dubia lux, sed sæpe confunduntur, quia hæc illius socia est. At Venerem cum Diana Arabes confuderunt.

922 *Asserit hanc Cytherea*] Notat Scaliger hic primum domiciliis suas tutelas assignare Manilium, quod supra non fecerat. Itane vero? Annon de statione undecima supra dixit, 'Jupiter hic habitat?'

923 *Et veluti faciem mundi sua collocat ora*] Id non exposuit Scaliger, neque fortasse potuit: nam qui sensum hinc exsculpes, qui nullus est? Unius literulæ adjectione locum sanaveris: *Et velut in faciem mundi:* dicit Venerem se eo loco collocare, qui velut facies mundi est. Aptius non potuit signare medium cœlum, patens undique, et apertum, seque ab ortu ad occasum omnibus videndum præbens. Sic infra horoscopum faciem vocat, 'O facies signata nota.' Infra 'faciem mundi,' et 'vultus mundi' appellat thema genituræ, hoc est, posituram ac informationem cœli, quale certo quodam temporis puncto fuit.

937 *Asperum erat tempus*] Recte vidit Scaliger legendum esse, *Asper et attentus;* hoc est, parcus, frugi, et diligens rei familiaris procurator. Dixit Horatius eodem sensu, 'Asper et attentus quæsitis.' Cicero, 'prudens et attentus paterfamilias;' et 'attenta vita.' Terentius, 'attentus ad rem.' Atqui in tutela Saturni pecuniam et thesauros veteres esse voluerunt. Unde Romani in æde Saturni ærarium locaverunt. Causas afferunt mythologi. Præest autem Saturnus imo cœlo, de quo sic supra Manilius: 'Fundamenta tenet rerum, censusque gubernat, Quam rata sint fossis scrutatur vota metallis, Atque ex occulto quantum contingere possit.' De eodem cardine sic Firmicus, 'Hic locus ostendit nobis parentes, patrimonium, substantiam, fundamenta, mobilia, et quicquid ad latentes vel repositas patrimonii pertinet facultates.'

938 *Signatque suas pro nomine vires*] Scaliger, 'Si vocatur δαιμόνιον, quas vires pro nomine assignare possit, equidem non video, et serio quærendum censeo.' Quæramus igitur. Vetustissimi astrologi rerum omnium sortes planetis ascribebant; et Saturno quidem Νέμεσιν, quam Noctis filiam facit Hesiodus. Quocirca Saturnus Ægyptiis dicebatur ἀστὴρ νεμέσεως, ut ab Achille Tatio in Isagoge, et ab Hermete Ægyptio in Panareto traditum est. Hæc fingebatur per orbem discurrere, hominum mores ac gesta inspicere, et pro meritis vel pœnis vel præmiis afficere. Atqui hæc dæmoniis quoque conveniunt, quæ noctu terras obambulare creduntur, et scelestorum noxas punire. Panem etiam, qui cum Saturno aliquando confunditur, et a Macrobio Nemesi et Saturno conjungitur, orbem noctu peragrare, interdiu sopitum quiescere dixerunt. Manavit a sacris libris hoc figmentum, in quibus mentio fit 'negotii perambulantis in tenebris.' Talia autem domui huic conveniebant, quæ 'media sub nocte jacet.' Vires itaque ipsius erunt, in hominum noxas clam inquirere, sontes plectere, bonos pro meritis remunerare. Saturno id præcipue delegatur munus, cujus insignis æquitas celebratur; quique in Tartarum a Jove præcipitatus fuisse dicitur. Quamobrem Saturnalibus cerei mittebantur, quasi ut luce aliqua Saturnus in tenebrosa vita recrearetur.

LIBER III.

28 *Ebori decus addere*] Imitatur Virgilium, quod sæpe facit: 'Quale manus addunt ebori decus.'

58 *Quæ summas operum partes*] Præterire non possum jocularem Gaffarelli super athlis Manilianis conjecturam, quam secutus est Kircherus. Notat Scaliger athla illa, de quibus acturus est Manilius, hoc nomine ab eo solo celebrari, et aliter ab antiquis genethliacis appellari. At vocem tamen istam, perinde atque rem ipsam, veteribus Ebræis cognitam et usurpatam fuisse contendit Gaffarellus, nec aliud esse quam quod מחתלות, vel חתולות Rabbini appellant: a radice חתל, unde in Hophal החתל, *ligatus fuit, involutus fuit*; quod proprie de infantibus dicitur, qui fasciis involvi solent. Itaque genethliaci Judæi מחתלות appellaverunt duodecim domos thematum geniturarum, quod harum domorum vi, effectibus, et virtute infans a partu recens, sic tanquam fasciis involvatur et implicatus teneatur. Vera hæc est nominis istius ratio, quam aliunde nec satis probabiliter repetit Gaffarellus, quod nempe loca illa duodecim simul spectari debeant, quasi in unum colligata sint, sic ut qui unum omiserit, de aliis judicium facere non possit. Utut est ex dictione חתל, ἆθλον dictum censet eo sensu, quo usurpatum est a Manilio: quod nulla ratione nititur: nam vox מחתלות, ea significatione, quam dixi, recens est, et apud novitios tantum genethliacos Judæos reperitur. Vocabulum autem ἆθλον vetustissimum esse, eoque antiquissimos scriptores usos esse scimus. Deinde diversa penitus est nominis utriusque ratio: nam ἆθλα dixit Manilius, instituta et studia hominum, quasi labores ac certamina, quod in iis per vitam se exerceant ac laborent. Et labores quidem diserte appellat, 'Tertia ad urbanos statio est numeranda labores.' Iterum, 'Et quoniam toto digestos orbe labores, Nominaque in numerum, viresque exegimus omnes.' Et deinde, 'Si sua quemque voles revocare ad fata laborem.' Respexit præterea ad duodecim labores Herculis, qui totidem numero sunt, quot athla illa geniturarum.

89 *Stellæ septem læduntve, juvantve*] Quæ hic ex Trismegisto affert Scaliger de sortibus planetarum, ea habuit a Pico Mirandulano, qui ex Hermetis cujusdam παναρέτῳ sumsisse se illa ait, non vero ex eo qui Trismegistus cognomento dictus est; cujus nomine qui circumferuntur libri manifesto supposititii sunt.

164 *Nunc quibus ascendunt signis, quandoque, canendum est*] *Quandoque*, hoc est, et quando; quod non semel jam a Scaligero male redditum observavimus.

196 *Verte vias*] Ex diagrammate, quod proposuit Scaliger ad reperiendam sortem fortunæ, ortam putat figuram hanc ⊗, qua sors fortunæ ab artis magistris signari solet. Ego existimaverim potius simulacrum esse rotæ fortunæ.

208 *Cardinibus quoniam falsis*] Falsos cardines non appellat Manilius, ut fallaces significet, propter mobilitatem καὶ τὸ μεταβατικὸν, et propter inæqualitatem, quod opinatus est Scaliger. Verum hoc sibi vult, plurimi referre rectene an falso cardines notentur; nam si falsi fuerint, falsam

quoque fore cœli faciem; futurum quippe ut sidera sedibus suis mota momento varient, et genituræ thema pervertant.

213 *Curvatis arcubus*] Τὰς ἀψῖδας τῶν ἡλιακῶν κύκλων παραλλήλων intelligi censet Scaliger. Frustra. Quatuor tetrantes zodiaci intelliguntur; ab horoscopo ad medium cœlum, ab hoc ad occasum, inde ad imum cœlum, postremo ad horoscopum.

228 *Ut propius nobis aliquid*] Solem in cancro propiorem nobis esse dicimus, remotiorem in capricorno, contra quam sciscit hoc loco Scaliger. Præterea falsum est quod subjicit, ideo tardiores esse ascensiones a cancro ad capricornum, quam contra, quod alter altero nobis propior sit. Causa inæqualitatis ascensionum petenda est ex ratione anguli, quem committit zodiacus horizontem secans, qui quo acutior est, eo ascensio est celerior; tardior, quo angulus magis accedit ad normalem; cujusmodi est a cancro ad capricornum.

229 *Vix finit luces cancer*] Hoc addit Manilius ad demonstrandam et explicandam obliquitatem sphæræ, unde provenit inæqualitas dierum. At quem hic profert Scaliger gemini locum, nullo modo pertinet ad dierum æstivorum longitudinem, vel hybernorum brevitatem; sed ad moram quam facit sol circa tropicos circulos. Itaque vel Manilium, vel geminum non intellexit. Nihilo felicius sequentem versum interpretatus est: nec enim illic de ascensionibus rectis et obliquis cogitat Manilius; verum id vult, quam breves dies bruma efficit, tam longos solstitium efficere; atque horum longitudine illorum dispendium compensari. Circulum appellat, non ἡμικύκλιον καταβιβάζον, vel ἀναβιβάζον, sed diem; parte posita pro toto: nam dies segmentum est circuli, quem sol per viginti quatuor horarum tempus absolvit. Hæc ita sumenda esse, ut dixi, ostendit manifesto versus sequens, 'Libra ariesque parem reddunt noctemque diemque.'

238 *Neque ullam Altera pars sequitur*] Id est, assequitur, exæquat.

253 *Vel cum medio concedere vere*] Nota Manilium posuisse æquinoctium in medio vere; initio veris sumto, non ab ingressu solis in arietem, sed vel a flatu Favonii, vel ab hirundinum volatu, aliisve signis, ad quæ vulgus solet attendere. Itaque Varro initium veris collocat in vicesimo tertio die aquarii, sive A. D. VII. Id. Februar. et a Favonio ad æquinoctium vernum dies putat XL. Ovidius ex A. D. V. Id. Febr. ver inire vult; hirundinis vero adventum ascribit VIII. kalend. Mart. initum solis in arietem XI. kal. April. æquinoctium VIII. kal. April. quæ retinuit kalendarium vetus Ovidianis Fastis attexi solitum. Similis est Plinii ratio, qui afflatum Favonii notat A.D. VI. Id. Febr. sole gradum aquarii XXV. obtinente. Favonios spirare incipere VIII. Id. Febr. tradit Columella, solem vero inire arietem XVI. kal. April. At Ptolemæus, sive quisquis auctor est libelli De inerrantium Stellarum Significationibus, primos Favonii flatus notat A. D. IV. Non. Febr. veris initium A. D. VII. Id. Febr. solis ingressum in arietem A. D. XVII. kal. April. æquinoctium A. D. VI. kal. Mart. Hæc attuli, tum ut appareat quam multos sententiarum suarum testes habeat Manilius; tum ne confundantur in priscis scriptoribus, adventus hirundinis, Favonii flatus, initium veris, ingressus solis in arietem et æquinoctium.

257 *Fulget in octava capricorni parte biformis*] Fuit ea vetustissimorum mathematicorum opinio τροπικὰ κέντρα incidere in octavas partes signorum cancri et capricorni. Ad hanc legem sphæram suam mechanicam construxit Anaximander, traducto æquinoctiali circulo per partes octavas arietis et chelarum; tropicis vero

circulis, per octavas cancri et capricorni. Alii vero decimas signorum sedes τροπαῖς assignarunt, nonnulli duodecimas, quidam quintas decimas. Manilius in calce libri hujus, 'Has quidam vires octava in parte reponunt; Sunt quibus esse placet decimas; neque defuit auctor Qui primæ momenta daret, frænosque dierum.' Postremam hanc sententiam sequitur Manilius superiore libro, cum ait colurum solstitiorum geminis cancrum dirimere. At in ea opinione non perseveravit, unde hoc opus hinc inde compilasse, et matheseos satis rudem fuisse agnoscas. Alias enim in mediis signis solstitium et brumam collocavit, ut intelligitur ex his versibus ejusdem libri: 'Cancer ad æstivæ fulget fastigia zonæ, Extenditque diem summum, parvoque recessu Destruit; ut quanto fraudavit tempore luces, In tantum noctes augescat summa per omnes.' Ait cancrum extendere summum diem, et deinde destruere. Atqui non extenderet, sed tantum destrueret, si solstitium in primo gradu cancri committeretur. In eandem sententiam talia subjicit: 'Parte ex adversa brumam capricornus inertem Per minimas cogit luces, et maxima noctis Tempora, producitque diem, tenebrasque resolvit, Inque diem nunc damna facit, nunc tempora supplet.' Capricornus, inquit, luces contrahit, tum deinde producit; et tempora vicissim minuit et auget. Atqui luces produceret tantum, non contraheret; tempora augeret, non minueret, si bruma fieret in primo ejus gradu. Achilles Tatius: βούλονται τροπὴν ἡλίου ποιεῖσθαι, οἱ μὲν περὶ τὰς ἀρχὰς, οἱ δὲ περὶ ὀγδόην μοῖραν, οἱ δὲ περὶ πεντεκαιδεκάτην τοῦ καρκίνου· Hipparchus, Εὔδοξος τὰ τροπικὰ σημεῖα κατὰ μέσα τὰ ζώδια τίθησι. Vere, nam colurum solstitialem describens Eudoxus traducit eum per medium capricornum et medium cancrum. Quæ discrepantia, non ex opinionum varietate, sed observationum discrimine, oriebatur; nam æquinoctiis in antecedentia progredientibus, sedesque mutantibus, observationes quoque mutari necesse erat. Ergo hic Eudoxum deserit Manilius, ut vetustam illam opinionem sequatur, quæ in octava parte capricorni brumam, in octava cancri solstitium locat. Hanc paucis ante annis renovaverat Sosigenes, cum annum castigaret: octavas enim signorum partes kalendis mensium attribuit.

259 *Sed nox oblita diei*] Vult Scaliger noctem dici oblitam diei, quatenus diei detrahit, et crescit ex ejus decremento; quod valde sane ineptum est. Oblitam diei esse dicit propter longitudinem, quæ tanta est, ut videatur non meminisse diei, cui locum debet concedere.

261 *Sic in duodenas exit utrumque*] Dies augendo, noctes minuendo, tandem fit utrumque horarum duodecim, postquam ventum est ad æquinoctium, et summa illa duodecim horarum integritatem suam assequitur. Nam cum dixisset diem a bruma ferri in horas vernales, necessario æquinoctii, sive verni temporis, et vernalium horarum meminisse debuit, ut progrederetur versus cancrum: 'Inde cadent noctes, surgentque in tempora luces,' donec ad cancrum perventum sit, ubi futuram noctium dierumque pugnam ait, eleganti metaphora; diesque victum iri a noctibus, quæ rursum ex jactura dierum, augmentum capient. Nihil his apertius. Igitur præter rationem censuit Scaliger de quocumque νυχθημέρῳ hic agere Manilium, atque id velle, geminos quibus constat arcus, diurnum et nocturnum, simul conjunctos, esse semper bis duodenarum horarum. Miratur deinde, in kalendario rustico ædium Vallensium νυχθήμερον effici horarum XXV. per singulos menses. Velut in Januario, Dies hor. VIII.

S. nox hor. XVI. S. quæ horas dant XXV. Equidem id quadratarii inscitiæ ascripserim, qui literæ S valorem ignorans ac pro nihilo habens, numeros auxit ad efficiendum numerum XXIV. Certe in kalendario Farnesiano litera eadem aliquando prætermissa est.

278 *Imitatur sidera mundi*] Ἀντίμιμον οὐρανοῦ, *æmulum cœli*, Ægyptii Nilum appellant. Causam hanc affert Heliodorus, quod Ægyptum ita irriget et fœcundet, ut alias regiones cœlum. Annum præterea, qui conversione cœli continetur, Nilum esse volunt, qui incremento æstatem, autumnum decremento, ver floribus et crocodilorum ὠοτοκίαις designet. Testis itidem Heliodorus. Denique commune vocabulum Sirius tribuitur soli, caniculæ, et Nilo, ὃς ἐν ἐπιτολῇ κυνὸς ἀναβαίνει. His constat similitudo cœli et Nili. Frivola ergo sunt quæ de similitudine septem ostiorum Nili cum septem planetis affert Scaliger.

296 *Jam facile est si quod, quandoque, horoscopet astrum Noscere*] Jam facile est noscere, si quod astrum horoscopet, et quando. Sic sæpe Manilius, ut dixi.

303 *Modus est varius: ratione sub una*] Sequentes versus digerens ac distinguens Scaliger mirifice perturbat: nam statione sua movet, et in alienum locum conjicit istos duos, *Nec manifesta patet falsi fallacia mundi, Nec similis simili toto nox redditur anno.* Quam distinctionem neque patitur ratio, neque Scaliger ipse tuetur: nam proprias ipsis in editione sua sedes attribuit. Ferre vero non possumus quod subnectit: 'Æquale, dictum πρός τι, nempe respectu inæqualis.' Æquale sane est τῶν πρός τι, hoc est, refertur ad aliquid, nimirum ad illud cui æquale est, non vero ad inæquale.

313 *Omnibus autumnus signis, ver omnibus unum*] Nempe ratione dierum et noctium, quæ æquales sunt, ut in sphæra obliqua tempore æquinoctii utrinsque: nam ceteroqui variæ sunt illic tempestates, quarum longe diversa est ratio, et a nostris, et a seipsis, pro varietate locorum. Vere igitur dixit Scaliger, 'Perpetuum ver et autumnum ibi florere, falsissimum:' nam si universa loca æquinoctiali subjecta circumspicias, non ver ubique aut autumnum reperies, sed in certis tantum quibusdam locis, ubi arbores gignunt flores simul, et fructus, frondesque recentes. Quanquam ne illic quidem eædem sunt tempestates, sed pro accessu solis et recessu mutantur, sed diversa longe ratione ac fit apud nos.

319 *Recto tamen ordine zonæ Consurgunt, supraque caput, terrasque feruntur*] Qui positi sunt sub æquinoctiali, iis zonæ recte ascendunt: nam zonæ secantur a plano horizontis ad rectos angulos; quippe parallelæ sunt æquinoctiali, qui horizontem secat ad angulos normales. Itaque tametsi zona temperata borealis supra caput nostrum fertur oblique; eorum tamen respectu, qui sub æquinoctiali degunt, supra caput nostrum fertur recte, hoc est, angulos rectos efficit cum illorum horizonte. Nec zonæ solum, sed et partes omnes cœli oriuntur recte in sphæra recta; nam circuli, quos designant motu suo diurno, horizontem secant ad rectos angulos. Quamvis enim zodiacus ad angulos inæquales secet horizontem, etiam in sphæra recta, præterquam cum culminant æquinoctialia puncta; tamen puncta omnia zodiaci recte oriuntur motu diurno. Itaque Ptolemæus aliique astronomi, ascensiones rectas appellare solent eas quæ fiunt in sphæra recta; obliquas, quæ in obliqua; nulla habita ratione arcuum æquinoctialis, sive majorum, sive minorum, sive æqualium, qui simul oriuntur. Neque erat sane, cur tam proterve Manilium vel Lucanum Scaliger impeteret. Is porro sibi finxit τὸ *zonæ* hic esse in genitivo, cum manifestum

sit esse in nominativo plurali.

323 *At simul ex illa, &c.*] Legitima loci hujus sententia hæc est, Postquam discesseris ab æquinoctiali, quicquid spatii fueris emensus versus extremum polum gradiens per fastigia terræ, quam natura gibbam et in medio cœlo suspensam formavit; quando, inquam, conscendes versus polum, pars opposita terræ tantundem fugiet oculos tuos, quantum versus istam fueris progressus. Hæc disturbavit et fœdavit Scaliger. Nam retinuit conjunctionem *Et*, quæ annectit ista superioribus. Sed præterquam quod oratio ita erit pendula, et sensus imperfectus, manifestum est progredi Manilium ad considerationem obliquæ sphæræ, postquam dicere desiit de recta. Quapropter interponi debuit *σύνδεσμος διαζευκτικός*.

324 *Quicquid ab extremo temet præverteris axe*] Sic priscæ editiones: sed omnino legendum, *præverterit*. Quæcumque pars terræ versus polum eunti tibi incipiet apparere. Nam quæ progredientibus nobis eminus conspiciuntur, ea utique nos præcedunt et prævertunt. Extremum axem appellat polum aptissimo et pervulgato vocabulo, et quo alias utitur, ut hoc libro, 'Quem gelidus rigidis fulcit compagibus axis.' Et lib. IV. 'Asper ab axe ruit Boreas.' At Scaliger axem exponit ascensum, clivum. Quod ut probet, Propertium testem adhibet hoc versu, 'Scandentisque axis patriæ de vertice murus;' et Juvenalem isto, 'Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.' Cum illic Juvenalis *axes* pro curribus posuerit, quod ostendit proximus versus, 'Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ:' Propertius vero 'arcis' scripserit, quemadmodum habet vetus liber, non *axis*. Cum ceteroquin axem nonnunquam montem significare sciam, et Parnassum a Claudiano 'Pythium axem' dictum esse meminerim.

325 *Gradus gressum*] Sic Plautus: 'machinabor machinam,' 'quas filius meus turbas turbet,' 'preces precari,' 'servitutem serviant,' 'te testem testor,' 'obsonabo obsonium.' Lucilius, 'Hoc bellum a consulibus bellatum.'

328 *Ergo ubi consides*] Id ita interpolavit Scaliger; cum antea legeretur, *conscendes*. Item pro *digrediere*, legi vult *degrediere*. Nempe placuit ipsi primum *axem* interpretari, clivum; cui sententiæ quoniam repugnabat istud *conscendes*, mutandum id fuit in *consides*; et *digrediere* in *degrediere*. Adeo falso uno posito, falsa multa consequi necesse est. Nec animadvertit homo, suo sæpe auctorumque quos versat damno nimis acutus et perspicax, inter has commentitias dictiones, *consides* et *degrediere*, positam esse alteram hanc *scandens*. Ac si dixisset Manilius, Cum descendes conscendens globum, quo nihil absurdius est. Manilius posuit *ergo*, pro inquam; nam resumit quæ jam dicere cœperat, quæque disjuncta fuerant per hos duos versus, 'Quam tereti,' &c.

344 *Et quanto ad gelidas, &c.*] Viatorem fingit ab æquinoctiali versus polum sub meridiano progredientem. Quænam ipsi primum digresso continget cœli mutatio, dixit jam supra, 'Fugiet pars altera terræ, Altera reddetur.' Si versus polum septemtrionalem gradiatur, fugiet pars australis, reddetur borealis. Ulterius abeunti obliquior fiet zodiacus, qui transversus erat, et culminantibus æquinoctialibus punctis horizontem secabat ad rectos angulos. Nunc eum fingit arcticum circulum attigisse, quo tempore vix visurum eum sit hyberna signa zodiaci, quæ nempe ad austrum vergunt, vixque orta ea statim ipsi occasura; solem, cum capricornum attigerit, puncto eodem temporis oriturum et occasurum. Addit deinde futurum, ut si intra arcticum procedat, brumalia illa signa magna sui parte condi videat, futuramque

ipsi noctem tricenarum noctium, sive menstruam, sine ullo dierum intervallo; qui primum decurtati et contracti, tum demum penitus atterentur et interibunt, quemadmodum signa ipsa, quorum peribit statio et situs evanescet. Atque hæc oculos ita dum fugient, secum abducent solem, et viator ille in profundissimas, pluriumque mensium noctes incidet, quoad sub polo ipso constiterit, ubi una die, unaque nocte, semestri utraque, annum constare cognoscet. Genuina hæc est totius περικοπῆς illius sententia, quam Scaligeri ῥέμβη corrupit, ut suis singula locis annotabimus.

848 *Tricenasque trahent connexo tempore noctes*] Tum id futurum censet Scaliger, quando viator ille ab æquinoctiali versus polum iter faciens, arcticum attigerit, et polum gradibus 66. scrupulis 30. sublimem cernet: 'Quia nimirum,' inquit, 'minimum noctis momentum interjicitur, adeo ut pæne sensum fugiat, propterea ait integrum mensem continuari die uno, vel diem esse unius mensis.' Quod de noctibus dixit Manilius, id de diebus dictum Scaliger existimavit, cum tamen non solum aperte pronuntiet Manilius tricenas noctes habiturum viatorem, sed addiderit præterea die cariturum: 'Et totidem luces adiment.' Verum esto; nam par est dierum noctiumque ratio. Nego enimvero id sibi velle Manilium, sub hac elevatione poli dies menstruos esse; nam si interjecta sunt quantumlibet brevia noctium spatia, jam triceni illi dies connexa tempora non habent, sed disjuncta. At cum connexa ea esse dixit Manilius, nullas interpositas noctes intellexit. Sic infra cum exprimere vellet, sub polo diem esse semestrem, nullis noctium intervallis distinctum, eadem locutione usus est, 'Dimidiumque trahens contextis lucibus annum.' Addit Scaliger, quindecim diebus ante, et totidem post solstitium, futurum illum menstruum diem. At quamvis propter refractiones solaris luminis verum sit homines sub arctico degentes solis conspectum per aliquot dies non amittere, tamen refractionum doctrinam penitus ignoravit Manilius; et juxta ejus disciplinam, quam explanandam suscepit Scaliger, aliquo, brevi licet, noctium intervallo distincti sunt solstitiales illi dies. Itaque Ptolemæus parallelum ab æquinoctiali dissitum gradibus 66. diem maximum habere scribit horarum tantum æquinoctialium 23. qui vero gradibus distat 66. scrupulis 40. maximum diem habere horarum 24. at eos diem habere menstruum, quibus polus attollitur gradibus 67. scrupulis 15. Nec id prætermittendum, quod obiter affirmat Scaliger, Pytheam Massiliensem dixisse Islandiam esse Thulen. Quasi Islandia vel Pytheæ, vel ulli veterum cognita fuerit, quam anno Christi 874. a Norvegis coli cœptam primum fuisse, cum nulla ad id tempus humani cultus vestigia in ea apparerent, luculenter demonstravit Arngrimus Jonas Islandus.

851 *Paulatimque perit statio fulgentibus astris*] Hoc est, procedenti versus boream paulatim occultantur astra australia, et eorum loca tumore terræ intercepta apparere desinunt.

855 *Mensibus ereptis, &c.*] Παραυγασμὸν nihil aliud esse definit Scaliger, quam τοῦ φωτὸς ἀντιπερίστασιν. Hanc definitionem expressit ex his verbis Strabonis, sub finem lib. II. ὁ δὲ κατὰ τὰς ἄρκτους τόπος τοῦ ὁρίζοντος ἐν ὅλαις σχεδόν τι ταῖς θεριναῖς νυξὶ παραυγάζεται ὑπὸ τοῦ ἡλίου, ἀπὸ δύσεως, ἕως καὶ ἀνατολῆς ἀντιπεριισταμένου τοῦ φωτός· ὁ γὰρ θερινὸς τροπικὸς ἀπέχει ἀπὸ τοῦ ὁρίζοντος ἑνὸς ζωδίου ἥμισυ καὶ δωδέκατον· τοσοῦτον οὖν καὶ ὁ ἥλιος ἀφίσταται τοῦ ὁρίζοντος κατὰ τὸ μεσονύκτιον· καὶ παρ' ἡμῖν δὲ τοσοῦτον τοῦ ὁρίζοντος ἀποσχὼν, πρὸ τοῦ ὄρθρου καὶ μετὰ τὴν ἑσπέραν ἤδη καταυγάζει τὸν περὶ τὴν ἀνατολὴν ἢ τὴν δύσιν ἀέρα.

Docet quidem Strabo horizontem illum borealem noctibus æstivis a sole, qui proximus est, illustrari, ἀντιπεριισταμένου τοῦ φωτὸς, lumine circumcingente, et omni ex parte affuso ab occasu ad ortum. Verum non inde colligas παραυγασμὸν hunc, qui proprie crepusculum est, nihil aliud esse quam ἀντιπερίστασιν luminis. Multiplex affertur causa crepusculorum ab astronomis; duæ hæ præcipue, luminis solaris repercussus, et refractio in atmosphæra. Vel unus consulatur Kepplerus in Epitome Astronomiæ Copernicanæ.

413 *His usque ad denas, &c.*] Quæ hic affert Scaliger, οὐδὲν πρὸς ἔπος. Significat Manilius decem illos auctus, hoc est, additiones summarum quæ fiunt ad singula signa; prima fit ad arietem, secunda ad taurum, tertia ad geminos, quarta ad cancrum, quinta ad leonem, sexta ad virginem et libram; nam cum æque distent a solstitio, par est ratio utriusque; septima ad scorpium, octava ad sagittarium, nona ad capricornum, decima ad aquarium, unde fit summa quæ competit piscibus, et par est summæ arietis.

416 *Et quantis in utrumque modis*] Haudquaquam pro quot modis, ut opinatur Scaliger; sed pro quanta mensura, quanto partium numero.

421 *Æstivæ nomine noctis*] Rursum, *conversaque nomina legem Accipiunt.* His locis aliisque nonnullis legi jubet Scaliger *momine* et *momina.* Qua conjectura sibi multum videtur placuisse. Ego vulgatam lectionem retineo. Alludit Manilius ad rationaria creditorum, in quibus nomina debitorum descripta erant, et summæ debitæ, seu creditæ erant adjunctæ. Similiter in rationariis astronomorum, ad nomina noctium, vel dierum, vel siderum, summæ partium adjectæ erant. Manifestum hoc est ex hoc versu libri hujus, 'Quave in parte suam summam, nomenve reliquit:' et ex isto quoque, 'Rursus qui steterit numerus sub nomine noctis:' item ex illis, 'Namque aries totidem deducit noctibus horas, Quot prius abstulerant proprio sub nomine pisces:' necnon ex his lib. IV. 'Qui primus numeros rebus, qui nomina summis Imposuit.' Quibus locis vides summam sive numerum nomini conjunctum, ut in rationariis fieri solet.

432 *Augebuntque novo vicenas momine summas*] Sic codex Gemblacensis, *Augebuntque novem vicenas munera summas.* Recte: novem munera appellat partes illas novem, quæ viginti multiplicant, quod gratis et munifice sint erogatæ, ob commodiorem et expeditiorem computationem.

457 *Ternis fuerit si longior horis Brumali nox forte die*] Noctem æquinoctialem intelligit, quæ Romæ superat tribus horis diem brumalem. Quod subjungit, 'Et aquarius horæ Ipse suam propriæ ducat;' in eo subaudi, summam; nam subest, 'summæque prioris Adjungat:' hoc est, ipse aquarius propriæ horæ suam ducat summam, quam adjungat summæ capricorni præcedentis.

468 *Æquatæ solvuntur fœnore noctes*] His subnectit Scaliger quinque sequentes versus, *Rursus et incipiunt propria de sorte diebus Cedere diversa labentia tempora lege: Respondent pariterque illis, quæ proxima fulgent, Et media æquatis censentur viribus astra, Præcipuosque gerunt varianda ad tempora motus.* Ac secundum quidem versum, qui ad stationem 468. libri hujus in priscis editionibus erepserat, in ordinem optimo consilio redegit Scaliger: verum postremos tres esse alienos existimat hujus loci, quod loquantur de stellarum situ. Ego secus sentio, et convenire eos in hunc locum, et idem persequi argumentum, quod in superioribus tractatum est. Sensus enim hic est, Postquam sol initium attigit cancri, in quo dies minui incipiunt, sequentia proxime sidera respondere præcedentibus; nempe cancrum ipsum

geminis, leonem tauro: nam in exemplo et diagrammate, quod a Scaligero propositum est, geminis et cancro partes dantur triginta, leoni et tauro sexaginta. Addit deinde media astra æqualibus viribus pollere. Media astra appellat, quæ æquinoctialia puncta utrimque obsident; pisces nempe et arietem, quæ vernum; virginem et libram, quæ autumnale. Atque hæc quidem jure media appellat, utpote quæ inter duos extremos solaris curriculi cardines, brumam et solstitium media loca obtinent. Æquales autem iis vires sunt, quippe nonaginta singulis partes diagramma attribuit. Ait demum signa hæc, punctis æquinoctialibus proxima, maximi esse et præcipui momenti ad variānda tempora. Maximus enim numerus his ascribitur, nonaginta videlicet partium: cum minimus detur solstitialibus signis, partium nimirum triginta. Quod vel solo sensu percipimus; nam maximum et celerrimum esse videmus dierum vel augmentum vel decrementum in æquinoctiis, minimum in solstitiis. Jam ergo liquet, quam apte versus hi in has sedes congruant; quamque immerito eos Scaliger suspectos habuerit, non aliam scilicet ob causam, quam quod non intellexerit.

470 [468] *Cedere diversa labentia tempora lege*] Versum hunc merito depulit hoc loco Scaliger, et in alias sedes migrare jussit.

482 *Similique redit quam creverat actu*] Pessimo quoque consilio legi hic suadet Scaliger *auctu*: nam redeunte sole versus austrum dies minuuntur, non augentur. Nec satis æquus est Manilio, quod incrementa et decrementa horaria per signa integra definiverit; cum tamen per totum signum eadem non sint incrementa et decrementa horarum, quippe cum mutentur diebus singulis scrupula horaria. Tantumne vero stuporis Manilio suo inesse censuit Scaliger, ut existimaverit per totum, verbi gratia, capricorni signum Romæ diem esse novem horarum; statim vero ut hoc signo digressus est sol, et aquarii signum iniit, jam dies dimidia hora augeri, adeo ut postremus capricorni dies sit horarum novem, primus vero aquarii sit horarum novem cum dimidia? Absit ut ei tam iniqui simus. Satius est credere, probe ei perspecta fuisse et cognita incrementa et decrementa dierum singulorum. Nam et de cardinibus tropicis sic ex rei veritate disserit sub finem libri hujus: 'Sed non per totas æqua est versura figuras, Omnia nec plenis vertuntur sidera signis.' Verum cum Poëtæ non sit λεπτολογεῖν et minuta consectari, satis esse sibi censuit diurnorum illorum incrementorum vel decrementorum summam per signa colligere, ita ut cum signum capricorni triginta partibus sive hora dimidia augeri dixit, id sibi voluerit, singulis diebus quibus sol versatur in capricorno aliquid accedere incrementi; quæ incrementa diurna simul collecta dimidiam horam efficiunt, cum sol finem signi illius attigit. Ac si dixisset capricorni finem dimidia hora initium signi ejusdem superare.

Postquam Scaliger præcepta Manilianæ doctrinæ tradidit, subjungit rationem inveniendi horoscopi: quam deinde illustrat exemplo cujusdam nati ad altitudinem poli graduum 44. hora nocturna temporaria 7½ fere, sole in 22. leonis posito. Quod genituræ thema Scaligeri ipsius est, nati Aginni Nitiobrigum, anno MDXL. pridie Non. August. horis quatuordecim post meridiem, ut ejus natalis Nonis attribuatur tempore politico. Id tradit ipse de se in egregia Epistola ad Janum Dousam, reliquis ipsius Epistolis præfixa: quæ, etiamsi tot esset consuta mendaciis, quot in ea deprehendisse se prædicat maledicentissimus et bonorum omnium hostis, ac sæculi sui Timon, Gaspar Scioppius, dignissima tamen esset le-

gi, propter facilem quandam et nativam styli elegantiam, et dignitatem rerum. Thematis hujus ratiocinium persequens Scaliger dodecatemorion lunæ collocat in vicesimo quarto gradu aquarii; quod præceptis ab eo positis repugnat. Nam cum lunam ponat in vicesimo septimo virginis, si numerum hunc multiplicaveris duodenario numero, prodibunt 324. quæ si dividas in partes triginta, extabit numerus 10⅘. Itaque si decem signa numeraveris, initio facto a virgine, postremum signum erunt gemini. Superstites igitur viginti quatuor gradus tribuendi erunt cancro. Ergo dodecatemorion lunæ ponendum erit in vicesimo quarto gradu cancri, non aquarii. Rursus dodecatemorion lunæ, per posteriorem modum statuit in decimo octavo libræ, quod in fine libræ locandum fuit. Nam cum sol esset in vicesimo secundo leonis, luna autem in vicesimo septimo virginis, gradus intercedunt triginta quinque. Detractis inde triginta, supererunt quinque, quæ divisa in 1½ dant duo dodecatemoria, quæ a virgine, in qua est luna, in sequentia signa distributa desinent in fine libræ. Nec in assignando dodecatemorio dodecatemorii suis ipse legibus paret, quas præcepto tertio, et ad versum 746. libri secundi tradidit.

498 *Continua partes*] Proponit hic Scaliger thema mundi, juxta opinionem Ægyptiorum, qui conditum eum volunt sole posito in decima quinta leonis, ineunte hora noctis undecima. Ut juxta Maniliana præcepta hoc loco tradita reperiat horoscopum, numerat viginti duas horas ab ortu solis ad undecimam noctis; quas, si ducas in quindecim gradus, existet numerus 330. graduum. Numerat deinde a principio arietis ad partem decimam quartam leonis, gradus 134. Ex his detracto asse circuli 360. remanebunt gradus 104. Inde si toties decutias 30. quoties fieri id poterit, ter id fiet. Atqui tres istæ tricenæ tria sunt zodiaci signa, aries, taurus, gemini. Tum qui supersunt gradus quatuordecim cancro imputa, horoscopus reperietur in 15. cancri. Hæc etsi recte atque ordine procedunt, cum præceptis tamen Manilianis non consentiunt. Nec enim requiritur adjectio ista partium 134. ab initio arietis ad decimum quintum gradum leonis. Nam si juxta Manilii legem numerum 330. distribuas in 30. prodibit numerus 11. Numera igitur undecim signa, initio facto ab eo in quo est sol, desinet numerus in principio cancri, cui si adjicias gradus quatuordecim, quos in leone sol confecit, habebis horoscopum in gradu decimo quinto cancri.

545 *Venit omnis ad astrum, &c.*] Perspicua erant ista, si Scaliger iis tricas more suo non injecisset. Sententia hæc est, horam diei civilis vel noctis bis recurrere ἐν νυχθημέρῳ, quod constat viginti quatuor horis: ut si quis nascatur hora decima diurna, iterum recurret hora illa decima intra νυχθήμερον. Intra mensem vero dies singuli semel elabentur sine reditu. Nam cum mensis constet triginta, verbi gratia, diebus, si quis nascatur quarto mensis die, intra mensis hujus spatium nullus alius recurret quartus dies. Similiter intra annum menses singuli semel præteribunt, nec mensis alter Martius redibit, quo natus, exempli causa, quis fuerit. Par est dodecaëteridos ratio, quæ duodecim annis conflata est: hujus anno sexto si natum infantem fingamus, unicus ille effluet sextus, nec alter sextus numerabitur, dum hæc dodecaëteris erit in cursu. Ponit deinde exemplum Scaliger, ut interpretationem suam confirmet, hominis nati hora nona, ascendente leone, die Mercurii. 'Hora,' inquit, 'pertinet ad lunam. Sic lunæ hora intra viginti quatuor horas bis redibit ad leonem. Nam nascente homine

hora lunæ attribuebatur leoni, hora Saturni virgini, hora Jovis libræ, et sic deinceps. Ergo tertia decima hora a nato homine, redit lunæ hora in leonem.' Falsa hæc esse aio. Tertia decima hora a nato homine erit hora Veneris, et cadet in leonem: nec hora lunæ iterum incurret in leonem, quam post octoginta quatuor horas. Nam si duodecim signorum numerum ducas in numerum septem planetarum, prodibunt octoginta quatuor; qui numerus habebatur climactericus, et quidem maleficus, propter concursum duodenarii numeri signorum, et septenarii planetarum: climacteres enim omnes duodenarii et septenarii mali sunt. Quamobrem Martialis, in Epigrammate ad natalem suum quinquagesimum, postulat vitam sibi ad octoginta quatuor annos produci; quo spatio præterito spondet ne diem quidem se rogaturum.

550 *Unius ut signi pariter sit mensis et annus*] Hunc versum excipit lacuna unius versiculi.

561 *Quod quandoque genus venit*] Quod genus venit, et quando: τί καὶ πότε. Quæ locutio, ut sæpe jam monui, Manilio familiaris est.

595 *Bis quadragenis occasus dives in actu Solis erit*] Prisci codices et editiones, *Bis quadragenis occasus dives in actus Solis erat.* Unius literulæ mutatio locum sanabit. Lege, *Bis quadragenos.* Solis actus appellat τὰς ἐλάσεις, curricula, hoc est, annos. Occasus dives erat in octoginta annos, nisi una Olympias deesset. *Erat* pro esset. Sic infra lib. v. 'Non ulla forent jejunia terris; Dives erat census.' Virgilius, 'Et si non alium late jactaret odorem, Laurus erat.'

669 *Sed non per totas æqua est versura figuras*] Comparat Manilius partes tropicorum signorum inter se; in quibus singulis non æque τροπὰς et conversiones solis ac tempestatum fieri aperte docet. Perperam ergo autumat Scaliger tropica cum tropicis contendi a Manilio, solstitialia cum æquinoctialibus.

678 *Fata novet, consulta alios declinet in usus*] Non aspernanda est scriptura codicis Gemblacensis, *Facta movens consulta.* Sensus erit, res ab hominibus propositas aliorsum convertat. Si quid mutandum est, legito *Facta novet consulta.*

679 *Momina in adversum flectat*] Libri omnes typis editi et calamo exarati habent *Omnia;* quod longe hic aptius congruit quam *Momina,* quod intrudit Scaliger.

LIBER IV.

24 *Fugissent ignes Æneæ*] Ignes in Italiam ab Ænea Troja delatos, Palladium esse asseverat Scaliger, quod et repetit in versum 67. libri hujus, 'raptosque ex ignibus ignes.' Quam puerilem sane hallucinationem castigant vel ista Dionysii Halicarnassei verba, τὸ μεμυθευμένον παλλάδιον, ὅ φασι τὰς ἱερὰς φυλάττειν παρθένους ἐν ναῷ κείμενον Ἑστίας, ἔνθα καὶ τὸ ἀθάνατον διασώζεται πῦρ· vel ista Camilli apud Livium, 'Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod imperii pignus custodiæ ejus templi tenetur, loquar?' Vel ista Lucani, 'Ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta virorum Pallas, in abstruso pignus memorabile templo:' vel ista Plutarchi

in Camillo: *οἱ δὲ τὸ μὲν πῦρ, ὥσπερ παρ' Ἕλλησι, πρὸ ἱερῶν αἴθεσθαι καθάρσιον, ἄλλα δὲ τὰ ἐντὸς ἀθέατα κρύπτεσθαι πᾶσι, πλὴν ταύταις ταῖς παρθένοις, ἃς Ἑστιάδας ἐπονομάζουσι· καὶ πλεῖστος μὲν λόγος κατεῖχε τὸ Τρωϊκὸν ἐκεῖνο παλλάδιον ἀποκεῖσθαι δι' Αἰνείου κομισθὲν εἰς Ἰταλίαν.* Profecto diversæ res fuerunt ignis sacer, penates, et palladium, quæ Troja Æneas in Italiam advexit.

28 *In Capitolinos auxissent fulmina montes*] Libri scripti et editi, *fulmina*. Lege *vexissent fulmina*; vel juxta conjecturam Francisci Junii, *duxissent*. *Fulmina* pro Jove.

30 *Captus et a captis orbis foret*] Horat. 'Græcia capta ferum victorem cepit.' Ovid. 'Nondum tradideras victas victoribus artes, Græcia.' Rutilius Numatianus, 'Victoresque suos natio victa premit.' Plinius, 'Vincendo victi sumus.'

41 *Speratum Hannibalem, &c.*] Nihil mutandum censeo de scriptura codicis Gemblacensis, quæ talis est, *Speratum Hannibalem nostris cecidisse catenis, Exiliumque rei furtiva morte luisse*. Sensus hic est, periisse Hannibalem, quem vincula nostra expectabant, et fugam illam, qua nobis ereptus latuit apud Prusiam, luisse hoc mortis genere, quod ei utpote noxio conveniret. Parcendum est veteri scripturæ, neque codicum fides solicitanda est, aut audiendi bonæ criticæ susurri et conjecturæ, quam cum deplorata penitus sententia est. Hac lege si starent interpretes, minus depravatos haberemus auctores, qui misere interpolati sunt et depravati.

61 *Nomenque cruore Delevit proprio*] Dextra retinebat indicium, ascriptumque in eo conjurati alicujus nomen sanguine suo moriens aspersit et delevit. Hoc quantumvis planum Scaligero non placuit, legique jussit, *omenque cruore Delevit proprio*: unde si quis aliquem sensum extruderit, erit mihi magnus Apollo.

64 *Priamumque in littore truncum*] Virgilius de Priamo, 'Jacet ingens littore truncus.'

102 *Non seminis ille Partus erit*] Valde fallitur Manilius, cum ex coitu animalium diversi generis monstra nunquam procreari censuit: quod vel ex tot bestiis hujusmodi congressu prognatis sæpe fieri cognoscere poterat; leopardis, crocutis, burdonibus, mulis, tityris, musmonibus, ibridis, et lyciscis, quæ Evanthius complexus est Epigrammate de ambigenis, quod edidit Pithœus; vel ex veteri adagio, 'Semper aliquid novi fert Africa.' At excusari potest Firmicus, non enim bigenera corpora, sed præter naturæ legem deformia fortasse intellexit.

108 *Facinus defendere pergit*] Hoc est, defendit. Parem locutionem habes in Arateis, 'Andromedæ lævo ex humero si quærere perges.' Rursum, 'Andromedam tamen explorans fera quærere Pistrix Pergit.' Familiare Lucretio est hoc loquendi genus.

127 *Et natis in damna feretur*] Aries damnosus erit his qui eo horoscopante nascentur. Nativam hanc esse sententiam res ipsa loquitur. At Scaliger plana via incedere dedignatus, mavult ἀεροβατεῖν. 'Hoc est,' inquit, 'natis opibus in damna feretur. Sic apud Catullum, 'Natum æs,' τὸ γινόμενον.' Falsum falso probare instituit; nullus enim locus est in Catullo tam male a Scaligero acceptus, nullus in quo tantum se jactaverit. Extat decimo epigrammate. Ait Catullus se ex Bithynia reducem a Varro fuisse deductum ad ejus amores. Dum sermones illic cædunt, quærunt a Catullo, ut fit, quomodo se res habeant in Bithynia, ecquid ipse æris inde reportaverit. Parum, aut nihil, inquit, propter prætoris illiberalitatem: 'At certe tamen, inquiunt, quod illic Natum dicitur esse, comparasti Ad lecticam homines.' *Natum* illud ad *æs* proxime memoratum refert Scaliger: æs autem natum ait esse

lucrum, quod comites proconsulum in provincia negotiatione sua percipiebant, atque id a Græcis dici τὸ γινόμενον ἀργύριον. Quo nihil fingi potuit magis a Catulli mente alienum. Neque feliciores fuerunt reliquorum interpretum divinationes. Sciendum est lecticarum usum primo in Bithynia fuisse repertum. Diserte id tradit Juvenalis scholiastes in Sat. I. 'Lecticarum usum,' inquit, 'primi dicuntur invenisse Bithyni.' Inde redux Catullus cum dixisset nihil se in provincia lucrifecisse, Si nihil aliud, inquit puella, at certe lecticarios ex Bithynia reduxisti, nam illic primum usus lecticarum lecticariorumque repertus est. Si tam stolidum errorem in alio deprehendisset Scaliger, Deus bone, quam fœdis eum excepisset maledictis! quantum ipse se extulisset!

134 *Ipsa suismet Asseruit Pallas manibus, dignumque putavit, Seque in Arachnea magnum putat esse triumphum*] Turpiter hic quoque se dat Scaliger, et ex falsa Virgilii interpretatione Manilii sententiam corrumpit. 'Pallas,' inquit, 'dicitur triumphus, hoc est triumphatrix; quo modo 'pastor certamen,' hoc est, certator, apud Maronem: 'Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.'' Idem jam attulerat in l. I. Quanto rectius Servius: 'Figurate locutus est, magnum certamen, ille cum illo: ac si dicas, magna contentio est, cum Cicerone Virgilius. Et videtur nominativum pro genitivo posuisse; nam Corydonis facit.' Recte intellexeris locum, si dictionem *nempe* suppleveris: magnum erat certamen, nempe Corydon cum Thyrside. Quod pertinet ad Manilium, sententiam oblimavit permutatio duarum vocum similium *dignum* et *magnum*, quas ita feliciter restitues, *Ipsa suismet Asseruit Pallas manibus, magnumque putavit, Seque in Arachnea dignum putat esse triumphum.* Magnum putavit Pallas hoc asseruisse suis manibus, et triumphum se dignum reportasse censuit, cum Arachneam vicit. Ceterum *Arachnea* pro Arachne Attice dicitur. Hesychius Ἀράχνεια, (sic enim scribendum, non ut vulgo Ἀραχνία,) Ἀράχνη. Ἀττικοί. Itaque scribendum in Manilio *Arachnea*, non *Arachnæa*. Sic 'Calliopea' apud Virgilium, pro Calliope: sic Πηνελόπεια apud Homerum, pro Πηνελόπη; Europe et Εὐρώπεια; Ἐρύθη et Erythea; Ὑψιπύλη et Ὑψιπύλεια; Ἀπάμη et Ἀπάμεια; Λαοδίκη et Λαοδίκεια, aliaque hujusmodi, quæ notavit Eustathius in Dionysium Periegeten. Infra lib. V. 'Cassiope' pro Cassiopea; 'Hippodame' pro Hippodamia apud Virgilium; 'Pasiphaë' et Pasiphaëa apud Ovidium.

151 *Habitatque puer sub fronte Cupido*] Hic enim taurus est Europæ amasius, indutus Jovi, ut supra dixit; de quo Ovid. 'Nullæ in fronte minæ, nec formidabile lumen: Pacem vultus habet.'

165 *Ille tenax animi*] Id est, animo, sive natura et ingenio tenax: ut, 'integer vitæ.'

168 *Et gravia annonæ speculantem incendia*] Velleius Paterculus, 'Tum expostulante consensu populi, quem gravis urebat infesto mari annona.' Pari metaphora dicebant veteres, 'forum calfacere,' qua usus est Augustus in Epistolis: dicebant et 'forum refrigescere.' Hanc in Epistolis quoque suis adhibuit Cicero.

182 *Et pacare metu sylvas*] Metum appellat, quod alias formidinem; lineam nempe sive restem vario pennarum diversicolorum contextu instructam, qua cervos aliasque feras terrebant venatores. Idem itaque hic significatum voluit Manilius, quod lib. V. cum dixit, 'et claudunt campos formidine mortis.' In Cynegeticis *metus* eadem significatione usurpatur. Gratius, 'Hic magis in cervos valuit metus.' Rursum, 'Si qua metus eludat bellua falsos.' Neme-

sianus, 'volucresque metu concludere prædas.' Iterum, 'Alternosque metus subtegmine tendere longo.' Nihil horum olfecit Scaliger.

184 *Sed pecorum membris, &c.*] Bestiarios, confectores, parabolanos interpretatur Scaliger. An illi vero in tabernis habitabant, in quarum frontibus bestiarum confectarum membra lacera suspenderent? Ego lanios intelligo, qui in carnariis olim, uti et nunc, pecudum membra venum proponebant. Hi vero luxuriæ et gulæ hominum serviunt, et ex pecorum cæde lucrum faciunt.

207 *Qui nomina summis Imposuit*] Sic Gemblacensis. Scaliger *momina;* perperam, ut docui supra. Nomini debitoris summa debiti adjungebatur in rationariis trapezitarum. Vult ergo Manilius Palamedem primum extitisse auctorem conficiendorum rationariorum.

243 *Vesta tuos, capricorne, &c.*] Quippe ante focum, si frigus erit, esse volumus. Sole autem capricornum tenente, friget tum maxime.

248 *Materiamque manu certa duplicarier arte*] Alchymiam his notari Scaliger autumat, quæ auri copiam augere docet. Quod autem alchymia, Manilii ævo, et re, et nomine Romanis ignota esset, versum hunc ab alchymista confictum, et huc intrusum esse censet. At primum nego ad alchymiam pertinere isthæc, sed ad ferri metallorumque tractationem; quæ igne subacta et mollita cudendo producuntur et extenduntur: ita ut ferrum pedale possit ad magnitudinem bipedalem feriendo crescere. Sic igitur *duplicarier* habebit vim activam. Cur vero pro *duplicari*, poëtica et veteri forma dici non possit *duplicarier*, non video. Quod addit præterea alchymiæ neque rem neque nomen fuisse notum hoc tempore Romanis auribus, nec quenquam Firmico antiquiorem ejus mentionem fecisse; de nomine fateor; de re aliter Eusebius in Chronico. Is scribit Democriti temporibus Pammenem et Mariam quandam de arte auri et argenti conficiendi scripsisse. Suspecta hæc habuit Scaliger, et Panodoro attribuit, quod chymiam nimis vetustam faciant, uti et illa Manilii. Ecquid vero æquius fuit suam de novitate artis hujus opinionem habere suspectam, quam auctores hi revincunt?

251 *Consumantque foci Cererem*] Ignis panem perficit, non interficit: consummat, non consumit. Lego ergo *Consummant*; quod olim scribebatur *Consumant;* nec enim consonantes geminabantur. In superioribus versibus legi velim *fabricatur* et *solvunt;* quæ si intacta mavis relinquere, legito *Consumment.*

261 *Cernere sub terris, undas inducere terris*] Geminatum illud *terris* non probat Scaliger: quapropter postremum refingit, et legit *tectis.* Verum iterationes hujusmodi non infrequentes sunt apud Manilium. Sic supra hoc libro, 'magnumque putavit, Seque in Arachnea dignum putat esse triumphum.' Sic ad calcem libri hujus, 'doceatque videndo Qualis eat, doceatque suas attendere leges.'

262 *Ipsaque conversis aspergere fluctibus astra*] Frequentissimus est apud nos salientium usus, in quibus aquæ certa lege ex sublimioribus locis per fistulas plumbeas, tubulosve fictiles in inferiora ductæ, sursum emicant; et velut altitudinis pristinæ memores tantum extolluntur in altum, quantum profluendo descenderant, aërisque gravitate æqualiter utrimque compressæ æquilibritatem suam retinent. Quid in eo genere ars posset, nullibi felicius experta est, quam in amœnissimo Versaliarum secessu, in quo naturam ipsam legibus suis parere, et maximi regis oblectamentis et animi relaxationibus servire jussit. An vero simile quippiam hoc loco significet Manilius, dubitari po-

test. Nam convenire quoque posse videntur ista in siphones seu tubulos, quibus aquam ad extinguenda incendia ejaculabantur. Horum formam artificiumque descripsit Hero in Pneumaticis. Verumtamen aquas illas ex altis locis in infima derivatas, atque hinc superna magno impetu repetentes, ac descensus sui velut dispendium reparantes, Manilium notasse puto: nam natorum sub aquario artem primum fore ait fontes investigare, 'Cernere sub terris;' hos repertos derivare, 'fontes inducere terris;' et in aërem demum remittere, 'Ipsaque conversis aspergere fluctibus astra.' Quod si siphones illos, cujusmodi Hero descripsit, notare voluisset, natorum illorum studium fore dixisset, non 'aspergere fluctibus astra;' sed, extinguere fluctibus ignes. Quoniam autem dubitare nonnullos video, an artificium hoc omne salientium, quo nunc utimur, veteribus cognitum fuerit, paucis dicam tam claris esse monumentis expressum, ut id negare, perinde sit ac oculos ad lucem claudere. Nam primum æquilibritatem aquæ perspectam his fuisse manifeste docet Plinius, qui eam 'subire altitudinem exortus sui' definit. Exprimendæ item in altum aquæ rationem tenuisse eos scimus ex Vitruvio, qui de ductionibus aquarum agens, 'Cum venerit,' inquit, 'ad adversum clivum, quia ex longo spatio ventris leniter tumescit, tunc exprimatur in altitudinem summi clivi.' Scimus et ex Palladio, qui idem persequens argumentum ait, 'Si se vallis interserat, erectas pilas vel arcus usque ad aquæ justa vestigia construemus, aut plumbeis fistulis dejici patiemur, et explicata valle consurgere.' Viderant præterea veteres multis in locis aquas sponte e terra in sublime erumpentes; cujusmodi sunt in ora nostra Bajocana Neustriaci litteris. Observaverant quoque exsilientes in aërem aquas per rimas plumbearum fistularum, quæ vitium forte contraxerant. Quæ igitur vel natura vel casu contigisse animadverterant, promtum fuit id arte imitari, facile etiam imitando consequi. Ergo ad hunc modum Romæ in foro C. Cæsaris, prope templum Veneris genitricis, aqua Appia sursum emicabat. Ovidius in Arte, 'Subdita qua Veneris facto de marmore templo Appius expressis aëra pulsat aquis.' Etsi aqua hæc, utpote ex urbano agro profecta, in multam altitudinem erigi non potuit; et humiliore etiam directura, perinde ut aquæ omnes reliquæ, perducta est; sive nondum subtilius explorata illo ævo arte librandarum aquarum, sive ob alias causas: de quibus consulendus est Frontinus in libro de Aquæductibus. Talis fuit et fons ille, de quo in veteri epigrammate, quod edidit Pithœus, 'Est via quæ populum ducit Junonis ad ædem, Fons ubi nativis aëra pulsat aquis.' 'Nativas aquas' appellat, non collectitias: Lucretius 'ingenuas' dixit. In eo autem quod Ovidius de cruore erumpente ex Pyrami vulnere sic cantat, 'cruor emicat alte, Non aliter quam cum vitiato fistula plumbo Scinditur, et tenues stridente foramine longe Ejaculatur aquas, atque ictibus aëra rumpit;' aptior fuit comparatio, cruoris ex vulnere, et aquæ ex fistulæ scissura exsilientis, quam ex epistomio tubuli hos in usus parato. Quocirca illud dixit, hoc tacuit.

267 *Quæ per aquas veniunt operum*] *Aquas operum*, pro opera aquarum; hypallage.

298 *Quam partem decimam dixere decania gentes*] Salmasius in libro de Annis Climactericis emendabat, *Quam partem Graiæ dixere decanon gentes:* an ex ingenio, an ex libris, non apponit. Porro hunc inter et Scaligerum de decanorum nomine non levis concertatio est. Arbitratur Scaliger ipsam quidem decanorum doctrinam

admodum vetustam esse, nomen vero ipsum recentius, et sumtum a militia Romana; nec enim pati linguæ Græcæ genium, ut *δεκανὸς* fiat a *δέκα*; at Romanos decanum appellasse eum qui esset caput contubernii novem militum, quibus ipse decimus præesset, unde nomen illi. Quamvis autem non recentiores solum apotelesmaticos astipulatores habeat Scaliger, quibus se tueri possit, sed veteres quoque, Manilium hoc loco et Porphyrium in Isagoge, contradicit tamen Salmasius, quem assectatur Kircherus, et vocabuli originem repetere mavult, unde et rem ipsam profectam esse putat, a Chaldæis nimirum, quibus vox דיקנא *imaginem*, *faciem*, *πρόσωπον* sonat, a themate דוק, quod Chaldæis est *speculari* et *prospicere*: vel a דיקן, quod Syris usurpatur pro *ἐπισκόπῳ* et *ἐφόρῳ*; ineptum quippe esse ait vocabulum id arcessere a militia Romana, quasi Romani id duxerint a dictione *decem*, aut ejusdem formæ sit, cujus primanus, secundanus, tertianus, quod non est ita; nam a *decem* fit *decimus*, inde *decimanus*; ut a *quinque*, *quintus*, hinc *quintanus*. Addit deinde militiam Romanam, ante Constantini ævum, dictionem hanc non usurpasse, sed ætate Constantini sumsisse ab astrologis, qui tum Latine plerique scripserunt. Certum est stare non posse Scaligeri sententiam, nam cum dictio *decanus* extet apud Manilium, qui fuit Augusti æqualis, ante illa tempora locum et usum habere debuisset in re militari Romanorum; quod longe serius evenisse constat. Sed nec opinionem Salmasii probare possum; neque enim quisquam mihi persuadeat auctor, casu evenisse, ut qui decem signi partibus præesset, decanus appellaretur, ea nominis forma quæ expressa videatur ad illas, primanus, secundanus, tertianus. Præterea si *decanus* dictio esset Chaldaica, a vetustis Chaldæis et Ægyptiis astrologis ficta et frequentata, usurpâssent eam utique mathematici Arabes et Judæi, quæ nulla apparet in eorum libris. Itaque verisimilius mihi fit, vocabulum hoc finxisse Ægyptienses Græcos non longe ante Augusti ævum. Nam cum illa tempestate armis Romanorum oriens personaret, facile crediderim ad formam dictionum illarum, primanus, secundanus, tertianus, quæ frequentes erant in Romanis exercitibus, genethliacos Alexandrinos, a vocabulo *δέκα* formasse et illud *δεκανός*. Inquinatissimam autem et prope barbaram fuisse Alexandrinorum reliquorumque Græcorum Ægyptiensium loquelam declarant grammatici Græci, Helladius, Phrynichus, et alii: ex qua linguarum colluvie manavit Coptica illa, quam nobis pro veteri Ægyptia obtrudere voluit Kircherus. Nil mirum igitur si vocem hybridam, originis quidem Græcæ, sed terminationis Latinæ excuderunt; quam a Sosigene aliisque mathematicis ex Ægypto venientibus acceperunt Romani, et in militiam deinde suam transtulerunt. Doctrinam quidem decanorum in Commentariis suis accurate fuerat complexus Necepso, vetus Ægyptiorum rex. Nec penitus intactam reliquerat Petosiris, ut docet nos Firmicus. In eorum quoque tractatione operam suam studiumque locaverat Teucer Babylonius, Porphyrio et Psello memoratus. At illi de re ipsa egerant, nomine vero decanos appellasse quam audacter asseverat Salmasius, tam confidenter negare possumus. Nam quod habet Porphyrius, *οὓς τινας ἐκάλεσαν δεκανοὺς οἱ παλαιοί*, non de vetustissimis illis apotelesmaticis intelligendum est, sed de iis qui paulo ante Augustum floruerunt. Rem quoque ipsam prætermisso nomine delibavit Ptolemæus in Tetrabiblo. Nomen vero et rem Hephæstion Thebanus et Porphyrius explicarunt. Quocirca mirari subit, cur scripserit Fir-

micus Græcos 'istum tractatum cum quodam dissimulationis fastidio reliquisse.'

322 *Nec quisquam numero discernitur, ordine cedit*] Sensus est, Nullus decanus ab alio distinguitur, et differt numero, cum omnibus sit æqualis numerus attributus. Nam unicuique singulatim attribuuntur partes signorum decem; nec ullus decanus alteri cedit ordine suo, hoc est, locum suum non relinquit, ut alteri concedat, sed suam seriem servant omnes. Aliter hæc explicat Scaliger, hic nempe non numeri, sed ordinis rationem haberi; neque enim quia primus est taurus post arietem, propterea primam in suo signo decuriam obtinere, sed cedere ordini, quippe cancrum ordine venire. Quasi vero, propterea quod taurus primus sit post arietem, hoc sit potius numeri quam ordinis; et quod cancer veniat post geminos, illud sit ordinis potius quam numeri.

389 *Cernere cum facili lucem ratione viderer*] Versui huic subnectendus et alter iste, *Rursus et in magna mergis caligine mentem;* qui trajectus erat paulo inferius. Clarissima sententia loci cui redditus est, et ejus unde depulsus est, omne dubium tollit.

406 *Quantum est, quo veneat omne*] 'Aurum scilicet,' inquit Scaliger. Nulla hic auri mentio. Sensus est, Quantulum hoc est, quodcumque ad emendum cœlum impendimus? labor nempe noster, et totius vitæ studium.

434 *Incinimus sic verba, piget*] Libri scripti et impressi, *Incidimus sic verba piget.* Lege, *Incidim si verba piger. Incidim* pro *Incidam;* ut 'edim' pro edam, 'coquint' pro coquant, apud Plautum. Sententia jam liquet. Longum esse dixerat tantum rerum numerum versu comprehendere. Nunc addit, Si ea contrahere velim metu laboris, et ornamenta recidere, vanus erit labor iste meus et despectus, cum aurium voluptati servire desiero.

533 *Et multa fuscat caligine sidus*] Vexat hic Manilium Scaliger, quod cancrum putaverit incipere oriri a præsepi, quemadmodum scorpius ab acumine caudæ; 'cum hic agatur,' inquit, 'de prima parte signorum oriente:' quorum in Manilio nullum extat vestigium. Nam neque de ortu primæ partis cujuslibet signi disserit, sed de signi ipsius ortu. Velut cum agit de ortu geminorum, 'Sed geminos æqua cum profert unda legitque Parte.' Ubi non primam partem geminorum signat, sed mediam. Prodituros quoque cæcos ait, cum nebulam suam cancer attollet.

550 *Judex extremæ sistet vitæque, necisque*] *Sistet* pro stabit. Sic Virgilius dixit, 'sistunt amnes.' Sic Cicero in oratione de suppliciis, 'Qui rempublicam sistere negat posse,' hoc est, stare. *Stabit* autem pro erit; *stare* pro esse; unde Gallicum nostrum, *être; stabam, j'étois.* Talia sunt infinita scriptorum loca, in quibus explicandis valde æstuant interpretes. Manilius noster, 'Cum bene materies steterit præcognita rerum.' Virgilius, 'Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.' Deinde, 'Stant belli causæ.' Ovidius, 'Suffusa rubore Ante stetit.' Alibi, 'Stant tamen illa suis omnia tuta locis.' Item, 'Stent foci.' Gratius, 'Stat fama.' Tibullus, 'Nec in tenero stat tibi corde silex.' Propertius, 'Stant mihi cum domina prælia dura mea.' Rursum, 'Pietate potentes Stamus.' Alio loco, 'Misero steterat vigesimus annus.' Deinde, 'Infamis stupro stat Pelopea domus.' Horatius, 'Stet nive candidum Soracte.' Iterum, 'Et altis urbibus ultimæ Stetere causæ.' Item, 'Corycioque croco sparsum stetit.' Tum, 'Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum.' Martialis, 'Cum stare gratus cum silentio possim.' Juvenalis, 'Stat fortuna improba noctu.' Valerius Flaccus, 'Nec notis stabat contenta ve-

nenia.' Quibus locis aliisque sexcentis non aliud significat *stare*, quam esse. Idem est usus verbi ἱστάναι. Unde enim ait Lucas in Actis Stephanum vidisse Filium Dei ἑστῶτα ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ, optime id reddas, *cui erat ad dextram Dei*. Itaque non discrepat locus iste ab aliis Psalmi centesimi noni, et Epistolæ ad Ebræos, in quibus Filius Dei sedere dicitur ad dextram Dei.

566 *Invidet in facie, sævitque asperrima fronti*] Hæc refert Scaliger ad cædem Cæsaris; quæ quomodo illuc flecti possint, sane non video. Id vult Manilius, bello inclytos et victores fore, qui sagittarium habuerit ὡροσκοποῦντα; sed fortunam invidentem prosperis successibus deformes notas ipsis in facie inusturam. Talis fuit Hannibal, altero oculo captus, cujus gloriam victoriis partam hac deformitate fortuna pensabat.

573 *Cum primus aquarius exit*] Pro eo quod est, cum primum oritur aquarius. Hanc figuram supra notavimus ad lib. II. Par adhibenda explicatio istis quæ proxime sequuntur, 'Neve sit in primos animus procedere pisces;' et his libri hujus, 'At quos prima creant nascentis sidera tauri:' hoc est, sidera tauri cum primum oriuntur, pisces cum primum surgunt.

577 *Crimina per populum populi fert ore maligno*] Versum hunc obelo suo confodit Scaliger, ut adulterinum et Manilio indignum; qui mihi contra optimus videtur, et plane Manilianus.

594 *Hos inter binæ mediis e partibus auræ Expirant*] Sensus est, Inter hos ventos a quatuor cardinibus flantes, duo utrimque spirant e mediis partibus mundi, et inter polos utrimque sitis: nimirum ab ortu aquilo inter septemtrionem et subsolanum; vulturnus inter subsolanum et austrum; ab occasu corus inter septemtrionem et favonium; libs inter favonium et austrum. Similes deinde ait esse flatus, quod eorum naturam participent, quos inter siti sunt.

618 *Mæotis et undis*] *Mæotis* pro Mæotidis. Idem infra hoc libro, 'Mæotisque lacus,' accusativo casu. Sic Ennius in Epitaphio Scipionis, 'Supra Mæoti' paludes;' quod vix alibi reperias. Iones dixerunt Θέτιος pro Θέτιδος, et Θέτι pro Θέτιδι. Calpurnius Ecl. II. 'sub judice Thyrsi.'

619 *Pontumque ministrat*] Recte; nam ex Mæotide maria Euxinum et Ægeum profluunt in meridiem et occasum, quoad se in oceanum evolverint. Hinc Mæotis μήτηρ πόντου dicta est a veteribus.

629 *Hæc medium terris circumdat linea pontum*] Signatam his putat Scaliger lineam ab Eratosthene confictam, et a freto Gaditano ductam ad Issicum sinum, et cum Tauro monte continuatam, ad dividendum orbem in partes australes et boreales. De ea non cogitavit Manilius, neque sane cogitare debuit, cum Mediterranei maris oras describeret. Lineam appellat tractus littorum Mediterranei maris, qua maria terris junguntur.

683 *Trinacria Italia tantum præcisa recessit*] Alludit ad vulgare etymon Siciliæ 'præcisam' appellans, quasi Sicilitam; unde nomen ipsi factum quidam censuerunt.

639 *Aulidaque*] Aulidem facit insulam, quemadmodum et Servius in Æneid. IV. et Lactantius Statii interpres ad Achill. II. An dicta insula, quod sit Chersonesus, ut Peloponnesus?

644 *Namque inter boream, &c.*] Caspium mare oceani borealis effluvium esse mirabile est priscos geographos plerosque credidisse, postquam antiquior Herodotus asseveraverat, τὴν Κασπίην θάλασσαν εἶναι ἐπ' ἑωὐτῆς, οὐ συμμίσγουσαν τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ. Mirabile quoque scripsisse Strabonem ἄπλουν εἶναι καὶ ἀργὸν, cum tradiderit Herodotus Ἕλληνας ναυτίλλεσθαι πᾶσαν. Ac sinum quidem esse oceani, non Plinius solum et Plutarchus, sed

et Orosius existimavit, cum hujus tamen temporibus jam diu edita essent Ptolemæi Geographica, quibus docebatur rei veritas; et jam collocato Constantinopoli imperio mare hoc crebris navigationibus propter vicinitatem frequentatum fuisse verisimile sit. Nec displicet Julii Cæsaris Scaligeri aliorumque opinio, qui per subterraneos meatus, vel mare hoc in alia maria, vel alia in istud influere dixerunt. Jamdiu hac opinione viri docti, ut refert Eustathius, discordiam hanc componere tentarunt Dionysium Periegeten inter et Ptolemæum, quorum ille ex oceano Caspium mare oriri, hic solitarium esse, et ab omni mari secretum tradidit. Multis certe argumentis mari Caspio cum Euxino commercium esse approbavit Archangelus Lambertus, in nupera Mengreliæ descriptione.

680 *Æquora, et extremum Propontidos Hellespontum*] Quam sibi versus hujus expungendi licentiam sumit Scaliger, nos non concedimus; legas modo, ut placet Junio, *extremumque Propontidos*.

683 *Taurumque resolvit, Condere passa sibi signisque, humerisque juvantem*] Hunc quoque versum pro imperio Scaliger de fundo dejicit. At ego eum ad interdictum venire jubeo. Obsitus quidem versus mendis est, sed non proinde usurpator alienæ possessionis et loci. Donec opem ferant libri, sic emendemus: *taurumque resolvens Quærere passa sibi est ignisque onerisque juvamen*. Europa terra Jovem excipiens, et taurina forma exuens, passa est hunc sibi amoris et oneris, quod per mare gestaverat, levamen quærere.

684 *Ille puellari donavit nomine fluctus*] Quodnam mare illud est, cui dedit Jupiter puellare nomen? An fluctuum vocabulo totam Europam Manilius signavit? Aliud animus suggerebat. Stephanus de Creta, *οἱ μέν φασιν ἀπὸ τοῦ κόρης Κορήτην, καὶ Κρήτην κατὰ συγκοπήν*. Quod sic interpretor, Coretam, et per contractionem Cretam, esse dictam a dictione *κόρη*, quæ puellam significat. A Creta autem mare Creticum dicitur. Ergo appellationis hujus origo esset *κόρη*. Hæc conjicio tamen, non affirmo.

694 *Italia summa*] Scaliger *in summa:* libri veteres *in summam*, quod probo; hoc est, quoad summam, nempe rerum. Gallia nobilis divitiis, Hispania bello, Italis imperio totius orbis. *Summa* enim, absolute positum, supremum imperium et summam rerum significat. Plautus, 'Solus summam habet hic apud nos.'

697 *Quem Deus in partes, &c.*] His consimilia sunt ista Dionysii Periegetæ, qui Manilio nostro æqualis fuit, ut alterum ab altero mutuatum dicas, [θεοὶ] ἐκληρώσαντο δ' ἑκάστῳ Μοῖραν ἔχειν πόντοιο, καὶ ἠπείροιο βαθείης· Τῷ ῥα καὶ ἀλλοίην ῥυσμοῦ φύσιν ἔλλαχ' ἑκάστη· Ἡ μὲν γὰρ λευκή τε καὶ ἀργυρόεσσα τέτυκται, Ἡ δὲ κελαινοτέρη, ἡ δ' ἀμφοτέρων λάχε μορφήν· Ἄλλη δ' Ἀσσυρίης ἐναλιγκίη ἄνθεϊ μίλτου, Ἄλλαι δ' ἀλλοῖαι· τὰς γὰρ μέγας ἐφράσατο Ζεύς.

745 *Caurum inter gelidum*] Hoc est, flante cauro. Caurum autem hic ponit pro favonio: nam caurus alioquin frigidus est et rapax.

755 *Euxinus Scythicos pontus sinuatus in arcus*] Hoc ipsum de ponti Euxini forma tradunt veteres plerique omnes. Nemo clarius Strabone et Dionysio Periegete, ejusque interprete Eustathio, qui maris hujus australem oram nervum arcus esse volunt, nulla habita ratione promontorii, quod Carambis appellatur, quodque versus boream extra rectam lineam excurrit; oram vero septemtrionalem effingere arcum ipsum Scythicum, sive Parthicum, quem et Turcicum queas dicere; Parthi quippe et Turcæ Scythis prognati, mores eorum plerosque retinuerunt. Hujus arcus forma talis est. Pars ea quæ sinistra manu tenetur, cuique sagitta imponitur, recta est, necin-

tendendo arcum lentatur. Utrimque vero prominent cornua, quæ paulum introrsum flexa continuo extrorsum panduntur. Atque hanc figuram plane obtinet borealis illa ora maris Euxini. Nam promontorium Criumetopon, pars illa media est, quæ velut manubrium manu prehenditur. Sinus vero duo utrimque versus boream recedentes, tum in quem evolvitur Borysthenes, tum in quem Mæotis, cornua sunt, quæ paulatim versus austrum repanda et sinuata se demittunt. Ex prima tabularum geographicarum inspectione facile id intelligitur. At Ammiani Marcellini non satis explicata est et aperta ratio, qui has describens oras sic disserit: ‘ Cum arcus omnium gentium flexis curventur hastilibus, Scythici vel Parthici circumductis utrimque introrsus pandis et patulis cornibus, effigiem lunæ decrescentis ostendunt, medietatem recta et rotunda regula dividente.’ Quorum ea significatio est, gemina illa arcus cornua utrimque introrsus inflexa esse, et segmenta quædam circulorum referre, quorum gibbosa pars nervo obversa sit, ita ut duas utrimque referant lunæ dècrescentis et μηνοειδοῦς effigies. Δεττὴν ἐπιστροφὴν appellat Strabo, δισσὴν στροφάλιγγα Dionysius. Has curvaturas dividit regula illa in medio posita, qua arcus tenetur. Ea autem recta est, quippe quæ adducendo arcum haudquaquam flectitur; rotunda quoque est, hoc est, teres, et cylindri formam habens, cum cornua complanata sint et tenuata. Hæc utique perperam exposuit Valesius: nam quod Agatho tragicus apud Athenæum sigma simile dixerit Scythici arcus, propterea arcum Scythicum similem fuisse censuit literæ sigma, quam olim Græci pingebant hac figura C. Tum Scaligerum castigat hoc nomine, quod reprehenderit Ciacconium, qui stibadium simile esse dixit arcui Scythico. ‘ Quid enim,’ inquit Valesius, ‘ aliud est stibadium quam sigma? sigma autem, non quodcumque, sed ita ut dixi formatum.’ Castigat et Agathonem, quod formam Scythici arcus haud satis expresserit, cum sigma referre dixit. Tot errores ab uno hoc propagati sunt; quod veterem literæ hujus formam Valesius ignoravit. Etsi enim vetusta illa fuit C, vetustiorem tamen fuisse hanc Σ, vel istam potius <, indicat Schin Chananæorum, quod tale est w, unde prodiit vetus Græcorum sigma. Deinde cum ora borealis Euxini maris similis sit Scythici arcus, Scythicum autem arcum similem esse dixerit Agatho τοῦ sigma, sequitur sigma ejus esse figuræ, cujus ora illa septemtrionalis Ponti Euxini. Atqui res ipsa, et descriptiones geographorum, et primus tabularum geographicarum conspectus declarant oram illam esse figuræ hujus ΛΛ. Ergo accurata est et vera Agathonis comparatio; et merito castigandi sunt Ciacconius et Fulvius Ursinus, qui stibadium dixerunt simile esse arcui Scythico. Sciebant illi stibadium esse semirotundum et forma referre sigma; sciebant quoque sigma forma referre arcum Scythicum; verum perperam inde collegerunt stibadium forma referre arcum Scythicum; nam duplex fuit forma τοῦ sigma, alia hæc, C, quæ stibadii similis est, alia ista, Σ, quæ arcus Scythici. Errores istos cumulavit Valesius altero hoc, cum dixit arcum Scythicum probe tensum referre figuram ἀμφίκυρτον, hoc est, effigiem lunæ decrescentis. Luna ἀμφίκυρτος dicitur, cum media est inter πανσέληνον et διχότομον, sive cum e duodecim partibus diametri novem sunt illuminatæ: tum autem utrimque gibbosa est, et rotundior quidem ea parte quæ soli propior est, altera parte planior. Ecquodnam autem arcus genus tale esse dicet Valesius? nam non arcum solum curvatum esse

oporteret et inflexum, sed nervum quoque ipsum, quod absurdum est. Alias duas ex Euripide et Theodecte Phaselita *ῥήσεις* affert Athenæus, in quibus sigma simile esse dicitur *ἑλικτοῦ βοστρύχου*; quo tertia forma literæ hujus exprimitur; ea nimirum Ɛ, rotundatis nempe et elisis angulis figuræ hujus Σ, ut fieri solet a librariis, brevitatis causa.

756 *Sub geminis te, Phœbe, colit, &c.*] Geminos nonnulli veterum Castorem et Pollucem, quidam Apollinem et Herculem esse rati sunt. Ex horum sententia nomina Apollinis et Herculis illis imposuerunt Arabes, quæ licet valde corrupta etiamnum retinent. Manavit id ex doctrina Ægyptiorum, qui Herculem, et Horum, seu Harpocratem, seu Apollinem, loci hujus præsides statuunt.

757 *Ultimus est positus Ganges. Colit India cancrum*] Dictionem *Ganges* libri omnes agnoscunt, quam Scaliger expungit hoc argumento, quod proxime agat Manilius de India; non ergo putandum esse hic ab eo commemoratum Gangem qui in India est. Atqui est duplex India, et quæ ad ortum vergit, et quæ ad occasum. Hanc vult Manilius cancrum colere; illam vero, quam permeat Ganges, colere geminorum alterum. Virgilius, 'Sed neque Medorum sylvæ, ditissima terra, Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus, Laudibus Italiæ certent, non Bactra, neque Indi.' En tibi Indiam a Gange distinctam, neque idcirco in hos versus quicquam sibi critici permiserunt. Ergo Gemblacensis codicis vestigiis inhærentes legamus, *post brachia fratris Ultimus ex solido Ganges. Colit India cancrum.* Quorum sententia hæc est, Euxinus colit Phœbum, qui unus est e geminis; India orientalis colit brachia Herculis, alterius e geminis. India vero occidentalis cancrum. Ultimus autem ex solido Ganges dicitur, quod totius orbis pars ultima sit. 'Brachia Herculis' pro Hercule; ut 'robur Herculis' pro eodem; quod Græcis poëtis familiare est.

793 *Ambiguum sidus terræque marisque*] Cornelius Severus Ætna, 'Hæc visenda putas terræ dubiusque marisque.' Hoc est, terra marique iter faciens. Capricornus vero ambiguus dicitur terræ et maris, quod ex terrestri et marino animali constat.

795 *Æstibus assiduis terram, pontumque tenentem*] Plinius de Chaucis, 'Vasto ibi meatu bis dierum noctiumque intervallis effusus in immensum agitur oceanus, æternam operiens rerum naturæ controversiam; dubiumque terræ sint partes, an maris.'

818 *Percipe nunc etiam, &c.*] Plurimum hæc habent mysteriorum, si audiamus Scaligerum, cum nihil tamen planius sit, nihil simplicius. Docet Manilius signum in quo commissa est eclipsis, ita affici per hoc deliquium, ut per longum tempus sit effœtum et cassum viribus: nec ipsum solummodo, sed et id præterea, quod ei oppositum est; ita ut duo semper signa hoc casu percellantur. Verum postquam receperunt pristinas vires, quæ proxima sunt signa, eandem imbecillitatem et debilitationem contrahunt.

823 *Mutantur sed cuncta diu*] Diuturnitate temporis. *Diu* pro die, ut *noctu* pro nocte. Titinnius et Plautus, 'Noctu diuque.'

824 *Et fœcunda suis subsistunt frugibus arva*] Atqui aliud vult Manilius, nempe arva fœcunditatem suam non retinere: igitur legerim, *Nec fœcunda.*

849 *Pariter subbina laborant*] Placuit Scaligero novitas vocabuli hujus, quod mihi barbarum videtur et insolens. Legamus juxta Gemblacensem, *sed bina.*

862 *Sidereo non ut pugnet, &c.*] Non quod orbis terrestris labem hanc afflaverit orbi sidereo; immo vero cœ-

li contagione afficitur ipse orbis terræ, nec vi suapte cœli noxam reparare potest.

882 *Et toto vivere in orbe*] Hoc est, animo totum orbem percurrere, animo toto orbe præsens esse. Sic supra de mercatore agens, 'Totius et esse Orbis in hospitio.' Sic libro sequenti, 'Totaque habitabit in urbe Limina pervolitans.' *Vivere*, pro esse, eleganter dicitur. Catullus, 'Sed tu insulsa male ac molesta vivis.' Plautus Amphitruone, 'Virtute dixit vos victores vivere :' et in Trinummo, 'Lepidus vivis.'

889 *Aëris atque ignis summi*] Hæc ita interpolavit Scaliger, cum prius legeretur, *Ætheris atque ignis.* Quod autem dubitat an debeat concedere *æthera* pro aëre esse usurpatum, mirum sane est: nam hoc et auctori nostro frequens esse supra probavi, et similia bonorum utriusque linguæ scriptorum testimonia sunt in promtu.

899 *Et quia consilium non est, et lingua remissa*] Hunc versum iste debet excipere, *Hic artus quicunque regit, secessit in orbem:* qui trans alios duos abscesserat. Sensus hic est, Pecudes omnes in ventris satietate, sensuumque voluptate, vel indolentia acquiescunt; ratione quippe carent, neque animi sensa lingua possunt eloqui. At animus hominis, qui corpus ipsius regit, pervadit totum orbem; unus ille rerum inspectiones, loquendi facultatem, et ingenii præstantiam, artium vel inventionem, vel perfectionem confert. Eximia sententia, quam versiculi unius trajectio peremerat.

LIBER V.

3 *Quadrijugis et Phœbus equis, et Delia bigis*] Mythici veteres soli quadrigas, lunæ bigas, planetis reliquis suum cuique equum tribuebant. Vetus epigramma a Pithœo editum, 'Lunæ biga datur semper, solique quadriga, Castoribus simpli rite dicantur equi.' Hinc ἵπποις φωσφόροι apud Æneam in Poliorcetico.

5 *Ac per descensum medios decurreret ignes*] Scriberet de suffragiis planetarum; quod et fecisse videtur ipse Manilius, sed liber periit.

34 *Colchidis et magicas artes qui vertere Iolco*] 'Medea,' inquit Scaliger, 'mutavit Colchon Iolco. Utraque urbs clara veneficiis.' Bis peccat, nam Colchidem dicere debuit, non Colchon; quo nomine frequenter a recentioribus appellatur. Causam errori præbuerunt verba hæc Horatii: 'Herbasque, quas et Colchos, atque Iberia Mittit venenorum ferax.' Ubi perperam legebat Helenius Acron, vel potius scholiorum veterum compilator, qui sub Acronis nomine editus est, 'Herbasque quas et Colchos :' quam ineptam scriptionem inepto scholio illustravit. 'Colchos,' inquit, 'civitas Ponti.' At recte Porphyrion, 'urbs est Thessaliæ.' Unde intelligas legisse, 'Iolcos.' Faverunt huic errori pervulgatæ hæ priscorum mythologorum locutiones, Jason Colchos adiit, Medea Colchos deseruit; in quibus *Colchos* accusativus pluralis est dictionis *Colchi*, quod nomen est gentis, pro regione usurpatum; non, ut perperam novitiis literatoribus visum est, accusativus singularis nominis neutrius Colchos. Itaque Romanensis fabula circumfertur

hoc titulo, 'Agesilan de Colchos.' At Scaliger fœmininum esse credidit, ut Iolcos; aut fortasse masculinum, et *Colchon* dixit. Nec levior est alter ejusdem error, cum Colchon, hoc est, Colchidem, urbem esse dixit, qui regio est, non urbs.

60 *Vera Syracusis Salamis non merget Athenas*] Quoniam viros eruditos locus hic exercuit, et nodus vindice dignus est, symbolam nos quoque nostram conferemus. Duo hic quærenda sunt; quare Salamis dicatur vera, non hic solum, sed apud Senecam quoque et Lucanum; tum quando, et quo tandem modo Salamis Athenas merserit Syracusis. Optime mihi conjecisse videntur, qui Salaminem veram esse dictam putant, ad discrimen Cypriacæ Salaminis, quæ ambigua dicta est. Addo veri mihi simile videri appellationi causam dedisse oraculum Teucro editum, de quo Horatius, 'Certus enim promisit Apollo Ambiguam tellure nova Salamina futuram.' Quo responso in omen verso, et urbe velut ex oraculi præcepto ambigua dicta, alia sibi veræ nomen sumsit, ut a nova hac internosceretur. Quod utrumque conveniens erat; nam hæc metropolis erat et origo alterius; illa velut adulterina falsum sibi nomen usurpabat: quod cum audires, ecqua designaretur urbs, dubius esses. Cur autem Syracusis mersisse Athenas vera Salamis dicta sit, id mihi videtur causæ fuisse. Constat memorabile illud prælium, quo Xerxis classem Athenienses ad Salaminem deleverunt, ita eorum sustulisse animos, ut maris imperium per multos annos jam inde affectaverint; atque hinc porro factum, ut post varios rerum eventus, Syracusanis tandem bellum inferre statuerint; quo bello victos terra marique, classem et exercitum, cum ducibus Nicia et Demosthene, amisisse. Hujus calamitatis, si quis rem ab origine repetere velit, causam vel unicam, vel certe præcipuam fuisse reperiet Salaminiam hancce pugnam; quæ si nunquam fuisset commissa, nunquam utique Syracusanos bello lacessere ausi essent Athenienses. Satis quid vellet expressit Manilius, cum superiore versu dixit Xerxem navibus mare texisse. His animadversis jam aperta est loci sententia. Si hominum exoriente navi Argo nascentium partus non fuissent, Xerxes mare navibus non texisset, neque Athenienses eum ad Salaminem fudissent, neque hac victoria sublati imperium maris sibi arrogassent, neque exinde ad Syracusas tandem profligati essent. Salamis vera, id est, pugna ad Salaminem veram commissa, non attrivisset res Atheniensium ad Syracusas. Ut si quis dicat Pharsalon Romæ Cæsarem interfecisse; quod Pharsalica victoria inflatus Cæsar, cum reipublicæ libertatem oppressisset, Romanorum animos in suam mortem concitarit. Familiaris est poëtis nimis longe repetita rerum expositio. Sic apud Euripidem in Medea, cum nutrix queri vellet Medeam alumnam suam Jasonis amore patriam reliquisse, dolet abietes in Pelio monte ad ædificandam Argo navim cæsas fuisse. Id imitatus est Ennius, et pæne ad verbum expressit. Tale hoc est quod affert Cicero lib. I. de Inventione: 'Quod si non P. Scipio Corneliam filiam Tiberio Graccho collocasset, atque ex ea duos Gracchos procreasset, tantæ seditiones natæ non essent.' Vitiosum hoc est, meritoque a Cicerone multis locis reprehenditur. Auctor librorum ad Herennium: 'Quod extremum dictum est, satis fuit exponere; ne Ennium et ceteros poëtas imitemur, quibus hoc modo loqui concessum est: 'Utinam ne in nemore Pelio securibus Cæsa accidisset abiegna ad terram trabes: Neve inde navis inchoandæ exordium Cœpisset, quæ nunc nominatur no-

mine Argo, qua vecti Argivi delecti viri Petebant illam pellem inauratam arietis Colchis, imperio regis Peliæ per dolum; Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem, Medea, animo ægra, amore sævo saucia.' Nam hic satis erat dicere (si modo quod esset satis, curasset Poëta) 'Utinam ne hera errans mea domo efferret pedem Medea, animo ægra, amore sævo saucia.' Ergo in hac quoque ab ultimo repetitione in expositionibus magnopere supersedendum est.' Idem peccavit Manilius, cum cladis Atheniensibus ad Syracusas illatæ causas arcessivit a Salaminia victoria: quanquam excusari id potest, quod ipsa hæc Salaminiæ pugnæ commemoratio argumento ipsius illustrando utilis erat. Quippe si nulli nati essent exoriente cœlesti navi, nulla fuisset Salaminia pugna. Ac rei sane navalis gloria ita celebrabatur Salamis, ut in Jovis Olympii delubro simulacrum ejus extiterit, rostra navium manibus gerens, quod discimus ex Pausania. Locutionis hujus audaciam non mirabitur in Manilio, qui quam in figuris temerarius sit et vehemens perspectum habuerit. Explicationem nostram plane asserit Silius, cum ait Syracusas Salaminiorum tropæorum gloriam obscurasse, demersis in mare Athenis clade regis Persarum superbis. Facit et ad Maniliani hujus loci illustrationem alter ille Lucani, in quo agens de delectibus a Pompeianis ducibus per Græciam habitis, hæc scribit: 'Exhausit totas quamvis delectus Athenas, Exiguæ Phœbea tenent navalia puppes; Tresve petunt veram credi Salamina carinæ.' 'Veram Salamina' dixit Manilius μετωνυμικῶς prælium Salaminium; Lucanus eadem appellatione designavit classem Atheniensium, quæ ad Salaminem conflixit. Quamvis, inquit, delectibus exhaustæ sint Athenæ, paucas tamen et exiguas naves ad bellum in navalibus suis expeditas habent; quæ licet tres tantum numero sint, in iis tamen comparandis haud minus laboraverunt, atque olim in classe illa Salaminia adornanda; eodem itaque loco haberi postulant, quo olim habita illa est, et veram Salamina, hoc est Salaminiam ipsam classem credi volunt. Phœbea appellat navalia Atheniensium, propter celebrem gentis eruditionem; quod perinde est ut quod dixit Manilius libro IV. 'In regnum florentes oris Athenæ.' Quæ super his commentatus est Samuel φερωνύμως Petitus, exigua oppido et levia sunt.

57 *Sed summa lateris surgens de parte sinistri*] Etsi non leviter hallucinatus est Manilius in iis quæ de argo et orione hic disseruit, attamen ex male intellecta ipsius doctrina in iis carpitur a Scaligero, in quibus erroris neutiquam est affinis: puta quod navim locaverit ad dextram arietis; 'Argo A dextri lateris ducit regione per astra;' orionem ad sinistram. At supra notavimus dextram septemtrioni, lævam meridiei Manilium ascribere solere, quasi respiciat occasum. Quamobrem cum ait arietem ducere argo a regione dextri lateris, intellige dextrum latus navis argus: aries enim borealior est navi. Cum ait orionem surgere de parte lateris sinistri, intellige partem australem cœli, in qua situs est orion. Cum vero censuerit Manilius cum quarta arietis parte navim συνανατέλλειν, cum decima quinta aurigam, atque inter utramque partem orionem locaverit, decimæ haud dubie contribuendus est, cui eum ascripsit Firmicus. Falso ergo censuit Scaliger, navim et orionem in eadem μονομοιρίᾳ, quarta nempe parte arietis, Manilium collocasse.

70 *Quæ gelidus boreas aquilonibus instat acutis*] Pœnas hic quoque dat Manilius Scaligero. 'Quid est,' in-

quit, 'borean instare aquilonibus? Idem profecto quod Istrum instare Danubio, Eridanum Pado: nam boreas est aquilo.' Immo, boreas hic non est aquilo. Sæpe confunduntur: hic distinguendi sunt. Boreas Deus est, præses ventorum septemtrionalium, qui aquilones dicuntur. At Ister non est Deus Danubii præses, nec Eridanus Padi.

79 *Vincentem pedibus ventos*] Id est, cursu.

105 *Qua dexter boreas spirat*] Dextrum borean appellavit κυριολέγως; nam ventus hic cognominatus est dexter. Origenes Homil. I. in Ezech. ex interpretatione Hieronymi, 'Aquilo, violentissimus ventus, quem alio nomine dextrum vocamus.' Commentarius in Psalm. CVI. Hieronymo ascriptus, 'Aquilo durissimus ventus est, nomine autem dexter vocatur.' Beda in Job. XXVI. 'A Solomone aquilo durus ventus dicitur: nomine autem dexter vocatur.' Philergyrius in Georg. II. 'A sinistra austri, septemtriones a dextra.'

107 *Aut Brutum, atque parem Torquatum*] Omnino scribendum, *patrem Torquatum:* ut intelligatur cruenta illa ipsius in filium animadversio.

154 *Atque habitat sub pectore cæco Ambitio*] Et ex præcedentibus et ex sequentibus satis apparet ambitionem hic appellari indolem ad amorem pronam. Ita Horatius, 'Lascivis hederis ambitiosior.' Quo morbo qui tenentur, morbum suum amant, et virtutis nomine prætexunt. Legatur vel amores Luciani.

167 *Mobilibusque citas ictus glomerare lacertis*] Versum hunc in locum suum, sic tanquam emansorem in castra reducamus; nempe ante duos præcedentes: *Nunc exire levis missas, nunc mittere palmas, Mobilibusque citas ictus glomerare lacertis.* Virgilius de Entello: 'Nunc dextra ingeminans ictus, nunc illes sinistra. Nec mora, nec requies: quam multa grandine nimbi Culminibus crepitant, sic densis ictibus Heros Creber utraque manu pulsat, versatque Dareta.'

168 *Ille potens turbam, &c.*] Ludus hic est quem optime descripsit Scaliger, cum quis plures pilas utraque manu jacit alternatim in sublime, et cadentes excipit et remittit ab antica parte et postica; quod et quidam apud nos, sed binis tantum pilis ab antica parte, et dextra duntaxat manu faciunt. Trigonem veteres ludum hunc appellabant; ad quem ut expeditiores essent, deponebant vestimenta, unde trigonem nudum vocat Martialis. Præcipua in eo erat industria sinistra perite uti, non minus quam dextra. Quod et indicat pluribus locis Martialis. Nominis origo multum quæsita est, nec reperta. Hanc esse veram puto. Tres ludebant, et in trigonum consistebant: inde ludus trigon dictus. Jucundius erat spectaculum, cum plures simul ludebant, quam cum unus. In triangulum autem stabant, ne lusor adversus lusori esset; nam hoc si fuisset, pilæ lusoris adversi in oculos ejus incurrissent, lusumque ipsius conturbassent. Cum autem tres stabant in tribus angulis, conversi versus centrum trianguli, oppositum unicuique erat unum e lateribus trianguli, quæ lusoribus vacua erant. Opinionis nostræ veritatem asserit nummus Marci Aurelii cusus Byzantii, quem repræsentat Mercurialis, in quo tres pilíludii in triangulum positi, corpore nudi, singuli pilas binas in altum supra caput jactant. Eo pertinent ista Lucani in Panegyrico, 'Nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem Aut geminare pilam juvat, aut revocare cadentem, Et non sperato fugientem reddere gestu.' Eo et istud Symposii in ænigmate de pila, 'Meque manus mittunt, manibusque remittor in auras.' Significat et ludum hunc Celsus, cum ait opus esse iis, quos frequenter citata alvus

fatigat, pila superiores partes exercere: nam pedibus eodem consistentes loco superna tantum parte corporis moventur. Significat et Petronius, cum Trimalcionem ait se pila sparsiva exercuisse: quo idem notatur ac istis Manilii, 'Ille potens turbam perfundere membra pilarum.' Tum graphice rem exprimit, cum addit 'pilas inter manus lusu expellente vibrasse.'

172 *Invigilat somnis*] Id prædicit eventurum nato sub lepore, quia lepores apertis oculis dormire solent.

174 *Cui parte sinistra Ascendunt jugulæ*] Firmicus de sideribus agens, quæ cum cancro oriuntur et occidunt, hæc scribit, 'In prima parte cancri oriuntur aselli, quibus orientibus qui natus fuerit, erit quidem irreligiosus et perfidus, sed ad omne venationis studium applicatus.' Fraudi hæc fuerunt Scaligero, qui ita disserit, 'Jugulas vocat, quos alii *ὄνους*, asellos, in *μορφώσει* cancri. Nam ita etiam Firmicus paraphrastes interpretatur. Nusquam memini me legere jugulas pro asellis cancri. Sed orion vocatur jugula.' Scaligerum plurimi sunt secuti. Quia nullibi legerat *jugulas* pro asellis, dubitare debuit an hic Manilius *jugulas* pro asellis posuerit. Quod ita certe non est. Etiamsi Firmicus hic Manilium aliqua ex parte secutus videri possit, non in ejus tamen verba juravit, nec ita ei se addixit, ut non ab eo aliquando discesserit. Velut hoc loco, cum ait 'irreligiosum et perfidum' fore, qui natus fuerit orientibus asellis; nam hæc non apparent in Manilio. Cum itaque diversum notet *ἀποτέλεσμα*, diversum quoque sidus designasse putandum est. Intellexit utique Firmicus duas illas stellas in signo cancri, quæ *τῇ φάτνῃ* proximæ sunt, versus leonem. At Manilius in animo habuit orionis asterismum, qui jugula dictus est ab antiquis; vel potius stellas quasdam orionis, quæ jugulæ dictæ sunt. Nam in Astrothesia collocantur stellæ tres in capite orionis. Unicam tantum, at *νεφελοειδῆ*, illic ponit Ptolemæus: illic et Varro, qui quatuor numerat. In vultu statuit eas Manilius, 'Per tria subductos signatur lumina vultus.' At a veteribus astronomis in jugulo positas fuisse credi potest, nam jugulo proximæ sunt, et circa aurem sitæ. Hinc jugulæ dictæ sunt; vel etiam jugula: quemadmodum pleiades et pleias dicuntur stellæ illæ in tauro. Transiit et ad orionem appellatio, ut produnt veteres: nempe, ut opinor, quod cum prima in hoc asterismo oriatur jugula, cum oriri inciperet orion, oriri jugulam dicebant. Pari modo procyon dicitur asterismus hujus nominis, et lucida in eo stella: canis et sirius vocantur canis major, et stella in eo lucidissima: arcturus nomen commune est booti et stellæ lucidæ in ejus genu. Sæpe id factum ab Arabibus, qui singularem aliquam stellam de nomine totius astri appellare consueverunt. Sic eam quæ polo proxima est in cauda extrema cynosuræ, vocant Alrucaba, quod nomen est cynosuræ ipsius, et plaustrum significat. Ergo orion jugula dictus est a stellis jugulis, jugulæ a jugulo, jugulum diminutivum est a jugo; quo nomine partem hanc dictam putem, *ἀπὸ τοῦ ζευγνύναι τὴν κεφαλὴν τοῖς ὤμοις· quod caput humeris conjungat*. Quam ob causam *ζυγὸς* quoque et *jugum* dictum est citharæ collum. Orionem quidem a jugulo dictum esse jugulam scribit Varro. Verum cur a jugulo nomen traxerit, non apponit. Arabes non stellas illas tres capitis, sed lucidam humeri locarunt in jugulo, et nucem juguli appellarunt. At tres illas capitis hic denotatas esse a Manilio plane indicat quod ait, consurgere jugulas a parte sinistra cancri. Id in asellos convenire non potest, qui sunt in medio cancri. At orion situs est ad australem cœli partem,

quam sinistram appellari a Manilio superius ostendimus.

197 *At Procyon oriens, &c.*] Exscripsit ista Firmicus *κατὰ πόδας*. 'In cancri parte xx.' inquit, 'oritur Argion.' Legere nos jubet Scaliger *Procyon*, pro *Argion*. Ego nihil muto. Argion diminutivum est ab ἀργὸς; ut *τραυλίων* a *τραυλὸς*, *μωρίων* a *μωρός*. Ἄργὸς nomen fuit canis Ulyssis apud Homerum, qui et *κύνας ἄργους* appellat, vel propter coloris candorem, vel propter celeritatem. Hinc Cynosarges nomen habuit. Ἀργὸ quoque inter Actæonis canes recensetur ab Hygino. Sic et Argion cœlesti huic minori cani nomen fuit, et fortassis ad discrimen majoris canis, cui et ἀργὸς nomen esse potuit.

203 *Lentaque contextis formare hastilia nodis*] Immo, decutiuntur et emendantur nodi, ut formentur rasæ hastilia virgæ. Lege ergo *consectis*.

207 *Exoriturque canis, latratque canicula flammans*] Hic canem a canicula distinguit Manilius. Quod non semper fit, contra ac opinatur Scaliger. 'Tota *μόρφωσις*,' inquit, 'dicitur canis: *σείριος* autem in maxilla, aut ore canis, dicitur canicula.' Ego vero aio et *μόρφωσιν* et stellam in ea lucidam appellari canem et sirion. Geminus in Isagoge: *ὁ δὲ ἐν τῷ στόματι τοῦ κυνὸς λαμπρὸς ἀστὴρ, ὃς δοκεῖ τὴν ἐπίτασιν τὴν τῶν καυμάτων ποιεῖν, ὁμωνύμως ὅλῳ τῷ ζωδίῳ κύων προσαγορεύεται* Hyginus: 'Canis habet in lingua stellam unam, quæ ipsa canis appellatur.' Germanici scholiastes de cane majore, 'Habet in lingua stellam unam, quam sirium vel canem vocant, quæ magna est et splendida.' Sirium vero nominari *μόρφωσιν* ipsam cognoscas ex his Germanici, de cane, 'Sirion hunc Graii proprio sub nomine dicunt:' et ex his Theonis in Aratum, Νοτιώτερός ἐστιν ὁ κύων, ὁ σείριος καλούμενος, ὃν ὠρίωνος κύνα λέγουσι κατ' ἐπίκλησιν. Tum ait de stella ipsa, *διὰ τὸν ἐπ' ἄκρας αὐτοῦ τῆς γένυος ἀστέρα, ὃς ἰδίᾳ σείριος καλεῖται*. Plinium quoque carpit Scaliger, quod dixerit, dubitans tamen et incertus, procyonem esse caniculam: 'Procyon,' inquit, 'apud Romanos non habet nomen, nisi caniculam hanc velimus intelligi.' Et mox, 'Sidere illo, quod caniculam appellavimus.' Atqui ita appellatur quoque ab Hygino: 'Canem autem sua appellatione et specie caniculam dixerunt, quæ a Græcis, quod ante majorem canem exoritur, procyon appellatur.' Idem in Fabulis, 'Icarius arcturus in sideribus est dictus; canis autem mera canicula.'

210 *Fatumque supremum Sortitur*] Non Calabri tantum et Cei, quorum meminit hic Scaliger, sed et Romani quoque sirio sacra faciebant, ad calorum inclementiam et atrocitatem mitigandam, et avertendam rubiginem. Canis ei et ovis immolabantur Robigalibus, in luco Rubiginis, via Nomentana, extra portam Catulariam, cui et inde nomen.

223 *Ante os est animus*] Vetus dictum hoc, *ἡ γλῶσσα τοῦ νοῦ προτρέχει*, *lingua præcurrit mentem*, interpretamentum esse vult Scaliger Maniliani istius loci: quod contra est. Nam Manilius dicit fore ut eorum quibus nascentibus horoscopabit canicula, animus lingua sit promtior; at dictum illud vetus significat linguam esse animo promtiorem. Sane qui ira commoti sunt, vix eorum lingua animi motibus par esse potest; et plura ardens ac concitata mens agitat, quam lingua proferre queat. Blaterones contra, locutuleii, garruli, linguaces, multa effræni oris intemperantia profundunt, ad mentis examen non expensa; sic ut in iis reperias *λέξεων μὲν ποταμοὺς, νοῦ δὲ σταλαγμόν*.

233 *Prægressum quærit leporem comprendere cursu*] Currentem quoque canem Aratus graphice exhibet: *τοῖος καὶ φρουρὸς ἀειρομένῳ ὑπὸ νώτῳ Φαίνε-*

ται ἀμφοτέροισι κύων ὑπὸ ποσσὶ βεβηκώς. Quapropter miror, quid in mentem venerit Bayero, cur recubantem eum pingeret.

276 *Quod solum decuit mortales nosse metallum*] Metallum appellat fruges sub terra conditas, 'Quidam enim granaria habent sub terris speluncas, quas vocant σειροὺς, ut in Cappadocia ac Thracia; alii, ut in agro Carthaginensi et Oscensi.' Scripsit id Varro in libris de Re Rustica, cujus verba exscripsit Plinius. Addidisset et loca circa Bactrianam, in quibus Barbari hujusmodi cryptis utebantur, quas et Siros vocabant, ut docet nos Curtius. Unde cognoscas errare eos qui vocis originem quærunt in Græcia. Frequens hoc est hodieque in Africa et Pannonia, necnon et in quibusdam Galliæ nostræ locis.

278 *Dives erat*] Pro, dives esset: quod jam supra notavimus.

279 *Et si forte labor ruris tardaverit artes, &c.*] Sensus est, quod si rure laborare non poterunt, ad domestica opera convertentur. Virgilius, 'Frigidus agricolam si quando continet imber, Multa, forent quæ mox cœlo properanda sereno, Maturare datur .... Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.'

280 *Queis sine nulla Ceres, non ullus seminis usus*] Imitatur et istud Virgilii, 'Queis sine nec potuere seri, nec surgere messes.'

288 *Sculpentem faciet, &c.*] Verum hunc et sequentes quatuor traduxit Scaliger ex hoc loco, ubi de iis qui horoscopante spica nascuntur, disserit Manilius, et eos posuit post vs. 503. hujus libri; cujus hoc unum habuit argumentum, quod fruges et horrea, de quibus illic agitur, nihil pertineant ad bractearios, sculptores, et plasticarios, qui hic designantur. Rem propius spectemus. Ait Manilius natos sub spica molitores fore et pistores; et quia fruges et grana in spicæ folliculis ordine constructa sunt, præbituros eos quoque cellas et horrea seminibus condendis. Tum sequentes hos versus præferunt libri omnes, *Sculpentem faciet sanctis laquearia templis, Condentemque novum cœlum per tecta Tonantis. Hæc fuerat quondam Divis concessa figura; Nunc jam luxuriæ pars est. Triclinia templis Concertant, tectique auro jam vescimur auro.* Hæc superioribus aptissime congruunt. Propter dispositionem illam granorum in spicæ cellis, nati sub spica horrea construent, atque etiam templorum laquearia sculpent, ac laterculis, aut orbibus, aliisve figuris in ordinem apte dispositis decorabunt. Figuræ illæ lacus dicebantur, unde lacunaribus nomen. Isidorus, 'Laquearia sunt quæ cameram subtegunt et ornant, quæ et lacunaria dicuntur, quod lacus quosdam quadratos vel rotundos, ligno, vel gypso, vel coloribus habeant pictos, cum signis intermicantibus.' Ab eadem dictione *lacus*, vestis lacuata dicebatur, quæ quadratos lacus intextos, vel acu pictos habebat. Nam cum primum intextis trabibus domorum tecta fierent, tignorum interstitia lacuum quorundam sive fossarum exhibebant speciem. Postea necessitate in ornamentum versa, lacus eleganter pingere instituerunt in tabulis quibus tecta suppingebant. Hinc lacunaria dicta. Ergo propter illa lacuum dimensa, quæ cellas granorum in spicis referebant, dixerunt mathematici natos sub spica, non horrea solum, quæ diversas habebant cellas, variis leguminibus, et frugibus, aliisque etiam rebus condendis idoneas; sed laquearia etiam lacubus depictis ornata structuros. Quibus Agrippam notare videtur Manilius. Hic enim et templa, et horrea, aliaque ædificia publica Romæ condidit. Invehitur deinde in luxum sui temporis, queriturque auratorum illorum lacuum usum a templis ad privata

triclinia esse translatum. Apposite igitur conveniunt isti versus in eum locum unde eos divellit Scaliger. Pari audacia tredecim sequentes versus, *Hinc augusta nitent, &c.* in prima sua editione in superiora retraxerat, et versui quadringentesimo subjecerat. Sed resipuit demum in altera editione, et pericopen hanc sedes suas repetere jussit. Atque ita sua ipsemet vineta cædere, seseque castigare coactus est. En quo temeritas miseros criticos perducit.

311 *At cum secretis improvidus hædus in astris*] Petulanter Manilio hic insultat Scaliger, 'Quis est iste hædus?' inquit, 'ubi ejus grex, cujus meminit Manilius? Hædos tantum et capram novimus; illos in sinistra, hanc in humero sinistro heniochi.' Deinde, 'Non satis possum mirari, quid Manilium de hoc hædo adegerit pronuntiare, qui non est in rerum natura.' Neque ego, ut pro Manilio respondeam, satis possum mirari, quid Scaligerum de hoc hædo adegerit pronuntiare, non esse in rerum natura, cum clarissime dixerit Horatius, 'Desiderantem quod satis est, neque Tumultuosum sollicitat mare, Nec sævus arcturi cadentis Impetus, aut orientis hædi.' Clarissime et Propertius, 'Purus et orion, purus et hædus erit.' Is autem hædus unus est ex illis hædis, qui sunt in sinistra manu heniochi. Unus autem pro ambobus ponitur. Ergo ut arcturo hædum conjungit Horatius, sic hædos Virgilius; 'Præterea tam sunt arcturi sidera nobis, hædorumque dies servandi.' Quærit præterea Scaliger, ubi hædi hujus grex, cujus meminit Manilius. Notasset dixisse Manilium, 'Erranti similis fratrum vestigia quærit, Postque gregem longo producitur intervallo.' Non errat hædus, neque gregem quærit, sed quærere videtur, et erranti similis est. Poëtice hæc dicta sunt, quæ non ad verum accuratius sunt exigenda.

325 *Præfata canentis*] Virgilius in Culice, de Danaidibus, 'Sicut Hymen præfata dedit connubia mortis.' Id est, Hymen connubia dedit, mortis præludia.

329 *Hinc venient vocis dotes, &c.*] Exprimit vocalem cantum, qui sua voce editur: eum qui flatu, ut tibiarum; et qui manu, ut lyræ: non autem, quod existimavit Scaliger, triplicem soni naturam, *ἁρμονικὴν*, quæ voce constat; *ὀργανικὴν*, quæ flatu; *ῥυθμικὴν*, quæ impulsu digitorum numeros recipit: nam et *ὀργανικὴ* numeros recipit impulsu digitorum.

340 *Ara ferens thuris stellis imitantibus ignem*] Dubitare quis possit, ecquid sententia loci hæc sit, Ara ferens ignem thuris, stellis imitantibus, hoc est, quem stellæ imitantur. Sic infra, 'Ter decuma sub parte feri, formantibus astris, Plumeus in cœlum nitidis olor evolat alis.' Hoc est, olor quem astra formant. Verumtamen assentior Scaligero, qui τὸ *ferens* exponit *ἀναφερόμενος*, ut sit absolute dictum. Tale illud est quod extat inferius, 'At cum se patrio producit ab æquore piscis, In cœlumque ferens alienis finibus ibit.' Deinde, 'Cœruleus ponto cum se delphinus in astra Erigit, et squamam stellis imitantibus exit.' Hoc est, stellis imitantibus squamam; ut, 'stellis imitantibus ignem.' Porro præterire non possum vexatissimum Arati locum de ara hac cœlesti, quem hic ad incudem suam revocat Scaliger. En tibi Arati verba, Τῷ *μή μοι πελάγει νεφέων εἰλυμένον ἄλλων* Εὔχεο *μεσσόθι κεῖνο φανήμεναι οὐρανῷ ἄστρον, Αὐτὸ μὲν ἀνέφελόν τε καὶ ἀγλαόν·* Sic habent editiones vulgatæ. Aliter hæc legit Cicero, aliter Germanicus, aliter Avienus: aliter etiam Theon, aliter Scaliger, aliter et Grotius. Ego locum sic emendo: Τῷ *μή μοι πελάγει νεφέων εἰλυμένῳ ἄλλως* Εὔχεο· Ut hic extet sensus: *Quapropter cum in mari nubibus obducto versaberis, ne temere*

optes hoc astrum innubilum et splendens tibi in medio cœlo apparere. Grotius legit, uti nos, *εἰλυμένῳ*, sed refert ad *οὐρανῷ·* Scaliger legit, uti nos, *ἄλλως*, sed exponit *alioqui*. Ego *εἰλυμένῳ* refero ad *πελάγει*, quod propius est; *ὂν ἐν πελάγει νεφέων εἰλυμένῳ· In mari nubibus obsito navigans.* *Μὴ ἄλλως εὔχεο*, *Ne temere optes* et appreceris Deos, ut hoc tibi signum appareat fulgidum et innube.

350 *Aut mulos aget aut mannos*] *Mannos* Gallicum esse vocabulum docuit pridem Publius Consentius in Arte: quid apud Gallos significaret, non addidit. At nos scimus apud Cambro-Britannos, qui veterem linguam Britannicam, quæ Gallicæ similis fuit, retinuerunt, *man* significare parvum, exilem, tenuem, minutum.

352 *Aut onerabit equos armis, aut ducet in arma*] Aut cataphractus equos conscendet, aut inibit prælium equo vectus. Optime Firmicus, 'Faciet inter equites militare.' Quæ ad centauros pertinere palam est, qui ex equis certarunt cum Lapithis. *Ἀναβολέων* autem et stratorum munere functos ipsos fuisse, quis unquam dixit? Merito itaque hic castigandus est Scaliger, propter castigatum immerito Firmicum.

373 *Pascentemve super surgentia tendere lina*] Libri omnes, *ducere lina*. Quod exponit Scaliger, *παλεύειν*; ut sensus sit, Avem pascentem illicere, et adducere supra lina: cum e contrario id sibi velit, Lina super avem pascentem ducere.

375 *Quo modo militiæ*] '*Τὸ modo*,' inquit Scaliger, 'tangit nuperam Romanorum in Phasidos partes irruptionem, aut in alias terras longinquiores.' Immo, vult Manilius, Romana arma nondum eas regiones penetrasse, quas luxuria pervaserat.

386 *Qui gestant caveis volucres ad jussa paratas*] Optime instituuntur aves Bagdadi ad literas perferendas. Magnus etiam artificii hujus usus Aleppi, et per totam Syriam, jam inde a vetustis temporibus. Qui etiam feliciter adhibitus est, cum majores nostri, Philippi primi ævo, bellum illic gererent. Quod autem hic habet Scaliger, rem eam esse ultra captum credulitatis nostræ, miror id ab illo scriptum, in ea præsertim urbe Lugduni Batavorum, quæ cum ab Hispanis obsideretur, per literas columbarum ope missas monita ab Hollandis quid facto esset opus, quid ad sui defensionem pararetur, libertatem suam egregie tutata est. Idem paulo ante Harlemi factitatum fuerat ab Harlemensibus, sed dispari successu. Ceterum eo pertinere videtur istud Juvenalis, 'Tanquam et diversis partibus orbis Anxia præcipiti venisset epistola pinna.' Quod alio flecti ab interpretibus quibusdam non ignoro.

399 *Cumque suis domibus conchas, valloque latentes Protrahit immersus*] Gemblacensis habet *concha*, quod probum est. Scaliger voce *latentes* notari putat pisces; quasi urinatores petant pisces, in conchis margaritiferis latentes. Intellige margaritas ipsas.

404 *Rapidumque notari Vix quicquam est. Locuples oneratur terra profunda*] Sequor fidem Gemblacensis, qui sic scriptum habet, *rapidumque notari Vix unquam est.* Hoc est, etiamsi conchæ maximi sint pretii, ea tamen est illarum exiguitas, ut vix earum raptorem notare et deprehendere liceat; adeo facile est hujusmodi furtum occultare. Terram margaritarum divitem mare tegit. *Rapidum*, pro raptore, defendi potest suffragio Servii, qui *rapidum cretæ* exponit, raptorem cretæ. Certe, ut verum fatear, inepta mihi semper visa est hæc Servii interpretatio. Longe minus probare possum, ut rapidum absolute et substantive putemus dictum, pro raptore. Legi malim, *raptumque notare Vix unquam est.* Vix hujus-

modi furtum deprehendi potest.

417 *Squamam stellis imitantibus exit*] Atqui squamati delphines non sunt; quare merito Manilium Scaliger reprehendit. Idem tamen est error Ovidii de Lycabante mutato in delphinem, 'squamamque cutis durata trahebat.' Pari hallucinatione ceto ad vorandam Andromeden misso squamas tribuit, quod et Achilles Tatius peccavit in Eroticis; cum cete proprie dicta ἀλεπίδωτα sint. Similiter scombris squamas a Manilio tributas fuisse suo loco notabimus.

418 *Ambiguus terræ partus, pelagoque creatur*] Propter similem delphini naturam, quam terrestrium et aquatilium animalium naturam participare docet Aristoteles.

421 *Et sinubus vires sumit, fluctumque figurat*] Nam cum in aërem exilit delphin, et supra aquam attollitur, curvus apparet. Id fit ex contentione et nixu, quo opus est ad saltum; corpus enim flectitur et contrahitur in conatu. Sinubus igitur, hoc est, curvatura et flexura corporis sui vires sumit. Cum ergo hoc habitu corporis observari soleat a nautis, tum cum exit aqua, et sursum salit, inde fit ut eodem pingatur in vetustis nummis et apud poëtas. Pacuvius, 'Nerei repandirostrum, incurvicervicum pecus.' Ovidius de Medonte delphinis formam sumente, 'Spinæ curvamina flecti Incipit.' Deinde de alio, 'Truncoque repandus in undas Corpore desilnit.' Idem alibi, 'Tunc neque se possunt pandi delphines in undas Tollere.' Rursum alio loco, 'Tergo delphina recurvo.' Propertius, 'Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nantas.' Statius de delphine, 'Summa per æquora flexus Emicat.' Nec delphinem solum, sed et cetum in perniciem Andromedes missum simili forma exilire dicit Manilius, 'Et tortis innitens orbibus alte Emicat.'

424 *Nunc æquore mersus Deducet palmas furtivo remus in ipso, Nunc in aquas rectus veniet*] Medii hujus versus sententiam non est assecutus Scaliger, statimque a Manilio abjudicandum pronuntiavit. Facilis profecto et expedita criticæ exercendæ ratio, si quæ non intelligas, continuo ut supposititia recidas. Nos ut legitimum retinemus. Tantum emendamus *furtive* pro *furtivo*. Nunc, inquit Poëta, mari immersus, clam deducet palmas, manusque agitabit, ita ut ipse sibi remus sit. *Remus in ipso*, pro, in seipso, quod plane Manilianum est.

442 *Membraque per flammas, orbesque emissa flagrantes Molliter ut liquidis per humum ponuntur in undis*] Hæc sic construit Scaliger, 'Ponuntur membra per flammas et undas tam molliter, ac si ponerentur in humo.' Quibus loci sententiam labefactat. Ordo est, Membra per flammas emissa ponuntur molliter per humum, ut in undis liquidis.

456 *Et dominum dominus prætextæ lege sequatur*] Paulus ad Galatas, 'Dico autem, quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre.'

473 *Agilesque per omnia servos*] Terentius Heautontimorumeno, 'Ne semper servus currens, iratus senex, Edax parasitus, sycophanta autem impudens, Avarus leno, assidue agendi sint mihi.'

476 *Qui vitæ ostendit vitam*] *Vitam* Scaliger interpretatur, vitam amatoriam; quod sæpe verum est: sed sæpius etiam significat lætam, hilarem, ac voluptariam vitam. At hic neutram notat, sed sumitur pro moribus hominum. Manifesto id superiora ostendunt: 'Ardentes juvenes, raptasque in amore puellas, Elusosque senes, agilesque per omnia servos.' Plane ad rem Cicero pro Roscio Amerino: 'Etenim hæc conficta

arbitror a poëtis esse, ut effictos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem nostræ vitæ quotidianæ videremus.' Terentius Adelphis, 'Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium Jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.' Plutarchus de liberis educandis: *πρὸ πάντων γὰρ δεῖ τοὺς πατέρας τῷ μηδὲν ἁμαρτάνειν, ἀλλὰ πάντα ἃ δεῖ πράττειν, ἐναργὲς ἑαυτοὺς παράδειγμα τοῖς τέκνοις παρέχειν, ἵνα πρὸς τὸν τούτων βίον, ὥσπερ κάτοπτρον, ἀποβλέποντες, ἀποτρέπωνται τῶν αἰσχρῶν ἔργων καὶ λόγων·* ubi *βίος* idem est quod vita, iis locis quæ attulimus, mores nimirum et vivendi ratio. Nonnunquam præterea ponitur pro humano genere et hominibus, cujus significationis testimonia extant apud grammaticos. Itaque Menandrum recte dixit Manilius vitæ ostendisse vitam; hoc est, ob oculos mortalium posuisse varios hominum mores, et diversos humanæ vitæ casus.

493 *Ad spolia, et partas surget vel cæde rapinas*] Male cohærere causatur Scaliger *et vel;* nos recte hæc congruere dicimus: consurget ad spoliandos homines et bona eorum diripienda, etiam cæsis illis et interfectis.

528 *Perfundetque novo stellantia littora ponto*] Littora stellantia appellat arenas aureis ramentis permistas; quas novo ponto, hoc est, aquis superjectis proluet, ut terrea materia aureis micis secreta effluat.

530 *Protulit ut legeret census spumantis in aurum*] Quid si legamus, *Pontique ille leget census spumantis in aurum?* Plane ita videtur.

531 *Et perlucentes cuperet prensare lapillos*] Scaliger legit *pensare;* atque hanc dat interpretationem, Cuperet sedulitate sua æquare ipsorum margaritarum pretium; quæ ipsis Manilii verbis obscuriora sunt. Lege, *cupiet prensare.* Non aurum duntaxat e mari, sed margaritas quoque legere cupiet. *Pellucentes* dicit, hoc est, *splendidas, διαφανεῖς·* Theophrastus enim *μαργαρίτην διαφανῆ τῇ φύσει* esse dicit, hoc est *lucidum.* Itaque argento et auro comparatur ab Androsthene; argentum autem *διαφανῆ* appellat Origenes. Ubi nonnulla annotavimus. Ceterum et margaritas quosdam lucem transmittere certum est; cujusmodi egregium Ormusii vidisse se testatur Tavernerius in nupera itinerum suorum historia.

534 *Et silicem rivo saliente liquabit*] Non hic de auro e venis terræ eruto agit Manilius, quod putavit Scaliger: jam ante enim versu 523. libri hujus scrutatorum auri meminit, cum dixit, 'Quærere sub terris aurum,' &c. Hic argentum commemorat: 'Et coquet argenti glebas, venamque latentem Eruet, et silicem rivo saliente liquabit.'

536 *Alterum et alterius semper mutabit in usus*] Hoc est, aurum argento, argentum auro commutabit: nam superiore versu dixit *utrumque,* hoc est, aurum et argentum. Nihil hic sani profert Scaliger.

541 *Infestis totus quum viribus omnis Incubuit pontus*] Cetum immissum, stragemque hominum et pecudum ab eo editam narrant alii, Manilius aquarum eluvionem, Apollodorus utrumque.

542 *Timuit tum naufraga tellus*] Timuit tellus ne mare exundans omnia disjiceret, ut tempestate naves disjiciuntur. Vel timuit tellus, ne mari obruta navigaretur, et naufragia quoque in aquis suis, ut in mari fierent. Quod simile est istorum Horatii, 'Terruit gentes, grave ne rediret Sæculum Pyrrhæ nova monstra questæ, Omne cum Proteus pecus egit altos Visere montes, Piscium et summa genus hæsit ulmo.'

547 *Induiturque sinus*] Et paulo post, 'Defluxere sinus humeris, fugitque lacertos Vestis:' et lib. I. 'Andromedæque sinus imos.' Sic describitur a Luciano, *ἡμίγυμνος πολὺ ἔνερθε τῶν μαστῶν·* At tunica talaris et stola

νυμφικὴ ei tribuuntur ab Achille Tatio. Vitiose ergo in sphæris quibusdam mechanicis nuda pingitur.

548 *Virginis et viræ rapitur sine funere funus*] Catullus in Epithalamio Pelei, 'Quam talia Cretam Funera Cecropiæ ne-funera portarentur.' Simili schemate dixit Euripides in Hippolyto, πότμον ἄποτμον; et Cicero in prima Philippica, 'insepultam sepulturam.'

554 *Nivea cervice reclinis*] At fuscam eam facit patrio colore Ovidius, in Epistola Sapphus ad Phaonem: 'Candida si non sum, placuit Cepheia Perseo Andromede, patriæ fusca colore suæ.' Contra eam vel ob id a Perseo amatam narrat Philostratus, quod inter Æthiopes, nigram gentem, candida esset.

555 *Molliter ipsa suæ custos est sola figuræ*] Cum vultus omnium dolor mutavisset, solius Andromedes vultus mutatus non est. Servatur in pœna vultus ejus, pudorque, ut proxime dixit.

615 *Nupturam dote mariti*] Dote, quam a marito accepit; pugna nempe, quam ipse pro ea pugnavit; cum ille dotem e contrario ab ea accipere debuisset. Ovidius, 'Protinus Andromeden, et tanti præmia facti Indotata rapit.'

631. 632 *Cum pars vicesima prima Signatur, terræ lumen fulgebit*] Priscæ editiones et libri nonnulli *Signatum*, et ita Scaliger in prima sua editione. *Signatum terræ lumen*, hoc est, lumen in horizonte signatum et notatum. Cum gradus vicesimus primus attigerit horizontem, in eoque fulgebit. Placuit Scaligero in secunda editione *Signator*. Scimus verbalia nomina ita terminata olim omnis generis fuisse. Præter exempla quæ affert Scaliger, et plura quæ afferunt grammatici, legimus in Amphitruone Plautina, 'victores legiones.' Legimus et apud Priscianum vetustissimos neutrum in *or* finivisse, et fuisse eam terminationem communem trium generum. Verum præter libros favet nobis concinnitas sententiæ, quæ lectionem Scaligeri videtur respuere. Quod autem subjungit insolenter dixisse Claudianum 'victrix solum;' idem in alio novitio Poëta reprehenderat, cum ad Mamertum Patissonem scriberet. Hic dixerat, *contemtrix genus*. Atqui non licere putat Scaliger id dici, uti dicitur apud Virgilium, 'victricia arma;' quod auctore Servio protulit. At eo nomine pœnas dedit uterque grammaticis, cum præter Claudianum dixerit Lucanus, 'victrici ferro,' et Minutius Felix, 'victrix tropæum.'

632 *Et orbi Aërius nascetur equus*] *Et* hoc loco significat statim. Ita Virgilius, 'Nec longum tempus, et ingens Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos.' Ita Statius, 'Nec longum, et pulcher Alathreus Editus.' Eadem est significatio particulæ *atque*; non in versu solum Virgilii quem recitat Scaliger, 'Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.' Sed et compluribus veterum scriptorum locis quos observavimus, Ennii, Tullii, Livii, Plauti vero sæpissime.

638 *Poteritque videri Mentiri passus, et campo tollere cursum*] Videbitur alicui parti campi cursum suum negasse, nec totum curriculum absolvisse, ea erit celeritas. Vel si Gemblacensem sequare, *Mentitus passus, et campum tollere cursu*, par erit sententia: videbitur aliquam campi partem cursui suo abstulisse; hoc est, videbitur aliquam campi partem non percurrisse, ut debuerat.

651 *Vincetque periclo Ingenium*] Eas artes tractabit, in quibus plus sit periculi quam ingenii.

660 *Pontum vinclis arctare furentem*] Placet recepta lectio, *armare sequentem*. Cum piscatores rete trahunt, præcedunt ipsi, rete sequitur. Igitur mare his vinculis est velut armatum ad piscium capturam: sequens autem appellatur καθ' ὑπαλλαγὴν, ut intelligas retia; nisi dicere malis se-

quens dici, quod pars ea maris, quæ armata est, sit pone piscatores.

661 *Et velut in laxo, &c.*] Legendum fortasse *Ut;* et deinde, *claudant, nectant, trahant.*

667 *Cum toto jacuerunt littore prædæ*] His verbis præfigi debet τελεία στιγμὴ, ut ita distinguatur, *Inficiturque suo permixtus sanguine pontus Totus. Cum toto jacuerunt littore prædæ, Altera fit cædis cædes.*

670 *Illa datis melior succis, &c.*] Multa sibi hic inexplicabilia videri non dissimulat Scaliger. Conemur tamen sensum aliquem extundere. Loquitur Manilius de thunnis, quorum multiplex erat usus ad rem cibariam: nam primum cum membratim secti erant, partes solidiores corporis in frusta concisæ sale condiebantur, et quernarum assularum similes fiebant. Unde factum illis nomen Melandrya. Itali hodie Thunninam vocant. Atque id significat Manilius, cum ait, 'Illa datis melior succis,' hoc est, exsucca, siccata, ac propemodum durata. Plinius: 'Thynni membratim cæsi, cervice et abdomine commendantur, atque clidio, recenti duntaxat, et tam quoque gravi ructu: cetera parte plenis pulpamentis sale asservantur. Melandrya vocantur, cæsis quernis assulis simillima. Vilissima ex his quæ caudæ proxima, quia pingui carent.' Oribasius de Melandryis, 'Quia pinguedinis sunt expertes, ideo fit ut difficilius, quam imus venter corrumpantur.' Vel errat igitur, vel corruptus est Athenæus, cum ait melandrya esse thynni τεμάχη λιπαρότερα. Hujusmodi etiam erat ὠμοτάριχος, cervix nempe sale macerata, quam pinguedine quoque caruisse docent Xenocrates et Oribasius. At thunnorum partes molliores, intestina videlicet, cum branchiis et sanie, respersa sale, in vas conjiciebantur, quo post aliquod tempus perforato, garum profluebat, quod hæmatium dicebatur. Geoponica in ipsa calce postremi libri: τὸ δὲ κάλλιον γάρος τὸ καλούμενον αἱμάτειον, οὕτω γίνεται· λαμβάνεται τὰ ἔγκατα τοῦ θύννου μετὰ τῶν ἐμβραχίων, καὶ τοῦ ἰχῶρος, καὶ τοῦ αἵματος, καὶ πάσσεται τῷ ἀρκοῦντι ἅλατι, ἐν τῷ ἀγγείῳ καταλιμπάνεται μέχρι μηνῶν δύο τὸ πολύ· εἶτα τοῦ ἀγγείου τρυπηθέντος, ἐξέρχεται γάρος τὸ καλούμενον αἱμάτειον. Notata hæc sunt a Manilio, cum dixit, 'Succis pars illa retentis: Hinc sanies pretiosa fluit,' &c. Huc conveniunt ista Plinii, 'Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus, garon vocavere, intestinis piscium, ceterisque quæ abjicienda essent, sale maceratis; ut sit illa putrescentium sanies.' Simile quippiam hodie fit a Tartaris e sturionibus; quos postquam in Mæotide palude, et circa Tanais ostia deprehenderunt, ova detracta sale conspergunt, 'Ingentesque lacus et Bacchi dolia complent.' Atque hoc τάριχος caviaram appellant. At carnes sturionum sale itidem conditas, et ad solem expansas siccant. Et hæ et caviarum in Græciam, Italiam, aliasque regiones vecta distrahuntur magno compendio.

676 *At cum cæruleo, &c.*] Nunc aliud gari genus describit Manilius, quod e scombrorum, qui thynnis similes sunt, sanguine conficiebatur, hodieque apud Turcas, Græcos, et Itales conficitur. Garum sociorum appellabatur, et commendatissimum erat. Plinius, 'Nunc e scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetariis. Sociorum id appellatur.' Designatur ab Horatio, cum confieri docet illud 'de succis piscis Iberi,' hoc est, scombri, quem simillimum ponto esse canit Manilius, quod cæruleo sit dorso. Nubem piscium horum immobilem terræ hærere, et vallis circumvallari ait, quia gregatim natant, et juxta littora retibus capiuntur. Squamosum quidem appellat, etsi lævi est cute; solenni suo errore, nam et delphini squames eum tribuisse supra observavimus. Similis hallucinatio Mnesithenm de-

lusit, qui in libro De eduliis, non scombrum duntaxat, sed et thynnum, et thynnidem, et congrum squamis induit. Τὸ δὲ τῶν λεπιδωτῶν γένος, οἷον θύννων, σκόμβρων, θυννίδων, γόγγρων, καὶ τῶν τοιούτων, συμβαίνει τούτοις καὶ ἀγελαίοις εἶναι· Vix tamen dubitare licet quin scripserit τῶν ἀλεπιδότων· Itaque garo e scombris abstinebant Judæi, teste Plinio, et hodie etiam abstinent, quod scombri squamis careant, propterea que Mosis legibus impuri habeantur.

682 *Quin etiam magnas poterunt celebrare salinas, &c.*] Hanc conficiendi salis rationem præclare exposuit Rutilius Numatianus in Itinerario: 'Subjectas villæ vacat aspectare salinas, Namque hoc censetur nomine salsa palus. Qua mare terrenis declive canalibus intrat, Multifidosque lacus parvula fossa rigat. Ast ubi flagrantes admovit sirius ignes, Cum pallent herbæ, cum sitit omnis ager, Tum cataractarum claustris excluditur æquor, Ut fixos latices horrida duret humus. Concipiunt acrem nativa coagula Phœbum, Et gravis æstivo crusta calore coit. Haud aliter quam cum glacie riget horridus Ister, Grandiaque astricto flumine plaustra vehit. Rimetur solitus naturæ expendere causas, Inque pari dispar fomite quærat opus. Juncta fluenta gelu conspecto sole liquescunt, Et rursus liquidæ sole gelantur aquæ.'

693 *At revoluta polo, &c.*] Quoniam infra horizontem non descendunt ursæ, neque supra eum proinde emergunt, alius earum ortus ab astronomis quæsitus est. Tunc autem oriri dictæ sunt, cum proximæ sunt horizonti, et infimum obtinent locum circuli, quem circa polum describunt, jamque resurgere incipiunt. Atque hæc recte intellexit Scaliger, cetera non item, ut dicturi sumus.

Primis vultibus] Non quia vultu in anticam partem converso ascendit ursa, primumque caput attollit. Aliud vult Manilius, pristinum eam repetere circulum, eosdemque proferre vultus, atque eodem modo sitos, quo prius erant, cum ad hoc spatium decurrendum prodiret. Quod habet autem Firmicus, septemtrionem esse inter pisces et arietem, hoc est oriri ursam, cum extrema pars piscium, et prima arietis emergit ex horizonte, id omnino verum non est; aliquot enim partibus ortum ursæ antecedit ille piscium et arietis.

696 *Aut* [*Ac*] *Cynosura minor, &c.*] Hunc versum cum duobus sequentibus obelo suo confodit Scaliger more suo, quia eorum sensum assequi non potuit. '*Cynosura*,' inquit, 'ne in barbarico quidem finitore occidit. Deinde hic sermo est leonis et scorpii orientium matutino. Quid hoc πρὸς τὰς συναναπολὰς τῶν ἀπλανῶν? Denique nemo est qui hos versus interpretari possit.' At nos possumus, et facile quidem; adeo plani sunt et aperti. Nulla hic occasus cynosuræ mentio; nulla ortus matutini leonis et scorpii. Idem de cynosura pronuntiat Manilius quod de helice; idem et de leone et scorpio: ac si dixisset oriente helice, oriente cynosura, oriente leone, oriente scorpio.

Prima luce] Idem hoc est ac quod proxime dixerat de helice, 'primis vultibus.' Id est, cum cynosura solitam suam lucem cœlo attollit. Alter locus alterius sententiam et γνησιότητα asserit.

698 *Nocte sub extrema permittunt jura diei*] Neutiquam ortum matutinum leonis et scorpii significat. Noctem intelligit, non quæ fit per absentiam solis, sed noctem leonis et scorpii, quando nimirum versantur sub horizonte; diem, quando supra eum prodeunt. Perinde est igitur, ut si dixisset, Quando oriuntur helice, cynosura, leo, et scorpius.

724 *Signaque transgressus mutat per tempora Phœbus*] Brumæ tempus significat, cum sol signorum domos transgressus mutare videtur cursum, et ad nos redire. Atque id profec-

tum est ex mysteriis Ægyptiorum, qui primam domum collocabant in capricorno, atque eam ascensum Deorum appellabant. Tunc autem obscurissimæ sunt noctes et stellæ splendidissimæ.

727 *Micare Floribus*] Marinus in Adonide: *Il ciel fiorito, el terren stellato.*

729 *Nec spatium stellis, mundo nec cedere summam*] Id est, cœli spatium cum stellis, et stellarum numerum cum cœlo contendere; ut dicere nequeas, cœline spatium stellas, stellarumne numerus cœlum superet.


In erudita illa dissertatione de Arabicis stellarum quarumdam appellationibus, quam notis suis in Manilium Scaliger subjecit, ursam majorem in Bibliis עש appellari ait, juxta Aben-Ezram, ultimæ vero stellæ trium in cauda nomen dare Arabes Benetnasch. At docuit nos Bochartus in Hierozoico עש fieri ex Arabico *Nas*; detracta prima litera; *Nas* autem significare *feretrum*; ursam vero utramque *feretrum* appellari ab astrologis, hanc *majus*, illam *minus*; uti notavit Eutychius in Historia Alexandrina. Feretri autem iis inditum est nomen, propter similitudinem; quippe e septem majoribus stellis, quæ in singulis lucent, quatuor quadrati formam referunt; tres vero sequentes exhibent eos qui feretrum sequuntur. Unde et filiæ feretri appellantur ab Arabibus, quasi filiæ sint sequentes patris feretrum. Quamobrem in libro Jobi memoratur עש על בניה *feretrum cum filiis suis.* Ergo falluntur astronomi, qui postremæ solum stellæ e tribus quæ sunt in cauda ursæ nomen hoc, quod dixi, tribuerunt. Fallitur et Grotius in Arateis, qui id interpretatus est *filiam ursæ*. Præterire non possum jocularem errorem Bayeri, qui cum hæc de ursa minore apud Scaligerum scripta legisset, 'Sed in Bibliis עש vocatur, ut ait Aben-Ezra,' sic verba ista construenda esse credidit: In Bibliis עש vocatur Ezra, ut ait Aben. Quamobrem inter majoris ursæ nomina Ezram posuit. Similiter cum hæc apud eundem legisset, ubi agit de nomine Ebraico Cassiepeæ, 'Sic etiam vocavit Aben-Ezra;' unum e nominibus Cassiepeæ Aben-Ezram esse credidit. Quæ risu digna sunt.


Ubi agit de tauro Scaliger oculum ejus ab Arabibus vocari ait Aldebaran; hoc est, *λαμπαδίαν*. At aliam nominis significationem afferunt Arabes, et exponunt *sequentem*, quod sequatur pleiadas et post eas oriatur. Hoc ipso nomine, non oculum duntaxat tauri, sed et suculas simul omnes designant. Quemadmodum autem oculus tauri *ὑπόκιρρος* a Ptolemæo, אודם ab Ebræis appellatur, sic rubor quoque pleiadibus tribuitur a Manilio: 'Tertia Pleiades dotabit forma sorores, Fœmineum rubro vultum suffusa pyropo.'

Sirium dictum putat Arabibus Elscheera (Latinis utimur characteribus, nam Arabici typographos nostros deficiunt) ab ea voce quæ *ὑδροφοβίαν* significat. Id posteriorum Arabum videtur esse commentum, cum primi nominis artifices nihil aliud proposuerint sibi, quam reddere dictionem sirius. Hanc stellam *Alscheera Alobur* appellant; et alteram, quæ est in cane minore, *Alscheera Algomus*: quorum nominum origines reperies apud Pocockium. In hoc vero censu miror prætermissas a Scaligero, cum alias multas stellas, tum præcipue canopum, qui dictus est Arabibus סהיל, qua visa stella camelos mori putant, deque ea alia fabulosa multa et inepta blaterant.

Quem profert deinde syllabum Scaliger monomœrarium ascendentium per singulos signorum gradus, additis earum significationibus, et decanis, juxta Ægyptiorum doctrinam, id omne hausit ex Petri Aponensis astrolabio plano.

Opus suum claudit Scaliger brevi indice Arabicorum Ebraicorumque nominum duodecim signorum, et planetarum septem; quibus adjunxit pervulgatos illos characteres ab astrologis vulgo ad eos designandos usurpari solitos, eorumque origines proposuit. Ad hæc quædam a nobis observanda sunt. Ac primum varias subjiciemus figuras lectorum oculis, quibus signa, planetæ, eorumque affectiones quædam, aliaque ad astronomiam pertinentia insigniri solent.





Stella.	✳		·		
συνδεσμος ἀναβιβάζων	[illegible]	[illegible]			
συνδεσμος καταβιβάζων	[illegible]	[illegible]	[illegible]		
Horoscopus.	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	
Hora.	[illegible]				
Dies unus.	6	6	[illegible]		
Dies multi.	66	[illegible]			
Nox.	[illegible]	[illegible]	9		
Noctes.	99				
ἡμερονύκτιον.	69				
Mensis.	[illegible]				
Menses.	M				
Conjunctio.	CΘ				
Triangulum.	△				
Quadratum.	□				
Circulus.	⊙				
Sphæra.	⊕				
Diameter.	△÷				
Centrum.	K	[illegible]			
Occidens.	[illegible]				
μεσουράνημα.	[illegible]	◎	[illegible]	MC	
ἀντιμεσουράνημα.	[illegible]				
μεσημβρινόν.	[illegible]				
Plenilunium.	[illegible]				
Dæmon vel sors Dæmonis	[illegible]	[illegible]	[illegible]		
Sors Fortunæ.	⊗	⊕			
Pars.	[illegible]				
Dimidium.	[illegible]	∠	[illegible]		
Clima.	x				
Indictio.	[illegible]				

Harum notarum quædam literis nominum aliquibus constant; quædam res ipsas graphice depictas exhibent; quædam symbola tantum rerum continent. Tres priores arietis characteres caput ipsius cornibus instructum repræsentant: postremi duo sunt literæ κ et ς colligatæ; prima nempe et postrema dictionis κριός. Sic ut τοῦ κ pes postremus productior sit, transversa vero lineola pedem hunc secans sit sigma finale, quod superiore sui parte, tum et inferiore, inflexum primo fuit. Vel sunt κ et ρ, primæ duæ literæ dictionis ejusdem. Hæ notæ, ut aliæ pleræque, nitide primum et accurate exarabantur; postmodum frequenti usu, et librariorum incuria, ita degeneraverunt, ut vix elementa, quibus conflata sunt, possis agnoscere. Idem evenit notis arithmeticis vulgaribus quibus utimur; cum enim ipsæ sint meræ literæ Græcæ, ita a prima figura desciverunt, ut Arabicæ atque etiam Indicæ creditæ sint. Quem errorem nuper refellimus in nostra demonstratione evangelica. Notarum tauri priores quinque, sunt taurini capitis figuræ. At ultimæ duæ sunt τ et ς, quod contractum est ex ταῦρος. Geminorum notam Lacedæmonii δόκανα appellaverunt; quasi dicas *trabalia*. Ἔστι δὲ δύο ξύλα παράλληλα δυσὶ πλαγίοις ἐπεζευγμένα, inquit Plutarchus περὶ φιλαδελφίας. Primitus autem duo juvenum corpuscula fuerunt sese mutuo amplexantium. Ergo δόκανα sunt ipsa corpora; πλάγια vero ξύλα sunt brachia. Δόκανα reddidi *trabalia*; nam ligneam illam catastam, in quam inducuntur calcitrosi et contumaces equi, *trabale* vocamus, Gallice *travail*, quod trabibus contexta sit: quam, quacunque ex parte spectes, notæ geminorum similem reperies. Igitur ut a trabe, trabale; sic a δοκὸς, δόκανα nomen habent. Transiit et vocabulum illud ad geminorum sepulcrum, quod perperam arcessunt grammatici ἀπὸ τοῦ δέξασθαι; nam hoc argumento sepulcra omnia dicenda erunt δόκανα. Cancri characteres duo priores referunt cancri figuram, pedibus utrimque instructi. Postremos tres opinatur Kircherus simulacra esse caudæ cancri, et capitis Ibis. Mihi aliud in mentem venit. Ad eandem faciem pingitur ἡμερονύκτιον, ac cancer, ex diei et noctis figuris; quarum quæ diem notat, astri ascendentis; quæ noctem, descendentis simulacrum est. Quoniam autem in cancro jam sol retrocedere incipit, unde et cancri, retrogradi animalis, symbolum huic loco adscriptum est; idcirco credibile est astri ascendentis, atque item descendentis, notam ei fuisse assignatam. Leonis notas caudam ejus exhibere communis opinio est. Mihi vero tertia, quæ cæteris vulgatior est, expressa videtur ad figuram quam præcipuæ leonis stellæ referunt. Virgini signum primo loco appositum, fuisse reor π et ς; prima nempe et postrema litera dictionis παρθένος. Ac primum transversa hæc linea, quæ literæ π imponitur, sinistro suo brachio literam ς gerebat; verum paulatim in sinistram hanc partem delapsa est linea ista; sic ut quæ transversa erat, arrectaria facta sit, et nudatam reliquerit supernam partem literæ π. Ex hac forma cæteræ ortæ sunt. Mihi parum verisimile fit, quod proponit Kircherus, ex trium spicarum uno vinculo colligatarum specie notam vulgarem fluxisse; nam valde ab hac figura abludunt prisci characteres quos exhibui. Nihilo magis probo sententiam Scaligeri ab Arabibus profectam, quibus virginis alam id esse visum est. Libram figuræ omnes huic appositæ repræsentant, uti et scorpium suæ. Quæ tribuuntur sagittario, arcum ejus, et arcui impositam sagittam notant, non brachium sagittam tenens, quod vult Kircherus. Priores duæ

capricorni nihil aliud sunt quam α protractum, quod litera ϛ decussat: prima nempe et postrema litera vocis αἰγόκερως. Hæ per librariorum socordiam vitiatæ tertiam capricorni notam pepererunt. At reliquæ duæ fictæ sunt ad exemplum corporis capricorni ipsius, cum contortuplicata ejus cauda, postrema etiam cum cornibus. Aquarius per aquæ fluctuantis figuram expressus est; pisces per suam, oppositis dorsis, et lino revinctis. Unius olim piscis figura dodecatemorion hoc signabant Ægyptii.

In characteribus planetarum quicunque Saturno dantur, prodierunt omnes ex primis duabus literis vocis Κρόνος, quas sextus et septimus accuratè nobis ob oculos ponunt. Qui tribuuntur Jovi, primam et postremam continent literam dictionis ζεὺς, quod manifestum est in secunda figura. Non aliter pingitur in manuscripto codice nostro Vettii Valentis. Quocirca miror scripsisse Salmasium, lineolam illam, quæ caudam τοῦ ζῆτα transversim secat, 'nihil amplius facere.' Hanc in aliquibus jam nominum notis utilem esse observavimus. Sola postrema nota merum ζῆτα est sine ϛ. Miror quoque existimasse Scaligerum et Seldenum, fulmen Jovis exprimi hoc charactere, qui Jovis fulmini similior non est, quam tridenti Neptuni, vel caduceo Mercurii. Priores quatuor Martis notæ clypeum ejus cum spiculo haud dubie referunt: postremas tres ex θ et ϛ constare censet Salmasius, ut vocabulum θούρας, et θούρης, et θοῦρος, quod Martis cognomentum est, significetur; quod, cum aliorum compluriun testimoniis, tum maxime Dorothei Sidonii, veteris poëtæ, ingeniose et erudite, vere etiam et solide probat. Solis notæ duæ priores exhibent discum ejus cum radio; duæ sequentes discum ejus sine radio; ultima radium sine disco. Tertia Veneris reliquarum ad eam pertinentium origo est. Φωσφόρον autem significat, quod cognomen est Veneris. Postrema literæ φ subnexum gerit ϛ, quæ ultima litera est dictionis ejusdem. Id acute vidit et docuit Salmasius; atque item Mercurii notas literis σ et τ constare, quæ priores literæ sunt vocabuli στίλβων, quo nomine dictus est Mercurius. Genuinæ itaque figuræ sunt quarta et quinta, in qua σ et τ distincte expressa sunt. Sexta sigma aliud vetus Græcorum supinum gerit, cui subest τ. Ex hac primæ tres videntur detortæ. Qui hieroglyphicas esse notas istas, et mysteriorum arcanorum indices censuerunt, Johannes Dee, Kircherus, et alii, ingenii quidem sui et doctrinæ ediderunt specimen, nec effecerunt tamen, ut veram hanc esse earum causam et originem crederemus.

Reliquarum notarum quæ secunda est, sidus refert remeans ex inferioribus locis in superna; tertia contra, ex supernis in inferiora devexum. Dies figuram habet astri in superiora radium mittentis, eoque tendentis: nox, astri deorsum tendentis, eoque lucem fundentis. Sphæra exprimitur circulo, quem æquinoctialis et meridianus, sese secantes ad normales angulos distinguunt. Occidens signatur literis δ et υ; quæ primæ sunt in voce δύσις. Nota ἀντιμεσουρανήματος exprimit horizontem, eique subjectam inferioris hemisphærii partem, cujus infima pars est ἀντιμεσουράνημα. Dæmonis figura, astrum est in inferiora, non radios, sed vires suas et effectus mittens. Quæ sorti fortunæ nota apposita est, rotam ejus designat; quod verisimilius est, quam quod a Scaligero propositum est in Manilii tertium, ubi traditur ratio explorandi loci sortis fortunæ. Dimidium designatur per duo quadrati latera, quæ dimidiam ejus partem efficiunt. Indictionem significaveris, si duo prima dictionis hujus elementa Græca simul conjunxeris; iota nempe, et veterem formam li-

teræ ν. Quod subjicit denique Scaliger indici nominum planetarum, Saturnum esse Moloch Chananæorum, Rephan vero esse Jovem, in utroque fallitur; Copti enim ad hanc diem Martem Moloch, Saturnum vero Rhephan appellant, ut ostendit Kircherus in Prodomo Copto.

Perlustrato jam Manilii opere, et castigatis Scaligeri notis, superest ut de Manilio ipso pauca quædam delibemus. Veri sane mihi videtur non absimilis Gevartii opinio, qui Manilium nostrum non alium esse putat, quam Flavium Mallium Theodorum consulem, cui panegyricum dixit Claudianus. Nam et Mallius appellatur poëta noster a Petro Crinito et Lilio Giraldo, ex fide, opinor, priscorum codicum; et nomina Mallius et Manlius, quo postremo nomine in Gemblacensi codice afficitur, confundi videas: ut in veteribus Catulli libris, et in inscriptionibus licet animadvertere. Theodorum autem astrologiæ studiosissimum et peritissimum fuisse hæc Claudiani indicant: 'Aut quotias elementa docas, semperque fluentis Materiæ causas, quæ vis animaverit astra, Impuleritque choros; quo vivat machina motu; Sidera cur septem retro nitantur in ortus Obluctata polo.' Et deinde: 'Invenit ætherios signantem pulvere cursus, Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis: Quæ moveant momenta polum, quam certus in astris Error; quis tenebras soli, causisque meantem Defectum indicat numerus; quæ linea Phœben Damnet, et excluso pallentem fratre relinquat.' Rursum: 'Uranie redimita comas, qua sæpe magistra Mallius igniferos radio descripserat axes.' Libros quoque edidisse Mallium ex istis cognoscimus: 'Nascentes ibant in sæcula libri.' Et iterum: 'Consul per populos, idemque gravissimus auctor Eloquii, duplici vita subnixus in ævum Procedat, libris pariter, fastisque legendus.' Tum causatur Gevartius impuritatem stili, Augusti ævo parum congruam. Atque hæc argumenta hominem etiam attentum permovere poterant, et se his aliquando permotum fatetur Vossium. Verum re propius spectata fatendum plane est Manilium Augusti ætate vixisse postremisque ipsius annis astronomicon suum scripsisse. Quod apertissime testatus est, cum dixit: 'Extremas modo per gentes ut fœdere rupto, Cum fera ductorem rapuit Germania Varum.' Nam cis paucos annos id evenisse, vocabulum 'modo' plane significat. Adde et istud quo Augusti genesin assentatorie notat: 'Capricornus in ipsum Convertit visus: quid enim mirabitur ille Majus, in Augusti felix cum fulserit ortum?' Adde item ista e lib. IV., quibus definit eum cui nascenti libra præfuerit, quod de Augusto veteres tradunt, judicem fore, vitæ et necis potestatem habiturum, leges rogaturum, terris jugum impositurum, urbes nutu recturum, et post mortem cœlo iri donatum. Adulatoria quoque sunt, quæ canit de prælio Actiaco: 'Actiacosque sinus inter suspensus utrimque Orbis, et in ponto cœli fortuna natabit.' De Rhodio Tiberii secessu, tanquam de re sui temporis, sic disserit: 'Et Rhodos, hospitium recturi principis orbem.' Hinc recte concludas nondum obiisse Augustum, cum hæc scriberet Manilius; non vero mortuum videri Manilium Augusto adhuc vivente, quod ex his collegit Lilius Giraldus. Alibi Cæsarem appellat principem et patrem, quæ quasi cognomenta Augusti fuere. Horatius: 'Heic ames dici pater atque princeps.' Tum Deum vocat, qui cœlum patri ipsius concessum meritus sit: quem palpum iterum ei, iterumque obducit; quippe Augustum post annum ætatis octavum et vicesimum, pace orbi parta, oppidatim inter Deos receptum esse tradit

Appianus. Sed et aliquot annis junior erat, cum diceret Virgilius, 'Heic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis Bissenos cui nostra dies altaria fumant.' Stili vero immunditiem a Giraldo et Gevartio ipsi objectam quod attinet, aio dictiones eas, quarum exempla apud bonos auctores non suppetunt, non statim impuras esse dicendas. Quot enim libros vetustas consumsit? Concedamus vero ne in deperditis quidem libris extitisse; quid si nulla sese dedit scriptoribus earum adhibendarum necessitas vel occasio? Hoc argumento μοναδικαὶ omnes dictiones barbaræ erunt. Hoc argumento Ovidii stilum impurum dices, quod et dixerunt quidam, utpote qui vocabula aliqua ab aliis neutiquam usurpata habeat. At contra vocabula hæc pura et sincera dicenda erant, quod iis Ovidius usus sit. Fateamur tamen inquinate locutum Manilium; nemone Augusti temporibus inquinate locutus est? Vides utique quam infirma sit Gevartii argumentatio. Præterea docet nos Claudianus, non astronomica duntaxat, sed philosophiam præcipue tractasse Theodorum Mallium: 'Aut quoties elementa doces, semperque fluentis Materiæ causas..... Variisque meatibus idem Arbiter, an geminæ convertant æthera mentes: Sitne color proprius rerum, lucisne repulsu Eludant aciem.' Reliqua, ut brevitati consulam, ex libro ipso peti jubeo; unde intelligas totam μετεωρολογικὴν Mallium libris suis esse complexum. Tum alibi, 'Qualem te legimus teneri primordia mundi Scribentem, aut partes animæ per singula.' Atqui nihil herum simile in Manilii lib. deprehendimus. His adde circa ἀποτελεσματικὴν potissimum versatam esse Manilii industriam; quibus studiis deditum fuisse Mallium, ne verbulo quidem Claudianus significavit. Causantur etiam nonnulli Ovidii de Manilio silentium, cum claros sui temporis poëtas postrema Epistola Pontica recensuerit. At notare debuerant eos tantum nominasse Ovidium, qui ante exilium suum florebant. Scribit enim, 'Et mihi nomen Tunc quoque cum vivis annumerarer, erat. Cum foret et Marsus, magnique Rabirius oris.' Tum deinde reliquos persequitur. Atqui paucis ante Augusti obitum annis in exilium abiit; quo circiter tempore librum suum lucubrabat Manilius, quem et forsitan aliquanto post Ovidii profectionem publicavit; ita tamen ut materiæ difficultate oppressum hoc opus videatur jacuisse, et serius celebratum fuisse: quamobrem mirandum non est, ad notitiam Ovidii inter Getas degentis neutiquam pervenisse. Tantum vero sequenti ævo eadem argumenti obscuritas illi obfuit, ut illaudatum Quintilianus prætermiserit. Ceterum Romæ librum suum scripsit Manilius, ut versus ejus quidam indicant.

Matheseos non valde consultum fuisse Manilium vere dixit Scaliger; quod et de Scaligero ipso Maniliomastige non minus vere dici potest. In idem crimen vocati sunt Aratus et Nicander, susceptæ operæ rerum, quarum ignari essent, carminibus tractandarum. Excusandus tamen Manilius, immo laudandus etiam, quod res Romanis auribus inauditas primus scriptis tradere, et metris quoque astringere instituerit: quemadmodum libri secundi initio gloriatur. Nam etsi rerum hujusmodi consultis indoctior habendus est, at imperitis Romanis cum scriberet, eruditus videri potuit. Secta stoicum se prodit multis locis: ut cum fato omnia regi statuit; ut cum Deum universam naturam permeare docuit, et mundum ratione esse præditum; ut cum κριτήριον in ratione posuit, tum cum dixit rationi claustra nulla, moles nullas resistere, cedere omnia, ac cœlum ipsum; nunquam decipi

rationem vel decipere, quæ doctrina fuit vetustiorum stoicorum, ut apud Laërtium docet Posidonius: sed quam tamen etiam persecuti sunt Heraclitus et Plato. Nam et quædam academicorum dogmata defendit Manilius: puta cum Diis globosam formam tribuit; qua in hæresi versatus est Plato. At quamvis intricatum et subtile argumentum Latinis literis explicare, et carminibus convestire aggressus Manilius ingenii sui felicitatem nobilitarit, egregiaque aliqua, ac prope divina poëticæ facultatis specimina ediderit, fatendum tamen est stilo usum esse præfractiore ac duro, et ob hanc causam subobscuro; audacioribus etiam figuris; sicca ad hæc et jejuna oratione, non ubere, non locupiete, qualem amplitudo materiæ, difficilis ut voles et perplexæ, nobilis certe et late patentis facile admittebat. Hoc enim vel præcipuum est e Manilii vitiis, quod minuta quæque consectatus est, et quod res docere contentus, uti præ se fert, ornare neglexerit. Officium hoc erat Hipparchi, vel Ptolemæi, alteriusve astronomi præcepta disciplinæ suæ nude tradentis; non poëtæ, cujus partes sunt lectorum animos voluptate allicere et detinere: nec enim Georgica scribens Virgilius docere agricolas voluit, sed legentes delectare. In quo ipso tamen industriam suam nonnunquam periclitatur Manilius. Sententiis enim aliquibus et descriptionibus, sic tanquam luminibus opus suum distinxit. At tum in contrarium priori vitium fere incurrit. Intemperanter enim luxuriat; velut in fabula Andromedæ, quam effusis loquacitatis suæ velis explicavit. Hic ergo sunt, quæ collatari velis, illustrari, et cultu splendescere; illic quæ recidi, cogi in ordinem, et castigando detumescere: hic aridior, illic lascivior. Mancum et sexto libro, qui τῶν συγκαταδύσεων effectus exponebat, multatum opus ejus ad nos videtur pervenisse; fortasse et pluribus libris, quorum spem facit in iis qui supersunt; verumtamen an eos, uti designaverat, absolverit, dubium est. Nam quamvis ex superstitibus libris multa decerpsisse Firmicum deprehendimus, non reliqua tamen ex aliis provenisse necesse est. A Manilio sæpe discedentem Firmicum observavimus, in iis etiam quæ ab illo sumsisse creditur. Græcos habuit quos sequeretur, non Manilio solum recentiores, sed vetustiores etiam, ex quibus, ceu communi fonte, uterque haurire potuit. Ergo neque id negandum, neque affirmanti Scaligero temere credendum est.

Porro de poëta hoc præclare meritum esse Scaligerum negari non potest; nam et loca pleraque deplorata felicissime sanavit; multa etiam obscura pro singulari sua eruditione illustravit; nec pauca luxata, perturbata, ac confusa pristinis sedibus solerter restituit. Verum dum nodum sæpe quærit in scirpo, nimia sua περιεργίᾳ, et anxia quadam ac morosa diligentia; tum et insano eruditionis ostentandæ studio, egregium laborem corrupit. Adeo ut quæ Manilium legenti mihi clara sæpe visa fuerant et aperta, postquam Scaligeri notas consulueram, intricata eadem et obscura evaderent; neque ante rediret pristina lux, quam discussissem affusas ab eo tenebras, inductosque in planam et patentem viam sentes purgassem. Huc accessit immoderata hominis confidentia, nihil non arrogantis sibi, neminem non præ se aspernantis. Hinc crebra et petulantia in alios convitia; hinc importunæ querelæ ad nauseam legentium; hinc putida illa et odiosa doctrinæ suæ, et egregie in Manilio emendando collocatæ a se operæ, jactantia; qua non hic solum, sed et in Epistolis ad Stadium et Patissonem lectores enecat ac conficit. Et ta-

men quam præceps temeritas excelsi hujus ac nobilis ingenii conatus labefactarit, cum aliæ hujus lucubrationes, tum ista vel maxime declarat. Si quis enim priorem Manilii editionem contendat cum posteriore hac, mirabitur profecto, non tam opinionum discrepantiam (quas pro diversis temporibus et rationibus candide suscipere vel deponere, non modo non vituperandum, sed laudandum quoque est) quam in tanta discordia et repugnantia parem utrobique confidentiam et contumaciam. Atqui æquum erat, quam sibi arrogavit, aliis itidem dare contradicendi potestatem, vel rem omnino intactam relinquere ; præsertim qui sibi esset conscius quam non alte penetrasset in arcana matheseos ; id quod subinde prodidit magno suo flagitio, cum cyclometrica illa sua inauspicato edidit.

Ad me vero quod attinet, cum diversa penitus studia me nunc districtum teneant, de Manilio olim quidem a me non indiligenter perlecto, at tot jam annos seposito, omnino non cogitabam. Verum cum nonnulla ad oram codicis mei allita observasset clarissimus Faynus, unde ornatiorem quam parabat editionem fieri posse credidit, eorumque sibi copiam a me concedi enixe rogasset, etsi effecta erant omnia ac prope jam e typographorum officinis emissa, honestæ ejus petitioni annuendum duxi. Diebus itaque aliquot, neque sane multis, in hanc curam collatis, quæ in libro meo olim in privatos usus annotaveram, excerpta digessi, ac optimo et amico viro pro arbitrio utenda concessi. Quod nisi in summis temporis angustiis, urgentibus typographis, et moram hanc magno suo detrimento interponi ægre ferentibus, hoc mihi opus fuisset edolandum, plura potuissem, ac fortasse meliora ad scriptoris hujus illustrationem conferre ; plures quoque Scaligeri hallucinationes castigare ; et nonnulla etiam ad Lucani, quem immodice vexat, defensionem proferre. Quæ quoniam ab aliis occupata provincia est, et spatiis iniquis excludimur, hoc quodcumque opellæ est, æquos et candidos lectores in bonam partem velim interpretari.

NOTÆ VARIORUM

IN

M. MANILII ASTRONOMICON.

EX EDITIONE M. ELIÆ STOEBER.

ARGENTORATI, 1767. 8vo.

NOTÆ VARIORUM

IN

M. MANILII ASTRONOMICON.

LIBER I.

1 *Conscia fati Sidera*] Planetas puta, stellarumque configurationes, quas 'constellationes' vocare amat Jul. Firmicus, in quibus, ex illorum quidem opinione, omnis fatorum ratio consistit. Phrasis Maroni ceterisque poëtarum principibus usitata. Aliis quoque inanimatis rebus hoc *conscius* tribuitur: v. c. 'conscia murmura,' i. e. incantationibus apta, Stat. Theb. IX. 733. 'conscia tellus,' Achil. I. 532. 'flammæ conscia signa,' Ovid. Amor. II. 1. 8. quibus significatio hujus *conscius* accommodanda.

3 *Cælestis rationis opus*] Sententia ex proxime præcedentibus derivanda, huc redit: Divinæ mentis virtute factum, ut sidera diversos hominum casus (formam, mores, fortunam, quæque illis accidunt) varient, h. e. vario modo decernant, et ad picturæ similitudinem figurent: Firmic. lib. IV. c. 15. Cf. quæ de Chaldæis Cicero de Divin. II. 42. Verba ejus dabimus infra ad vs. 53. Noster rursus vs. 112. 251. et III. 58. sqq. Ovidius quoque eodem sensu hoc 'variare' usus est Fast. III. 449. 'Jamque ubi cœruleum variabunt (non *vallabunt*) sidera cœlum Suspice.'

Deducere mundo] Summa est elegantia dictum. Non multo aliter Ovid. Metam. init. 'primaque ab origine mundi Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.' Nativam vocis significationem discimus ab eod. Amor. I. 14. 7. ubi, 'Vel pede quod gracili deducit aranea filum.' Itaque Noster, se a mundi primordiis carmen exorsurum, ait, præcipuasque ejus partes expositurum perenni quadam similique serie, qua omnia veluti filum ex fuso deducantur. Huic fere σύμφωνος est locus Stat. Achil. I. 6. sq. 'Nec in Hectore tracto Sistere, sed tota juvenem deducere Troja.' Advertendum autem, hanc vocem cum hoc *diducere* a librariis sæpius fuisse commutatam: cujus erroris specimina in Msto quoque Lipsiensi passim legimus.

6 *Hospita sacra ferens*] Phrasis eximie poëtica. Persius in Prologo vs. 7. 'Ad sacra vatum carmen affero nostrum;' ubi vide Casaub. Nostrum imitatus videtur Germanicus vs. 3. 'Te veneror, tibi sacra fero.' Quibus hæc præcinuit Maro Georg. II. 475. 'Musæ, Quarum sacra fero.' Ceterum *hospita sacra* Noster dixit

carmen suum intentatum, quo quidem inusitata et quasi peregrina donaria afferre sibi videtur. Est autem minus frequens hæc vocis *hospita* significatio; ac nonnisi in fœm. sing. et neutr. plur. legitur. Alias enim uti apud Virgil. 'hospita æquora' v. 'flumina' sunt, quæ quis navigare vel transire facile potest. 'Hospita vero spolia' Statio Achil. I. 66. sunt, bona hospiti furto abrepta.

7 *Tu mihi, tu, Cæsar*] *Cæsarem* vero Noster appellat Octavianum Augustum, plane uti Virgil. Georg. III. 16. et ceteri ejus ætatis poëtæ, qui certatim illi carmina sacrificiorum loco obtulerunt.

9 *Patri*] Jul. Cæsari, cujus Augustus non natura quidem, sed judicio et voluntate filius, imperiique hæres fuit.

Mundum] I. e. cœlum, ut alibi sæpius.

Deus ipse] Quod talis haberi, dici, coli vivus tunc Augustus voluit. Ita quoque Virgil. Ecl. I. 6. 'O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.' Et Propertius III. 3. 1. 'Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos.'

13 *Hoc sub pace vacat, &c.*] Innuit enim, ante pacem ab Augusto orbi redditam, inter armorum strepitum, his vacare Musis ipsi non licuisse. Longe hoc apertius profitetur Lucret. lib. I. 32. sqq. et vs. 42. sq. Pariter Ovidius, Germanicus, et ejus ævi poëtæ fere omnes.

Per altum] *Ire per astra* v. *aëra* dicitur de iis, qui ista meditatione vel scriptione prosequuntur. Videtur ex Aristoph. sumptum, cujus Socrates Nub. vs. 225. 'Αεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον.

15 *Adversos stellarum cursus*] Ex veterum enim opinione stellarum quædam non mundo tantum, verum etiam sibi invicem contrarium motum habent. Vid. Cic. de Nat. Deor. II. 19. Senec. Nat. Quæst. VII. Macrob. Somn. I. 18. Cf. Nostr. infr. 803. sq. et v. init. Addesis Rhodig. L. A. I. 18. pr.

17 *Præcordia mundi*] Iterum III. 61. Non planetas modo signiferique signa intelligit, verum omnes cœli nobiliores partes, quæ 'alta firmamenta' dixit Gratius Cyneg. Hæc enim soli tam sunt propinqua, quam membranæ illæ cordi prætensæ. Sol autem cor mundi: Macrob. Saturn. lib. I. c. 20.

21 *Ad duo templa*] Apollinis sc. et Mercurii; quorum illi pro arte poëtica, huic pro astrorum doctrina gratitudinis hoc officium se debere, germanum in modum profitetur. Cf. vs. 19. et 30. sqq.

24 *Vixque soluta suis*] Interpretantur *soluta*, ἄναρθρα, *articulata verba*. Tu intellige prosaica. Vix oratione prosa tradi possunt astronomica; quanto difficilius versibus? Horatius jam citatus, 'numerisque fertur, lege solutis.' Ovid. Trist. IV. 10. 24. 'Scribere conabar verba soluta modis.' Statius Silv. II. 7. 21. 'Dum qui vos geminas tulit per artes, Et vinctæ pede vocis et solutæ.' *Suis figuris*, id est, suis circulis et diagrammatis; sine quibus astronomica tradi et doceri nequeunt. *Bent.*

30 *Cyllenie*] Mercuri, Virgil. Æn. VIII. 138. sq. Huic Ægyptios, quos astronomiam ille docuit, libros suos inscripsisse, auctor est Jamblichus de Ægyptiorum Secretis.

41 *Regales animos*] I. e. philosophos, Glossa in cod. Lips.

44 *Mundus redit*] I. e. sol; uti II. 794. III. 212. et 591. Sensus: Qua sol convertitur, et ab altero hæmisphærio ad nos evehitur; ut primo super Æthiopiam. Versus videtur traductus ex Hesiod. Ἔργ. II. 145.

Mundus redit] Sub ipso orientis limine, qua mundus redit supra horizontem. Sic III. 586. de cardine orientali: 'Si bene constiterit primo sub cardine luna, Qua redit in terras mundus.' *Bent.*

Urbes quas] Babylonios puta et Ægyptios, quorum urbes illa flumina alluunt atque fœcundant.

47 *Publica vota*] I. e. preces, sacra, sacrificia.

51 *Movere*] I. e. incepere, excussere. Virgil. Æn. VII. 45. 'Majus opus moveo.'

53 *Singula signarunt tempora casu*] Hujus artis principes extitere Chaldæi, qui vim quandam esse aiunt signifero in orbe, talem, ut ejus orbis unaquæque pars alia alio modo moveat immutetque cœlum. Etenim cum cœli conversiones tempestatumque commutationes tantæ fiant accessu stellarum et recessu; cumque ea vi solis efficiantur, quæ videmus; non verisimile solum, sed etiam verum esse censent, perinde, utcunque temperatus sit aër, ita pueros orientes animari atque formari; ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ, casus cujusque eventusque fingi. O delirationem incredibilem! Non enim omnis error stultitia est dicenda: Cic. de Div. II. 42.

57 *Quam parvi*] I. e. vel parvi, minutissimi.

63 *Tacitis legibus*] Leges astrorum sunt stati illi et ordinarii cursus, limitibus suis et temporibus ascripti. Claudian. III. 6. Dudum enim Ægyptiorum retro majores, quos constat primos omnium cœlum scrutari et metiri ausos, deprehenderunt, cum sole et luna quinque stellas vagari; 'nec tamen per omnes cœli partes passim ac sine certa erroris sui lege discurrere:' Macrob. Somn. I. 22.

64 *Alterna mundum ratione*] Scil. naturæ, quæ Deus Manilio, et astrorum in eundem finem mutuo conspirante. Sic 'alterno consensu' infr. II. 63. 'mutua in alternum' præbere alimenta III. 53.

66 *Ante illos*] Sc. sacerdotes, vel Chaldæos, qui astrologiæ principes extiterunt. Vid. ad vs. 53.

Nullo discrimine] Sc. causarum efficientium. Adeo enim rudis illa gens primitiva creditur, ut artem calluerit nullam.

67 *Operum ratione carebat*] Exponit hæc Lucret. v. 1182. sqq.

76 *Immotusque*] Erat tunc immensum et 'humanæ intentatum experientiæ pelagus,' totius orbis vinculum, terrarumque custodia, 'inagitata remis vastitas:' uti eleganter exponit declamator ille apud M. Senecam.

Novos orbes] Non frustra dixit, propter Britanniam paulo ante sua tempora a C. Jul. Cæsare detectam, quam 'alterum orbem' vocabant. Germania vero Augusti imperio Romanorum armis penetrata, 'novus orbis' audit Ovidio ad Liv. vs. 314. et 391.

77 *Ventis credere*] Sic quoque Petronius: 'Crede ratem ventis, animum ne crede puellis.'

Vota] I. e. quæ votis expetuntur, spes ingentiores. 'Hæc sunt consilia mortalium; hæc vota magnarum cogitationum,' idem ait Petron.

79 *Longa dies*] Notat eam ætatem, qua Jupiter regnans non rudes et ignavos passus est vivere mortales: sed eorum mentes aut dura rerum egestate, aut insano habendi amore acuens ad artes inveniendas excolendasque coëgit. Virgil. Georg. I. 121. sqq.

80 *Et labor ingenium miseris dedit*] Idem ceteri scriptores, qua Græci qua Latini, abunde prodiderunt. Falluntur autem qui putant, famem egestatemque ingenium largiri; cum potius in multis illud imminui, frangique animi vires videamus. Quod poëta intellexit, dicens Ἥμυσι τῆς ἀρετῆς ἀποαιρεῖ δούλιον ἦμαρ. Rectius vero Noster hanc paupertati laudem tribuit, qua premendo jubet advigilare sibi. Mentem ejus interpretatur Chrysost. in IV. ad pop. Antioch. ubi eam e calamitatibus utilitatem percipi docet, quod 'vagum animum' et circa multa hiantem 'serio cogat attendere,' atque ad semetipsum convertit.

83 *Et quodcunque*] Illud *quodcunque* valde est signans, et magni aliquid, utut incerti, significat. Propert. IV. 1. 1. 'Hoc quodcunque vides, hospes, qua maxima Roma est, Ante Phrygem Æneam collis et herba fuit.' Et Stat. Theb. XI. 'Hoc quodcunque madent campi, quod sanguine fumant Stagna, &c.'

87 *Et vagus in cæcum*] Non ita dicitur *vagus*, ut intelligas vagationem nullo certo consilio errabundam; sed quæ motu feratur præfinito et lege stabili. Sic 'vagus sol' dicitur, 'vaga luna,' 'vaga noctis lumina,' et id genus alia complura. Horatius item, pariter ac Noster, 'mercatorem' vocat 'vagum,' Art. Poët. vs. 117. Errat enim utrumque hominum genus.

90 *Alia*] Producit finalem *alia*; cum cæsuræ virtute, tum geminæ consonantis. *Bent.*

91 *Linguas didicere volucrum*] Augurium notat. Species pro genere. Pacuvio Augures dicuntur, 'qui linguas avium intelligunt:' apud Cicer. de Divinat. I. 57.

Consultare fibras] Verbum *consultare* huic rei proprium. Vid. Brisson. de Form. I. p. m. 21. sq. *fibras* Noster uberius exponit IV. 912.

Rumpere vocibus angues] Incantationis species; de qua Virgil. Ecl. VIII. 71. Ovid. Metam. VII. 199. sqq. Amor. II. 25.

Acheronta movere] Dæmonum evocatio. Virgil. Æneid. VII. 312.

94 *In noctemque dies vertere, &c.*] Aliud incantamentum, de quo Ovid. Metam. VII. 201. sq.

97 *Ascendit ratio*] Sc. humana. Cic. de Nat. Deor. II. 7. 'Quid vero? Hominum ratio non in cælum penetravit?' Soli enim ex animantibus nos astrorum ortus, obitus cursusque cognovimus. Vid. eund. l. c. cap. 61. pr.

98 *Usquam*] I. e. ulla in re. Iterum infra vs. 212. ubi significat, ulla ex re.

105 *Et sonitum ventis concessit*] Ventus et aër poëtis sæpe eodem nomine veniunt. Loquitur autem Noster de sonitu vel fragore fulmen comitante. Quem si ventis tribuissent hujus ætatis homines, hoc certe non accuratius essent philosophati, quam agrestibus rudiores. Quamobrem rectius videtur Regiom. hunc vs. interpunxisse: *Et sonitum ventis: concessit nubibus ignem.* Sanioris doctrinæ studiosi, qui Jovi fulmen eripuerunt, confutarunt quoque vulgo receptam opinionem, quæ ventis fragorem fulminis, nubibus nonnisi aquam, pluvias, nimbos attribuit.

Concessit nubibus ignem] Ex quo omnis fulminum ratio in physicorum scholis recte deducitur. Cf. Nostr. infr. vs. 850. sq. Lucret. VI. 145. sq. 245. sqq. Add. Cardan. de Subtilit. p. m. 550.

113 *Surgit*] Nascitur, exponendum est.

114 *Fortuna*] Dea. Papin. Theb. V. 131. sqq. 'rapuit gavisa Polyxo Fortunam:' atque iterat, 'Deus ultor in iras Adportat, cœptisque favet,' &c.

123 *Semperque fuisse Et fore*] Aristotelis sententia, qui lib. I. de Cælo cap. 10. sqq. docet, 'mundum ingenitum esse et æternum.' Huic totus favet Lucret. apud quem V. 515. videbis 'æterni sidera mundi.'

125 *Seu permixta chaos*] Hæc primus omnium de Chao prodidit Hesiod. in Theog. cui succinuit Ovid. Metam. init.

127 *Sive individuis*] Ἀτόμοις. 'Micas' vertit Seneca, alii 'monadas.' Hæc autem 'monas' initium finisque omnium, neque ipsa principii aut finis sciens, ad summum refertur Deum: Macrob. Saturnal. lib. I. c. 6.

130 *Sumptum*] Dicit autem, pæne ex nihilo sumptam τὴν ἄτομον, qua Epicurus nihil tenuius in rerum natura esse docebat. Quod valde exagitat Cicero in de Finib.

131 *Cæcaque materies*] Lucret. I.

1108. 'cæca primordia' dixit insensilia rerum principia, ex mente Epicuri, qui οὐδέποτε, ait, ἄτομον ὤφθαι αἰσθήσει· πᾶν τε μέγεθος μὴ εἶναι περὶ ἀτόμους.

132 *Sive ignis*] Hippasi et Heracliti sententia, quam præclare refutat Lucret. I. 635. sqq.

133 *Habitantq. per omne corp.*] Vid. infr. vs. 850. sqq.

135 *Seu liquor*] Sic statuit Thales Milesius, testibus Laërt. lib. I. et Plutarch. de Placit. Philos. I. 3. Convellit hunc quoque Lucret. I. 706. sqq.

137 *Aut neque terra, &c.*] Empedoclis sententia, qui quatuor elementa primum rerum principium posuit. Sext. Empir. lib. VIII. Lucret. I. 715. sqq.

138 *Faciuntque Deum per quattuor artus*] Per metaphoram Auctor quatuor elementa dicit *quatuor artus*, ex quibus Deus Empedoclis componitur. *Deus* autem h. l. est mundus, qui ita dicitur, quod non modo immortale animal ac divinum sit, plenum inclytæ ex illa purissima mente rationis: sed quod et virtutes omnes, quæ illam primæ omnipotentiam summitatis sequuntur, aut ipse faciat aut contineat: Macrob. Saturn. lib. I.

139 *Prohibentque*] Uti faciunt, struxere, sic prohibent. At Ms. Lips. *prohibetq.* i. e. globus mundi, ex istorum quidem opinione, nil extra vel supra se habet, a quo creatus atque dispositus sit.

151 *Naturæ mœnia*] Cælos, qui suo ambitu, tanquam vallo, totum mundum circumcingunt. Sic III. 48. Lucret. I. 73. 1049. et alibi sæpius.

153 *Per inania mundi*] I. e. vacua mundi loca, qualia intelligit h. v. et asserit Lucret. I. 666. 662. et alibi passim. Ab hoc est 'inaniis' apud Plaut. Aulul. I. 2. 6. ubi absolutam domus vacuitatem denotat. Vs. 200. et deinceps apud Nostrum hoc ipsum verbum aërem vel cælum designat.

166 *Clausus .... undique ponto*] Mare vicissim claudi terris affirmat Lucret. I. 999. 'Terra mare, et contra mare terras terminat omneis.'

170 *Medium totius et imum est*] Variatio generis morari neminem potest, nisi qui indiligenter Auctorem legerit. Videtur subintelligendum pro vocab. quid, ac si dixisset, media et ima totius pars est. Repetitio minime otiosa. Conclusionis locum tenet: eandemque Noster sententiam, qua sibi mire placet, deinceps sæpius iteravit, tanquam quæ ad fundamentum systematis omnino pertineat. Vide infra vs. 179. sq. 201. sqq. et IV. 596. sqq. Varro quoque 'terram mundi mediam' dixit, de L. L. p. m. 69. Neque ullus est, Platonicorum præsertim disciplinæ addictus, auctor, vel Græcus vel Latinus, qui non in eadem sententia versetur. Græcorum quidem hac de re placita prodidit et excussit Barth. l. m. c. Latinorum agmen ducit Cicero, quem vide de Nat. Deor. II. 6. 18. 33. 36. Add. Lucret. V. 535. Tibull. IV. 1. 151. Ovid. Metam. I. 12. et, qui ceteros omnes compilare sategit, Macrob. Saturn. lib. I. 22.

171 *Ictaque contractis, &c.*] Cf. Lucret. I. 1052. II. 97. sq. et alibi. Unde intelligitur Nostrum ad Epicuri dogma sermonem accommodasse. Vult enim ideo terram in medio mundi stabilem consistere, quod cunctæ illius partes præ gravitate sua ita se mutuo quasi ictibus brevibus propulsent; dum ad centrum mundi tendunt, ut ipsæ sese mutuo cohibeant, et impediant ultro citroque abire.

173 *Librato penderet pondere tellus*] Pari modo eam Ovid. Metam. I. 12. 'in spatii medio æquilibratam' dicit. Ceterum ea quæ inde a vs. 159. Noster præcepit, luculentius exponit et confirmat Plinius, amplissimus ille totius naturæ interpres, cujus verba, temperare mihi non possum, quin huc

transferam. Ita vero ille Hist. Nat. II. 5. pr. 'Vitalem hunc (aërem) et per cuncta rerum meabilem, totoque consertum: hujus vi suspensam, cum quarto elemento librari medio spatio tellurem. Ita mutuo complexu diversitatis effici nexum, et levia ponderibus inhiberi, quo minus evolent; contraque gravia, ne ruant, suspendi, levibus in sublimia tendentibus. Sic pari in diversa nisu, in suo quæque consistere, irrequieto mundi ipsius constricta circuitu: quo semper in se currente, imam atque mediam in toto esse terram, eamdemque universi cardine stare pendentem, librantem per quæ pendeat,' &c.

176 *Submersos cursus*] Loquitur Auctor ex veterum, quam constanter servat, opinione, qua solem, lunam, et sidera ad occasum oceano submergi atque ex eodem pariter emergere credebant. Virgil. Georg. II. 481.

Regeret] Supple *non* ex vs. 174. 'Et luna non regere curs.' Sic partic. *ve* pro nec, i. e. et non, infr. vs. 184.

Per inania] I. e. aërem. Stat. Theb. VI. 710. de disco Hippomedontis: 'fugit horrendo per inania saltu.' Noster iterum infra 200. 553. et alibi sæpius. Aliud est 'ipsum quod vocant inane,' quod a latere oceani navigantibus obstare dicit Plin. Hist. Nat. XIX. 1.

180 *Sunt pervia cuncta*] Concludit: Quia tellus in medio sita est, secundum ea quæ demonstrata sunt, ergo omnia sunt pervia. Super subterque terram omnia patent.

183 *Toties . . . nascentem . . . mundum*] Quæ Epicuri talpa cæcioris sententia, qua de vide Rhodig. L. A. XXIV. 13.

189 *Nec tirocinio peccet*] Vix alibi scriptum reperias. *Tirocinio* dictum esse putamus pro infirmitate, imperitia, vel quocunque errore in currendo, quasi nondum satis exercitatæ.

190 *Qui tempora monstrat*] Experientiæ fidem testatur, diem æterna cum luce circumferri. Sol quippe semper lucet, et sibi constans dimidiam terræ partem illustrat.

191 *Orbis*] Genit. casus esse indicat gloss. cod. Lips.

207 *Teretes . . . figuras*] Festo docente, 'teres' est in longum rotundum, qualiter 'teretes truncos' dicit Virgil. Æn. VI. 207. Horatio autem Serm. II. 7. 86. eleganti figura homo æquabilis et quasi ex omni parte bonus atque perfectus dicitur 'in se ipso totus teres atque rotundus.' Noster videtur h. l. metri causa, *teres* pro rotundus scripsisse, quemadmodum infra quoque vs. 230. et III. 326. Similiter Lucret. qui V. 801. cicadas, ait, æstate linquere 'teretes folliculos,' i. e. rotundas gracilesque tuniculas. Rotundam vero stellarum figuram Macrob. disertis asserit verbis, in Somn. Scip. I. 14.

209 *Tumido corpore*] In quo Maronem Noster imitatus, qui Georg. II. 324. 'Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt.' Ibi enim *tument* a virginibus ductum, quarum habitus, plena pubertate, viro maturus est, toto veluti corpore tumescente, præsertim pectore et mammis. Hoc 'plenam maturitatem' dixit Petronius. Et eleganter Statius Theb. II. 204. 'tumida virginitate' jugari. Itaque luna 'corpore tumido' esse dicitur, ubi eo est versus solem habitu situque, ut plenos ac directos ejus radios concipere gaudeat, quod fit in plenilunio. Ad rem omnino faciunt, quæ Plin. tradit Hist. Nat. II. 13. ubi, 'Certum est,' inquit, 'solis defectum non nisi in novissima primave fieri luna, quod vocant coitum: lunæ autem non nisi plena, semperque citra quam proxime fuit.' Epithalamium lunæ dictum habes apud Martian. lib. IX. p. m. 305.

210 *Obliquos totus non accipit ignes*] I. e. luna non obliquos sed directos solis radios accipit: quod secus fit in

luna nascente, eademque per phases adolescente, ceu loquitur Macrob. in Somn. I. 6.

211 *Divisque simillima forma*] Cum mundum voluerunt, Stoici præsertim, esse ipsum Deum; consequens erat, ut ipsi rotundam, ceu omni numero perfectam, figuram tribuerent. Proinde divinus et ipse Plato, cum de τἀγαθῷ loqui esset animatus, dicere quid sit ausus non est; solum vero ei simillimum de visibilibus solem reperit, et per ejus similitudinem viam sermoni suo, attollens se ad non comprehendenda, patefecit: Macrob. Somn. I. 2. Hinc explicandus Seneca, qui de Stoico: 'Quomodo potest rotundus esse, ut inquit Varro, sine capite, sine præputio?'

Mundoque] I. e. cælo, uti vs. 206.

216 *Canopum*] Est fulgida stella, 'sidus clarum et amplissimum' Solino c. 56. in gubernaculo austrino navis Argus. Ita omnes veteres, præter Hyginum, qui τὸν ἔσχατον τοῦ ποταμοῦ canopum vocatum scribit. Et idem capella ab Hygino mutuatus. Quod autem dicit Noster, canopum non conspici, donec perventum sit in Ægyptum per pontum, ex situ Romæ intelligendum, et quoad in ceteris peccavit, corrigendus ex Solino l. c. et Plin. Hist. Nat. II. 70.

218 *Helicen*] I. e. ursam majorem. *Ursa*, ex fabula apud Hygin. Poët. Astron. II. 1. *Currus*, ex similitudine dicitur. Ἄρκτον et Ἑλίκην Græci septentrionem vocant. Vitruv. IX. 6. *Quærent*] Pro desiderabunt; quippe conspectu ursæ destituti, quorum verticibus imminet canopus.

223 *Non omnes pariter confundis*] I. e. perturbas. Ex eo, quod non uno eodemque tempore, diversis in locis idem est solis et lunæ aliusque sideris ortus et occasus, recte conficitur, nec defectiones lunæ dissitis terræ populis simul apparere. Sed quo propior regio ortui, eo citius stella refulget; tardius, quod magis ad occasum vergit. Sic etiam luna deficiens. Ex his vero validum pro terræ rotunditate argumentum ducere Auctor sibi videtur, quod pluribus persequitur deinceps.

225 *Medio polo*] Proprie *polus* est cardo, seu vertex ipsius mundi, axis; a Græco πολεῖν, *vertere*, quod in eo mundus vertatur. Infra vs. 296. sqq. Eadem vero ratione ipsum qua patet cælum Veteres polum dixerunt: quod h. l. accipiendum, ut sint medio subjecta polo, quæ sub medio cælo.

226 *Ultima*] Hoc *ultima*, et quæ præcedunt, *non pariter, prius, post*, si de veris lunæ laboribus interpreteris, et tibi sunt caute accipienda. Neque enim ita diurni illi sunt, ut unam aut alteram et amplius horam superent. Verum, si de menstruis duntaxat lunæ defectibus, seu potius mutationibus crescentis et decrescentis lunæ precederet argumentum, multo sane validius foret.

Infectis volveris alis] I. e. ita ferris ad populos occidentales, quasi obducta tenebris volites, dum lumen amittis.

227 *Quatiuntur æra*] Hæc æra 'lunæ auxiliaria' audiunt vidiq. Nimirum lunæ laboranti s. deficienti æris clangore, tubarum sonitu, vociferatione, &c. succurrendum superstitiosa putavit antiquitas; ne carmine veneficarum sollicitata, malo afficeretur et deduceretur. Quæ ridens suo more Juvenalis, fusius simul exponit Sat. VI. 441. sqq.

239 *Sub pedibusque jacet nostris*] Quemadmodum, inquit, Arctoi populi superiores esse sibi videntur, infra se vero habere Antarcticas gentes: sic hæ nobis superiores se esse putant, terræ rotunditate utrosque fallente. Hoc Stoicorum assertum, quod figmenti locum vix tum Nostri ætate tuebatur, ridet Lucret. lib. I. 1067. sq. Unde Academicus ille apud Ciceronem lib. IV. Acad. Quæst. 39. 'Nonne,' inquit, 'etiam dicitis esse e

regione nobis, e contraria parte terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos antipodas vocatis? Cur mihi magis succensetis, qui ista non aspernor, quam eis qui, cum audiunt, desipere vos arbitramtur?'

244 *Operum vadimonia*] Est *vadimonium* sponsio quædam comparendi ad diem dictum in judicio. Hinc deduxit illud Poëta ad significandos labores, ad quos, quasi ad diem dictum, sol oriens mortales vocat. Similem fere in modum Virgil. Æneid. XII. 182. sq.

250 *Vis animæ divina regit*] Cf. Virgil. Æneid. VI. 724. sqq. et Cic. de Nat. Deor. II. 6. cujus argumento, ad divinam mundi gubernationem asserendam, iisdem pæne verbis usus est Minuc. Felix in Octav.

259 *Atque alia sidera*] H. e. Quæ portant solem atque alia sidera, sive planetas. Dicuntur autem portare solem, quatenus in iis signis exoritur et volvitur.

262 *Mundi continet arcem*] Sc. aries. Putabant enim, eo die quem mundi esse natalem prædicant, arietis signum media cæli tenuisse. Macrob. Somn. I. 21. Cum igitur in genituris omnibus cælum medium principem habet locum: tum vero ex hoc totius genituræ fundamenta colligunt, præsertim cum stellarum pars maxima, sed et lumina utraque, sol et luna, radios in hoc signo collimarint. Sic Jul. Firmic. III. 2.

265 *Submisso vultu*] Invergit enim taurus caput deorsum, quasi ingeniculatus, et humi procumbens. Unde interpres Ptolemæi κυρτὸν eum vocat, Lucanus 'curvatum.' Alibi Manilio dicitur 'flexus,' item 'nixus.'

268 *Attrahit ardenti*] Libra scorpium dicitur attrahere ideo, quod scorpii dodecatemorion in libra finitur atque absolvitur. Nam ejus chelæ partem libræ occupant. Unde chelarum nomine etiam libra intelligitur tam apud Nostrum, quam apud alios scriptores.

270 *Mixtus equo*] Sagittarius, cujus pars superior est humana, posterior equina. De hoc Noster iterum II. 170. sqq.

273 *Piscibus*] Horum alter vertit quidem os ad oram amphoræ, sed aquas non excipit: alter autem vertitur ore ad dorsum Andromedæ, ante caput arietis. Unde ambo junguntur cauda. Unus autem piscis, notius ille, de quo infra vs. 445. aquas aquarii subit.

284 *Nec norunt obitus*] Idem Virgil. Georg. I. 246. de Arctis: 'Oceani metuentes æquore tingi.' Et German. vs. 62. sq. 'Oceani tumidis ignotæ fluctibus arctos Semper inoccidui servant ex ignibus axem.'

285 *In diversa sitæ*] Adversis enim dorsis alterutra ursa caput vergit in caudam alterius. Vide infra vs. 310. sq.

Torquent] I. e. in orbem vertunt. Cic. Acad. Quæst. IV. 39. Terra, quæ circum axem se summa celeritate convertat ac torqueat.

287 *Libratumque regit mundum*] *Libratum* dicit mundum, quasi æquilibratum, dum hæc columna aërea circumfusa ipsi corpora ita continet, ne alia ob innatam levitatem sursum abeant; alia sustinet vicissim, ne ruant ob insitam gravitatem.

Diverso cardine] I. e. binis polis, e diverso sibi oppositis. Dicuntur *cardines*, quia quasi illis innixa mundi moles, tanquam janua in suis cardinibus, volvitur.

293 *Quod onus ferat ætheris alti*] Hoc *quod* omnino pro ut positum. Ideo, dicit, non esse axem onere gravem, quia alti ætheris onus ei ferendum non est. Sin aliter statueris, et geri mundum ab axi putaveris, equidem vehementer vereor, ut axis loco columnam Atlanteam satis firmam figurare tibi possis. Ovid. Met. II. 296. 'Atlas en ipse laborat: Vixque suis humeris candentem sustinet axem.'

297 *Convertere in orbem*] Et hic nos deserunt interpretes, qui idem vs. præced. a Poëta, vel ab ipsis potius, dictum existimant. 'Αλλ' *οὐκ* 'Ατρείδῃ κλ. *Convertere se in orbem* purissime simplicissimeque dictum pro mutare se in globum convolvendo, contrahendo, conglomerando se, vel quo alio cunque modo id fieri possit. Ex quibus consequitur, ut axis omnis omnino mutationis expers, nunquam usu tritus, semper perduret, atque sibi per omnia similis perstet.

307 *Quam spatio tam luce*] Elegans transpositio particularum, quam firmat cod. Lips. Dicit autem hæc de ursa minore, quia neque tam late patet, aut tam magnum peragit circulum, quam ursa major. Illa enim polo proximior; neque etiam stellas habet ejusdem differentiæ. Cf. mod. supr. vs. 304. et Cic. in Arateis, de Nat. Deor. II. 41.

Judice vincit Majorem Tyrio] I. e. superat dignitate ursam majorem judicio Tyriorum et Sidoniorum, quibus cynosuræ sidus inter navigandum præcipue observatur. Vid. Cicero ubi modo supra. Quod autem mox de Pœnis Noster, idem de Sidoniis, insignioribus Phœniciæ populis, scribit German. vs. 41. et Ovid. Fast. III. 107.

310 *Nec paribus ... frontibus*] Non hæc nostris potius, quam Vitruvii verbis interpretemur, qui lib. IX. 6. ita de arctis: 'Capita earum inter se despicientia sunt constituta; caudæ capitibus earum adversæ contraque dispositæ figurantur.'

315 *Mediumque orbem*] Draconem inter et zodiacum, qui in medio cælo est.

Sidera septem] I. e. planetæ, qui vix zodiaci fines egrediuntur. De his Plin. H. N. II. 6. 'Inter hanc (tellurem) cælumque eodem spiritu pendent, certis discreta spatiis, septem sidera, quæ ab incessu vocamus errantia; quum errent nulla minus illis.' Ceterum pro *septem* alii *quinque*. Sic German. vs. 434. Hygin. Poet. Astronom. II. 42.

319 *Quia dissimilis .... temperat aër*] Inter polum mundi, inquit Auctor, et zodiacum astra interjacent, poli et zodiaci viribus, frigore nempe et calore mista. Quæ quoniam temperat æther ille sui dissimilis, utpote diversarum qualitatum, æstus et algoris particeps, propterea infimum hunc orbem fecundum et frugiferum efficit.

322 *Nixa venit species genibus*] An Hercules, an alius quispiam? Hygin. Poët. Astronom. II. 6. 'Non illi nomen,' German. vs. 66. Dicitur autem 'Engonasi,' 'Ingeniculus,' 'Nixus,' &c. Nostro aliisque.

Sibi conscia causæ] Fest. Avien. 'cujus latuit quoque causa laboris.' German. item vs. 66. 'non magni causa laboris.'

325 *Arcturumque*] Unicam arctophylacis stellam, mediam genuorum custodis arcti, quæ arcturus dicitur: ita legendum apud Vitruv. IX. 6.

Medio sub pectore] Immo vero infra ventrem, subter zonam bubulci.

326 *Parte ex alia ... volat*] Scriptum videtur *alia* pro altera. Situm rectius describit Vitruv. l. c. his: 'Inter humeros custodis et geniculati corona est ornata:' leg. *ordinata*.

327 *Mundi revolubilis*] Pro, revolventis. Sic 'glomerabilis,' supra not. ad vs. 221. 'penetrabile frigus,' pro penetrans, Virgil. Georg. I. 93. Vicissim quoque volvens pro volubilis poëtarum est. Vid. Serv. ad Æneid. II. 37.

343 *Semper erit paribus bellum*] Epiphonema, elegantissimo Nostri ingenio minime indignum. Videtur sane ex superioribus sponte natum, non arte factum. Sensus autem non e trivio, sed a gladiatoribus, qui componi solebant, repetendus. Solenne præ ceteris Papinio, ubi de tali congressu agitur, 'parem' pro adversa-

rio ponere. Et Liv. eodem sensu XXVIII. 44. 'Habebo, Q. Fabi, parem, quem das, Annibalem.' Vid. Gronov. ad loc. Itaque, ex Nostri sententia, Semper erit paribus ophiucho et serpenti, hostiliter erga se invicem animatis, bellum, quia viribus æquant sc. se, i. e. æquo Marte pugnant.

356 *Pectus fulgenti sidere clarus*] Hoc *pectus* quarto casu Græca elegantia positum, omissa præposit. κατά. *fulgenti sidere* s. stella illa majoris magnitudinis, quæ Pegaso et Andromedæ, quam contingit, communis est. Hinc statim subjicit:

357 *Et finitur in Andromeda*] Eadem enim stella et umbilicus Pegasi et Andromedæ caput appellatur. Hygin. Poët. Astron. III. 10.

362 *In pœnas signata suas*] Quæ omnino ad Cassiepiam spectant. Expansis enim adhuc brachiis figuratur, sedens in siliquastro: Hygin. Poët. Astron. III. 9. Add. German. vs. 198. sqq.

366 sq. *Fugiendaque Gorgonis ora sustineat*] I. e. ostendat, opponat. Glossator cod. Lips. 'Contra se teneat, quasi scutum.' *Fugienda*] Supple, olim.

372 *Claudentes sidere pontum*] *Sidus*, pro tempestate, quæ sidus istud comitari solet. Non aliter hæc verba intellexit glossator cod. Lips. qui addit, 'quia gravissimas efficiunt tempestates.' Oriuntur enim hœdi cum scorpio, mense Octobri. Conf. German. vs. 168. sqq.

378 *Pars utraque tauri*] I. e. utraque signa sunt pars tauri.

379 *Aquilonia signa*] Quibus addi possent duo illa extantiora, coma Berenices et equuleus. Illa ad caudam leonis sita est, supra virginem, a tergo Bootæ: hic jacet sub capite Pegasi, h. e. caput equulei lucet ante caput Pegasi, reliquum vero corporis ejus latet sub Pegaso. Hunc autem Noster descripsit vs. 355. sq. Illam, sicut et canopum, in Italia non conspici, tradit Plin. Hist. Nat. II. 71. si modo hæc est coma, quam ille crinem Berenices salutat. Quod si ita est, facile intelliges, cur horum siderum mentionem Noster fecerit nullam.

387 *Diversasque umbras*] Sc. a nostris. Meridionales enim populi sunt nobis antiscii, eorumque ita nobis sunt oppositæ umbræ, 'ut per aquas quæ nunc rerum simulacra videmus:' Lucret. I. 1059.

Lævaque cadentia signa] Quia versus septentrionem conversis sol a dextra oritur. Hinc illis quoque sidera occidunt ad sinistram, nobis ad dextram, qui austrum spectamus cælo verso, i. e. inverso.

391 sqq. *Uno vincuntur in astro...Cæsar, &c.*] Sidus innuit, quod Augusti tempore, inque ejus honorem, 'Cæsaris thronos' cognominatum est. Auctor Plinius Hist. Nat. III. 71.

393 *Cælo maximus auctor*] I. e. cælicolas olim maximum in modum aucturus et illustraturus.

394 *Oriona*] De hoc vide Strabonem lib. X. p. m. 446. pr. et quæ notavit Barth. ad Stat. Silv. I. 1. 45. Incipit autem Noster ab orione, quod hic e regione adversus est ursæ, a qua ad illum recta linea. Hinc infra vs. 509. 'Arctos et orion adversis frontibus ibant.'

401 *Quod magis alta recedant*] I. e. cum illæ stellæ in vultu orionis a terra altius assurgunt, fit inde, ut minores appareant iis, quæ sunt nobis propiores.

404 *Violentius astrum*] Nam caniculæ exortu accendi solis vapores quis ignorat? Cujus sideris effectus amplissimi in terra sentiuntur. Fervent maria exoriente eo, fluctuant in cellis vina, moventur stagna. Canes quidem toto eo spatio maxime in rabiem agi, non est dubium: Plin. H. N. II. 40.

407 *Nec vacuum, &c.*] Ms. Lips.

Hæc, sc. canicula, vacuum solis fulgentem deserit orbem, i. e. sole jam regresso, vel summo frigore occidit.

414 *Magna fides hoc posse, color, &c.*] Sensus est: Color et motus illius stellæ canicularis, scintillantis in radios, magnam fidem faciunt, illam hoc posse.

415 *Vix sole minor*] Scil. non ratione tantum caloris et cursus, verum etiam luminis micantis in radios, quæ sane ad firmandam augendamque fidem plurimum faciunt. Et ista quidem ex mente Manilii, quo longe saniora docuit Geminus ille Rhodius, Proclo persæpe laudatus, qui diserte concludit, caniculam non esse æstuum causam, sed signum et argumentum, quo utuntur homines, namque tunc calores vehementes cieri, quum illud sidus cum sole oritur, non autem propterea quod cum sole oritur. Vide Petavii Uranolog. II. 10.

Nisi quod procul hærens] Et hoc ex vulgi ratione dictum. Ait enim, caniculam claritate vix soli cessuram, nisi haberet stellas quasdam remotiores. Sed hæc in Poëta naturæ minus accurate conscio, ad unguem exigenda non sunt.

424 *Et Phœbo sacer ales*] I. e. corvus, de quo longa fabula apud Hygin. Poët. Astron. II. 40.

429 *Cum Di quoque*] Doct. Tibulli interpres lib. II. 3. 26. et Fayus, *Tunc Dii quoque, &c.* Frustra vero ille ex h. l. firmare conatur eam, quam formavit hujus *quærere* notionem. Ait enim, usurpari vocem in re cujus pristinus flos ita concidit, ut omnino perisse videretur, ac proinde solicite quæsitum vix, aut ne vix quidem reperiri. Quæ quidem, tametsi enucleate disputata, cuivis tamen alii loco potius, quam nostro conveniunt. Qui enim dicere Manilius potuit, *Deos quæsivisse Deos, quasi amissos?* Sed *quæsiverunt* h. l. valet, quod imploraverunt auxilium, invocarunt. Sic infra vs. 914. 'in ponto quæsitus rector Olympi.'

435 *Rupta matre*] I. e. terra. *Permixtaque corpora*] Pro permixto corpore. Pars enim illorum posterior desinebat in serpentem; superior hominis fuit. Vide Ovid. Fast. v. 35. sqq.

Arctosque latentes] I. e. polum antarcticum, qui nobis latet, non conspicitur. *Arctos* etiam, in plurali numero, polum significare, supra monitum suo loco.

454 sqq. *Ultima quæ mundo, &c.*] Sensus: Ultimæ partes mundi, polarem versus et ipsum polum antarcticum, referunt speciem mundi nostri, seu hæmisphærii borealis. Eadem est analogia.

455 *Cæli templa*] Per *templum* Noster hic et deinceps sæpius intelligit arcum aliquem cæli, uti II. 668. Varro autem docet 'templum' tribus modis dici, ab natura, ab auspiciis, ab similitudine. Natura, in cælo, ut in Hecuba: 'O magna templa cæli tum commixta stellis splendidis.' Sic ceteras quoque species L. L. auctor exemplis illustrat. p. m. 66. Quibus addere possis, 'templum' etiam sepulcrum dici auctoritate veterum. Exemplo Virgil. Æn. IV. 457. 'Præterea, fuit in tectis de marmore templum Conjugis antiqui,' &c. Vide Non. Marc. p. m. 225.

460 *Credimus exemplo*] Colligimus, inquit, exemplo vel paritatis subducta ratione, id cælum, quod sidera vertit, quæ in nostrum conspectum non veniunt, tam simili cardine fultum esse, quam nostrum. Polum antarcticum non videmus. Sed in absoluto globo ratio in altera parte analoga colligit quod in una.

484 *Natalesque suos, &c.*] I. e. statas vices servant: ut quotannis possis eas eodem ordine observare.

486 *Quam ratio, &c.*] Vide supra ad vs. 63. et Vulp. ad Catull. Carm. LXV.

492 *Atque ipsum esse Deum*] De

hoc Stoicorum dicto vide Cic. in IV. Acad. Quæst. Plutarch. de Plac. Philos. I. c. 8. et 7. Seneca Nat. Quæst. II. 45. ait: 'Vis Deum mundum vocare? Non falleris.' Et Cato apud Lucan. lib. IX. 'Jupiter est quodcunque vides, quodcunque movetur.'

493 *Qui primus*] Democritus, vel, qui eum secutus est, Epicurus. Uterque enim docuit, cælum et terram cunctaque casu fortuito ac temerario concursu atomorum orta; eademque omnia forte magistra regi, sine Deorum opera.

494 *Seminibus struxit minimis*] Materiem et genitalia corpora rebus et semina rerum appellare suemus, et hæc eadem corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis: Lucret. I. 58. sqq. Conf. Cicero Acad. Quæst. I. 7.

501 *Fors ipsa gubernet*] *Fors gubernet*, si possit, ea scilicet constantia, eo ordine, ea sapienti ratione, qua nunc gubernatur. *Fors* casus est, quo fortuito ac temerario omnia creari voluit Epicurus. *Sors* autem, quod ab imperitis librariis sæpius cum illo commutatum, pre fato usurpatur, cui omnia dedit Chrysippus.

528 *Idem semper erit*] Omnia hæc quæ de summo ad lunam usque perveniunt, sacra, incorrupta, divina sunt: quia in ipsis est æther semper idem, nec unquam recipiens inæqualem varietatis æstum: Macrob. Somn. I. 21.

542 *Claustra*] I. e. fortissima quævis obstacula, qualia sunt repagula et seræ, quibus ostium occluditur. Catull. carm. LX. 76. Lucret. II. 450. Stat. Theb. VI. 399. Figurate Nili ostia 'claustra' dicuntur Petronio: 'Et Libyæ cerno tua, Nile, gementia claustra,' quæ notanter dicit 'gementia,' quia Nilus Libyæ gemit, utpote consors ipsius damnorum.

544 sq. *Nam quantum a terris, &c.*] Universum consideratur tanquam sphæra, in cujus superficie signa zodiaci conspiciuntur. Hæc idcirco a terra integro sphæræ radio distant. Radius autem circuli, in peripheriam translatus, fit subtensa vel chorda sextæ gyri partis, in qua duo zodiaci signa versantur.

548 sq. *Summum ... cælum bis bina, &c.*] Duo hujus diametri puncta extrema summum atque imum cæli referunt, quorum distantia diametro ipsa exprimitur, vel tertia circiter peripheriæ parte. Hinc *summum cæli ab imo bis binis*, i. e. quatuor signis resurgit, i. e. distat.

550 sq. *Sed quia ... et imo*] I. e. terra autem quaquaversum universi centrum præbet, vel in medio diametri sita est: hinc tam summum quam imum cæli a tellure radio distat, cui in peripheria duo signa conveniunt.

554 sq. *Sex tanta rotundæ Efficiunt orbem zonæ*] I. e. Sex lineæ rectæ ejusdem magnitudinis (h. e. tanta) cum radio sphæræ, duorum signorum spatium comprehendente, efficiunt orbem vel peripheriam zonæ rotundæ, quam zodiacum vocamus.

556 *Æquali spatio*] I. e. in qua zona rotunda duodecim signa æqualia feruntur, quæ integrum zodiacum conficiunt. Cf. supra vs. 275.

563 *Signorum*] Non unius zodiaci tantum, sed omnium cæli siderum, per quæ varii fines ac circuli delineantur.

565 *Sexque ... partes*] Explicat hæc Hyginus Poët. Astron. I. 6. ubi omnem circulorum rationem ad Eudoxi, quæ sola tum obtinebat, supputationem exponens, de polari arctico hæc præcipit: 'In 30. partes unum quodque hæmisphærium dividitur, ita ut dimensio significari videatur in tota sphæra per 60. partes factas. Deinde ab eodem principio boreo sex partibus ex utraque finitione sumptis, circulus dicitur, cujus centrum ipse est polus finitus, qui circulus arcticus appellatur,' &c.

566 *Alter*] Tropicus cancri. *Ad*

extremi ... cancri] Denotat hoc *extremus* utrumque, tam initialem quam finalem rei terminum. Ille h. l. intelligendus. Sol enim revertitur, ubi primum cancri initialem gradum est ingressus.

568 *Tardaque lumina*] I. e. æstiva, quæ tardius eunt in noctem. Virgil. Georg. I. 32. 'Anne novum tardis sidus te mensibus addas.' Eidem 'brumales noctes,' quod longiores, dicuntur 'tardæ' Georg. II. 48.

572 *Tertius in media, &c.*] Circulus æquinoctialis s. æquator; sic dictus, quia sol, ubi in eo decurrit, noctes æquat diebus, et, uti Noster mox vs. 576. 'Componit paribus numeris noctemque diemque.'

577 *Quattuor et gradibus*] De XV. enim gradibus s. partibus, in quas sectus est circulus, arcticus aufert VI. tropicus V. ergo reliquæ sunt IV. Tanta erat tunc ab æquinoctiali solis maxima declinatio, quæ quidem hodie deprehenditur minor grad. 23. 30′.

Ab æstu] I. e. ab æstivo circulo, s. tropico cancri. Vide iterum Hygin. I. 6.

580 *Gaudens*] Describit his verbis tropicum capricorni, qui brumalis et hibernus dicitur, eo quod brumale notat solstitium, quod in primum capricorni gradum incidit.

586 *Bisque jacet binis*] Tropicus enim brumalis æque ac æstivus in octo partes æquales dividitur, quarum quatuor, ceu Nostro videtur, infra terram habet. Achilles vero Tatius Arati Phænomena illustrans, hunc tropicum dicit de octo illis partibus quinque infra terram, tres vero supra eam habere. Quanto igitur clima Arateum s. Macedonicum differt a Rhodiaco vel alio quoquam Græco, tantum Noster discedere ab Tatio videtur, ubi quatuor gradus supra terram, totidemque infra eam esse dicit. Mire autem hi scriptores variant in cœli positu et certa οἰκήσει finienda. Sæpe etiam Macedonicum parallelum cum Rhodio permiscent, et cum utroque Græcum s. Atticum. Quam quidem inconstantiam, et in Tatio numerorum fallaciam, dudum notavit accuratus istarum rerum scrutator Petavius, quem vide in Not. ad Gemin. p. III. 106.

594 *Quinque fines*] I. e. circulos parallelos, *signantes tempora*] sc. moras solis longiores aut breviores, diurnas æque ac nocturnas horas.

596 *Comitantia*] Utpote quæ eandem cum cœlo conversionem habent.

601 *Sunt duo*] Coluri solstitiorum alter, alter æquinoctiorum; qui per polos æquatoris et puncta ecliptices cardinalia ducti, ad designanda quatuor anni tempora insignem usum præstant.

602 sq. *Inter se adversi, &c.*] A polo enim ad polum per rectum axem se mutuo intersecant: alios vero parallelos quinque bis uterque secat. *Colurus solstitiorum* signat duo solstitialia puncta cancri et capricorni; alter æquinoctiorum notat duo æquinoctialia puncta arietis et libræ, quæ quatuor puncta cardinalia dicuntur.

606 *Quattuor in partes*] Duodecim quippe zodiaci signa quatuor in æquas partes a coluris distribuuntur, quarum quæque pars est trium signorum, quibus totidem menses respondent.

607 *Alter ab excelso, &c.*] His novem versibus colurum æquinoctiorum describit, qui per polos mundi et puncta æquinoctialia progreditur, multa interim signa intersecans, non autem per polos zodiaci.

608 *Siccas Arctos*] Ita dictæ, quod oceano nunquam tinguntur. *Cf.* locum Maronis supra ad vs. 384. citatum.

609 *Juga chelarum*] I. e. libræ, per cujus initium transit colurus æquinoctiorum. *Chelas* autem seu brachia scorpionis pro libra poni, jam ante monitum ad vs. 268. *Cf.* pluribus Serv. ad Virgil. Georg. I. 33. et, qui

eum castigavit, Petav. in Dissertat. Uranologio subjunctis II. 3. fin.

618 *Quam . . . primam, &c.*] Hæc addit ad signandam Helicen, 'quæ,' ut ait scholiastes Germanici, 'apparet prima noctis.'

620 *Et geminis cancrum dirimit*] Transit enim inter ultimum geminorum gradum, et primum cancri. Non autem sidus ac figuram geminorum a sidere et figura cancri dirimit. Allabitur tantum ad pedes geminorum.

622 *Axem occultum*] Τὸν ἀφανῆ πόλον Hipparch. l. c. quo nomine 'polus antarcticus' utrique scriptori venit.

Gyri signa prioris] I. e. coluri æquinoctiorum, quem utpote medium intersecat.

624 *Tuisque aquilam designat ab astris*] I. e. postquam designavit stellas tuas, o capricorne, longe supra a te designat et tangit sidus aquilæ: nimirum stringit caudam illius. Aquila autem videtur quasi volitare super capricornum, adversis cervicibus.

Advertendum, falsa esse maximam partem, quæ de finitionibus colurorum Nostro dicta sunt hactenus. Videtur sane, ipsum errare maluisse cum Eudoxo suo, quam eundem deserendo gravius peccare. Multa in illo tentavit Hipparchus: longe plura in utroque castigando præstitit Petavius, quem operæ pretium est videre ad loc. Hipparchi supra citatum.

631 *Hos volucres fecere duos*] De meridiano et horizonte nunc agere incipit. *Volucres* pro mobiles, mutabiles, uti supra vs. 200. lunam et stellas 'volitare' dixit. Virgil. 'volucrem' Hebrum, fluvium ceteroquin quietissimum, notante Servio ad loc. Æneid. I. 321.

633 *Sextamque examinat horam*] I. e. notat meridiem diei artificialis; unde *meridianus* vocatur.

640 *Volat hora*] Q. d. mutabilis est hora sexta s. meridiana. Sic modo supra: 'Hos volucres fecere duos.' Et infra vs. 652. de horizonte: 'Hæc quoque per totum volitabit linea cælum.' Ex hoc autem Manilius colligit, meridianum esse mutabilem, quod non eodem tempore sexta hora, seu meridies est ubique terrarum. De meridie enim præcise loquitur, non autem de tempore ortus et occasus; in quo aberrat Salmasius a sententia Auctoris.

642 *Illis sexta manet*] I. e. meridies. *Quos tum premit aureus orbis*] I. e. quorum meridiano sol incubat. Non infrequens hæc notio vocis *premit*, præsertim poëtis: neque tamen ubivis obtinet. Papinio enim dicitur pro fugat, pellit, Achil. I. 242. 'Jam premit astra dies, humilisque ex æquore Titan Rorantes evolvit equos,' &c. Quo autem hunc et seqq. versus recte intelligas, tenendum est, Poëtam tractum illum terrarum, et οἴκησιν ubi tum degebat, velut in medio ponere; et quæ utrinque distant ab eo loco gradibus longitudinis 90. sive horarum sex intervallo, cum habitatione sua conferre. Qui ad ortum siti sunt, hos Eoos appellat; qui ad occasum, Hesperios. Igitur cum primum sol nobis oritur, inquit, Eois illis, qui nonaginta gradibus distant orientem versus a meridiano nostro, meridies est. Rursus circa Hesperios, qui tantundem a nobis occidentem versus dissiti sunt, sexta est hora, quando sol nobis conditur, et infra horizontem nostrum cadit. Nos, ait, duplicem hanc sextam non pro sexta habemus, nec ita appellamus: sed priorem vocamus primam horam diei: posteriorem, summam et ultimam.

644 *Nos primam ac summam sextam numeramus utramque*] Ordo et sensus: Nos medii sextam utramque, illam Eoorum, hanc Hesperiorum, numeramus primam et summam: primam, cum Eois sexta est; summam, sexta est cum Hesperiis. Magnæ de hoc

loco lites inter viros cetera maximos exortæ sunt; quas cum ipsis sepultas esse cupimus. *Bent.*

645 *Et gelidum extremo, &c.*] I. e. prima et summa diei hora, in ortu nimirum et occasu solis, gelidum lumen ab extremis mundi partibus, oriente et occidente, sentimus: quum tamen utramque horam, qua sol gelidior nobis esse solet, alii atque alii, pro diversa cœli inclinatione, sextam numerent, quo tempore flagrantissimus est calor.

650 *Redditque aut recipit*] Scil. reddit orientia, recipit occidentia. Sic 'recipitque refertque' II. 957.

651 *Transversum mundum*] Quasi dicat, cœlum et terram circumquaque finitori obversam, vel totam sphæram mundi, quam æqualiter dividit.

652 *Hæc quoque per totum volitabit linea cælum*] Ergo non de horizonte sensibili loquitur Poëta, sed de λόγῳ θεωρητῷ, qui pariter ac meridianus est circulus maximus, sed variabilis ac mutabilis: unde *volitare lineam* vel circulum hunc dicit, quemadmodum supra vs. 631. 'Hos volucres,' i. e. mobiles, 'fecere duos.'

Mediumq. repente orbem] I. e. totam sphæram medio tenus secat, cum positus ejus est parallelus. *Repente* idem ac simul, e vestigio.

654 *Nunc septem ad stellas*] Quas septentriones vocant. Varro de L. L. VI. p. 77. Respicit autem his verbis positum sphæræ rectum.

Nunc mota sub astra] Sic dicta putamus sidera, quæ supra vel infra horizontem se movent. Quo ipso positum sphæræ obliquum breviter eleganterque designat.

661 *Hic terrestris erit orbis*] Ita hæc conjunctim legenda. *Orbis*, i. e. circulus, qui solus in terra describitur; ceteri in cælo.

662 *Et plano limite*] Quia horizon in plano circulum describit.

664 *Obliquos adversaque fila trahentes*] Zodiacum innuit et circulum lacteum: quorum hic illum obliquæ circumflexionis occursu ambiendo ita amplectitur, ut eum, qua duo tropica signa, capricornus et cancer, feruntur, intersecet: Macrob. Saturn. I. 12.

668 *Et quinque adverso, &c.*] Reliquos, præter solem et lunam, planetas notat. Videsis quæ supra ad vs. 15. et 315. diximus.

670 *Hunc tenet a summo cancer*] Recedit enim ab æquatore zodiacus grad. 23½. ad septentrionem: qua parte, quia septentrio sublimior cæli pars creditur, summa quoque pars est zodiaci, quæ ad ipsum cancrum pervenit.

Capricornus ab imo] Pars zodiaci infima dicitur, quæ ad capricornum delabitur versus austrum. Ita enim zodiacus oblique statuitur, ut pars ejus media sublimior ab æquatore ad polum antarcticum declinet, pertineatque hinc ad capricornum, illinc ad cancrum, intersecetque bis æquatorem, semel in principio arietis, iterum in principio libræ.

672 *Per tres gyros*] Per æquatorem scilicet, et duos tropicos. Cf. infra vs. 697.

680 *Bis sex latescit fascia partes*] Latitudo zodiaci vulgo est 12. grad. quia veteres animadverterunt, solem et lunam et planetas alios recedere tantum 6. grad. hinc inde ab ecliptica. Recentiores vero latitudinem ejus fecerunt 16. grad. quia observarunt, planetas, saltem Martem et Venerem ab ecliptica hinc inde 8. gradibus recedere.

697 *Tresque secat medios gyros*] Scil. duos tropicos et æquatorem, qui medii sunt cæli circuli: horum quemque lacteus bis secat, uti videre est in globo astronom.

699 *Nec quærendus erit, &c.*] Circulus enim lacteus solus ex omnibus subjectus est oculis: ceteris circulis magis cogitatione, quam visu comprehendendis: Macrob. Somn. I. 15.

715 *Inquiruntque*] Ex vs. 719. supple mortales, quorum personam induere videtur Auctor, ut causam quam deinceps proditurus est, aliorum ridere nomine possit.

Sacras causas] Ironice dictum. Cf. mox vs. 719. 'Sacrum enim proprie dicitur, quicquid est quod Deorum habetur,' auctore Trebatio apud Macrob. Saturn. III. 3. pr.

716 *Compagine rimæ*] Recenset sententiam Theophrasti, qui teste Macrobio Somn. I. 15. 'Lacteum circulum dixit esse compagem, qua de duobus hemisphæriis cœli sphæra solidata est; et ubi oræ utrinque convenerant, notabilem claritatem videri.' Cæterorum philosophorum hac de re sententias legat ibidem, cui lubet et vacat. Ex hac autem compage veteres illi ruinam mundi inchoandam crediderunt, aut metuerunt: sive quia male conveniant extrema cœli, vs. 719. sq. sive quia manifesta cicatrix vulnera renovare videatur vs. 723. sive quia circulus ille lacteus condensatus et in nebulam aëream coactus videatur quasi cuneus agi in ipsa cœli fundamina, quo scindantur, vs. 725. sq.

725 *In cuneos cogat fundamina cœli*] Dictum per hypallagen pro, cogat cuneos in fundamina cœli. Sic Virgil. Æn. XII. 204. 'Si non tellurem effundat in undas:' pro, effundat undas in tellurem. Sensus itaque verborum inde a vs. 719. continuatus huc redit: Quid? quasi non timere homines debeant, an apte coëat cœlum, aut circulus ille lacteus, stipatus et coactus in nebulam aëriam, cogat cuneos in fundamina cœli, i. e. num findat, instar cunei, cœlos medios, unde ruina totius molis sequatur.

727 *An melius manet, &c.*] His 6 versibus proponit secundam de circulo lacteo opinionem, quam in primis tutatus est Metrodorus, teste Plutarch. Plac. Philos. III. 1. Autumavit enim, hanc aliquando fuisse viam solis, qui diuturno suo ardore stellas ibi ac cœli partem illam inusserit; quique mutata via inter astra, lacteum hunc reliquerit, ut zodiaci fasciam peragraret.

730 *Incoctaque*] Cave credas τὸ in στερητικὸν esse. *Incoctus* idem quod inustus; unde 'mulieres,' auctore Festo, dicuntur 'incoctæ, plus æquo calamistris usæ' (leg. forte ustæ). Silio XVII. 633. 'incocti corpora' Mauri dicuntur solis ardore infuscati. Et Virgil. Georg. III. 307. 'Vellera Tyrios incocta rubores' vocat purpureo colore imbuta.

732 *Mundumq. sepultum*] I. e. cœlum cineribus quasi superfusum.

734 *Phaëthontem*] Tertiam hic lacteæ viæ causam subministrat. Phaëthontis fabulam eleganti carmine exposuit Ovid. Metam. II. pr. Quocum confer, si lubet, Lucian. de Astrol. Tom. II. Opp. p. 367. sq.

741 *Curvisque quadrigis*] Sic vocat equos a recta via deflectentes. Proferat meliora, qui habet.

748 sq. *Fama vulgata vetusta fabula*] Quartam proponit opinionem de via lactea, meris fabulis adscribendam. Finxerunt enim, hanc cœli partem lacteam esse factam vel dictam, ab effusione lactis e sinu Junonis.

752 *Anne magis densa, &c.*] His 3. versibus quintam proponit de lacteo opinionem, quæ Democriti est, qui rem feliciter est assecutus, dum lacteam viam nihil aliud esse conjecit, quam innumeras stellas, brevesque omnes, quæ spisso tractu in unum collectæ, spatiis, quæ angustissima interjacent, opertis, vicinæ sibi undique, et ideo passim diffusæ lucis aspergine continuum juncti luminis corpus ostendunt: Macrob. Somn. I. 15.

756 *An fortes animæ, &c.*] His 45. versibus sextam tradit de lacteo circulo opinionem, et hanc fabularum plenam. Finxerunt quippe veterum multi, esse hunc circulum sedem animarum heroum fortiumque virorum,

quas 'sublimes animas' dixit Virgil. Æneid. VI. 720. Cujus imitatione Nemesianus Ecloga I. 'sublimes animæ cælestia templa Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur.' Quibus postremis Nostrum is respexisse omnino videtur. *Frui* autem ad interemerabilem usum beatæ lenisque vitæ pertinet; nam voluptas quædam et jucunditas eo verbo infertur.

758 *Suum cælum*] Id est, cognatum, principium eorum. Sicut enim solem in terris esse dicere solemus, cujus radius advenit et recedit; ita animorum origo cælestis est, sed lege temporalis hospitalitatis hic exsulat: Macrob. Somn. I. 21.

759 *Æthereos vivunt annos, mundoque fruuntur*] Imitatus est Nemesianus Ecloga I. 40. 'Jam si sublimes animæ cælestia templa Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur.' *Bent.*

765 *Auroræque nigrum partum*] Puta Memnonem, Auroræ filium, quem *nigrum* vocat Poëta, quia Æthiops et Æthiopum rex fuit.

772 *Et qui fabricaverat illum*] Socrates, qui Platonem ad omnem doctrinam formavit, uti Albinovanus opus Cæsaris Brutum, a Cæsare informatum, 'Et magnum magni Cæsaris illud opus.'

777 *Scævola trunco Nobilior*] Vide dicta ad lib. IV. 81.

781 *Qui gestat in alite Phœbum*] H. e. qui Phœbo sacer ales est, uti supra vs. 424. et in cælo locatus in alitis forma Deum intus gestat.

782 *Et Jove qui meruit, &c.*] Asseruit Camillus *Jovem*, h. e. Capitolium a Gallis. Eundem recte conditorem Romæ vocat, qui alter Romulus vulgo dictus. De hoc Eutropius lib. I. extremo: 'Ita tertio triumphans urbem ingressus est, et, appellatus secundus Romulus, quasi et ipse patriæ conditor.'

Et Jove qui meruit] Ita Silius XIV. 683. Marcellus, captis Syracusis, 'servando condidit urbem.' Camillus Jove, hoc est, Capitolio, servando cælum meruit. *Bent.*

796 sq. *Venerisque proles Julia*] I. e. Julius Cæsar, qui ab Julo Æneæ filio ex Venere satus dicebatur. Virgil. Æneid. I. 29. sqq. Lucret. initio carminis. Idem vero Cæsar inter astra relatus, quod ignotum nemini. Unde Horat. Carm. I. 12. 'micat inter omnes Julium sidus, velut inter ignes Luna minores.' Adde Virgil. Ecl. IX. et Æneid. VIII. 681.

848 *Hirta figurantes, &c.*] Quæ novam iterum speciem consignant. Fiunt et *hirti* villorum specie, et nube aliqua circumdati: Plin. l. c.

852 *Ætnamq. minantur Olympo*] Supple ignes, qui terras penetrant, quique Ætneam flammam erigunt sic adversus cælum, ut oppugnare Olympum atque ab eo timeri possint credi.

867 *Sed trahit*] Rem his quinque versibus præclara comparatione illustrat Manilius. Sicut enim Mercurii aut Veneris planeta modo cernitur, modo subducitur oculis nostris, prout sub radiis solis, aut procul ab illis lucet; ita variæ illæ stellæ per regionem ætheream diversimode discurrentes, modo cernuntur, modo fugiunt oculos, prout magis aut minus accedunt ad solem, aut ab eo recedunt.

882 *Populata colonos*] Hos *colonos* communiter accipiunt pro incolis Athenarum. Neque aliter visum Meursio hunc vs. excitanti in de Reg. Athen. II. 1. Per autem scite observavit doct. Vierschroot ex Polluc. VII. § 132. duo fuisse Athenis loca, *Coloni* dicta, quorum unus equestris, Neptuno sacer, alter juxta templum Ajacis, ubi mercenarii confluebant. Unus intra urbem, alter extra eandem situs erat. Vide Reines. Var. Lect. I. 25. Suidam præprimis et Schol. Aristoph. Ὀρνιθ. vs. 998. Apud Apollodor. III. Biblioth. vocatur *Colonus* Atticæ terræ populique locus, ubi Eumenidum lucus visitur. Qua-

propter omnino putamus, hoc loci scribendum esse, majuscula litera, *Colonos*, quo magis adpareat, illa Nostro loca potissimum indigitari. De his Colonis ex instituto egit, et multa hanc in rem congessit Meurs. de Pop. Att. apud Gronov. tom. IV. Thes. Antiq. Græc.

883 *Per funera pacis*] Memorat hanc pestem Thucyd. II. 9. eamque graphice depingit Lucret. lib. VI. extr. Ad quem Tanaq. Faber præsentem excitans locum, 'neminem,' ait, 'se vidisse, qui intelligeret illa 'funera pacis.'' Quapropter tentavit, *per funera pestis* Athen. In quo quidem frustra est V. D. *Funera* enim *pacis* ea nobis, nec inepte forsan, intelliguntur, quæ pacis tempore fiebant, longe scilicet majori clade a peste, quam ab hoste vel furente accepta.

886 *Cesserat officium morbis*] Scilicet metu contagiosi morbi nemo fuit, qui ægrotis assideret opemque præstaret. Eo sensu hoc *officium* est apud Quinctil. Decl. VIII. 'Fortius feras inter assidentium manus, inter suorum officia labentes.'

913 *Dotali acie*] Scilicet propter Cleopatram, Ægypti reginam, cui Antonius ausus est dotem polliceri imperium Romanum. Hunc respexit vetus Epigrammatista, apud Savaron. ad Sidon. Apollin. Carm. V. p. m. 68. 'Dotalemque petens Romam Cleopatra Canopo, Hinc Capitolino sistra minata Jovi.'

914 *Quæsitus rector Olympi*] Jovem signat Capitolinum, cujus præter Neptuni auxilium imploravere Romani, ut ipsis a femineo Cleopatræ jugo salvis ac liberis esse liceret. De hac, vocis *quæsitus*, notione nonnihil supra ad vs. 480.

921 *Adamanteis Discordia*] Alludit ad Jani templum, quod Augustus, confecto Actiaco bello, tertia et ultima vice clausit. Intus erat Discordia, quæ, belli furor, catenis constricta fingebatur. Virgil. Æneid. I. 297. sqq.

923 *Sit Roma sub illo*] Scil. invicta. Vel, Romani, inquit, semper pareant Augusto.

924 *Cumque Deum cælo dederit*] Augustum nempe, coll. supra vs. 9. Qui non adulatorum stilo tantum, verum etiam in nummis antiquis *Deus* vocatur, quod omnium illi primo Romanorum imperatorum accidit. Sed ne dictum dicere videamur, adi, si velis, Harduin. ad Plin. Hist. Nat. VII. 45. not. 36.

LIBER II.

2 *Et quinquaginta regum regemque patremque*] Is vero non alius quisquam est, nisi toties Homero laudatus ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων, qui communis Græciæ classis dux constitutus, 'regum rex' salutatur Velleio Histor. init. et Tullio IX. ad Fam. 14. Conf. Papin. cit. in Var. Lectt. versui 689. l. IV. sub signo * subjecta. Adde sis Salmas. Exerc. Plin. p. 1222. Quod addit Noster *patremque*, princeps ille vates reddidit ποιμένα λαῶν, quo quidem Nostro consimiliter adfectum notat paternum, qui reges præcipue decet ornatque.

20 *Militiamque soli*] Non id est, quod modo dixit, 'ruris cultus:' sed *militiam* dicit eleganti translatione studium, laborem, arduum licet non tamen ingratum, *soli* scil. inculti ver-

tendi et subigendi. Eadem locutionis venustate usus est infra IV. 145. 'Militiam indicit terris:' coll. Var. Lectt.

32 *Nepam*] I. e. scorpionem. Noster iterum IV. 229. et 356. De nepa Nonius Marcellinus h. v. Usus et Cicero de Fin. V. 15. 42. pr.

43 *Ecce alius pictas volucres*] Æmilius Macer 'Ὀρνιθογονίαν scripsit, quam hic tangit Manilius. Ovid. meminit Trist. IV. 9. et l. II. de Ponto, Epist. 10. ad ipsum Macrum.

44 sq. *Ille venenatos angues, &c.*] Et hæc Æmilium Macrum spectant, qui Theriaca et Botanica Augusti ævo conscripsit.

55 *Durato ore volucres*] Et hæc figurate in poëtastros illos dicta, quos itidem cum avibus comparat Persius in prologo, quæ natura sua humanæ vocis ignaræ, arte tamen eo perducuntur, ut nostra verba conentur.

58 *Nec furtum sed opus veniet*] De plagio se purgat literario: proprium opus daturus, tanquam suæ operæ fructum. Sic de voce *opus* Perott. col. 96. fin. De plagio poëtarum, Nannius l. c. cap. 11. *Solo curru*] I. e. nemine nos ducente vel comitante. Cf. Nostrum infra vs. 138. sq.

121 *Cernere*] Est, meditatione cognoscere, judicioque penetrare. Vide Non. Marcell. h. v.

130 *Ipsa fides*] I. e. ipsa experientia, vel ipsum testimonium, aut rationes et argumenta quæ pollicetur.

141 *Sed cælo noscenda canam*] I. e. Non agam currus, quo alii, sed per ipsum cælum.

151 *Mascula sex sunt*] Nempe, aries, gemini, leo, libra, sagittarius, aquarius.

152 *Diversi totidem generis, &c.*] Nimirum feminini generis putantur esse, quorum primus s. princeps, taurus, cancer, virgo, scorpius, capricornus, pisces. Divisionis hujus rationes tradit Jovian. Pontan. de Reb. Cælest. I. 4.

168 *Nihil exterius mirantur in ipsis*] Pro, in se ipsis. Manilianum. Verba sonant id quod dicimus, nihil alieni habent.

175 sqq. Confer hac Jul. Pontederæ Epist. de Astron. Manil. § IV.

187 *Sub ipso*] Notante Servio ad Æneid. V. 323. idem est ac post ipsum, juxta ipsum.

214 *Aut vicina loco, &c.*] Alternatim enim bina incedunt nocturna et diurna, initio nocturnorum facto a tauro; diurnorum a piscibus. Bene igitur dicuntur *vicina loco*, quia bina incedunt: bene pariter dicuntur 'divisa partibus æquis,' quia alternis bina vicibus distant.

249 *Pigras referentia mentes*] I. e. quæ similia sunt desidiosis et pigris hominibus, quatenus sedent.

275 *Inque vicem*] Pro, et invicem. Ipsa enim linea, quæ triangulum adimplet, in singulis tribus extremis angulis *ipsa se invicem* jungit, et velut in angulos jungitur. Sic infra vs. 341. et 467.

279 *Ternis distantia signis*] Nam inter arietem, leonem, et sagittarium, qui primum trigonum adornant, tria quoque signa integra intercipiuntur. Nimirum inter arietem et leonem, taurus, gemini, et cancer: inter leonem et sagittarium, virgo, libra, et scorpius: inter sagittarium et arietem, capricornus, aquarius, et pisces. Et ita de ceteris trigonis.

285 *Subeunt*] Est h. l. idem ac sequuntur, ratione habita ortus et occasus; vel ipsius quoque ordinis, quo recenseri signa solent. Ita rem explicat Jul. Firmicus II. 25. Dextrum est, quod ab eo signo, a quo incipimus, retro est; sinistrum vero, quod ante. Et Noster infra vs. 293. 'Semper enim dextris censentur signa priora.' Confer omnino quæ de his disputat Salmasius de Annis Climacter. p. 138. sq.

289 *Normalis virgula*] Est linea illa, quæ ad angulos rectos utrinque ca-

dens, quadratum efficit, si bis inducatur in se ipsam ex adverso.

297 *Sed si quis contentus erit, &c.*] Sensus est: si quis illa signa non secundum partes circuli, sed secundum signa æquare voluerit, falsus erit: puta, si quis ita quadratum componere voluerit, ut putet, quaternis signis includendum, et trigonum quinis, ita ut ζωδιακῶς *signiliter* non μοιρικῶς *partiliter* ea ratio putetur. Nam si a principio capricorni ad finem tauri ducatur linea, ea includet quinque signa absoluta. Sed erit latus trianguli isoscelis non isopleuri, cujus basis erit duorum signorum.

303 *Qui tamen ex signis, &c.*] Non statim sequitur, ut trigoni vim sentire possit, qui in signo angulari natus est. Nam quia μοιρικῶς constituendi sunt σχηματισμοί, si a xv. parte capricorni ad xv. tauri ducatur linea, et fiat trigoni latus; sane qui secunda parte tauri nascetur, non poterit vires trigoni sentire. Nam ita quatuordecim partes a trigono excluduntur.

306 *Amisere loco dotes*] Scil. illi nati. Sensus est: Illi nati non percipiunt dona illius trigoni, si horoscopus incidat in aliam partem unius atque alterius signi, quæ trigonum conficiunt: e. g. si incidat in secunda parte tauri, qui quintum est a capricorno signum, nomine tenus erit trigonum, quatenus signum a signo quintum est; loco autem, id est, μοιρικῶς, non erit. Amittit enim vires trigoni, quia partes non sunt absolutæ.

307 sq. *Nam cum sint, &c.*] Confer ad binos hos vs. collatis III. 498. sq. Pontederæ Epist. § I.

352 *Sed longe major vis est . . Trigonis*] His 6 vss. notat Poëta discrimen virium, quod est inter trigonum et tetragonum. Quo enim nobis propior linea fuerit, eo efficacior. Quo major ὑποτείνουσα, eo ab arcu fit remotior, et centro suo propior. Subtensa in trigono remotior est ab arcu suo, quam in tetragono: ergo nobis propior, qui centri vicem sustinemus: igitur et efficacior, quia aër magis inficitur a ductibus trigoni quam tetragoni.

354 *Horum*] Tetragonorum, *linea* i. e. subtensa. *templo*, i. e. arcu suo. Infra 668. 'Sic quæcunque manent quadrato condita templo.'

358 *At dubia alternis, &c.*] Docet autem Poëta his 13. vss. laterales hexagonorum ductus magis obliquos esse, quam trigonorum ac tetragonorum; quia linea ducta per signorum sedes in hexagonum alterno signo flectitur, cum quæ ducitur in trigonum a quinto flectatur: quæque in tetragonum, a quarto ad quartum. Hinc duo tantum sunt hexagona: primum est, arietis, geminorum, leonis, libræ, sagittarii, et aquarii. Secundum, tauri, cancri, virginis, scorpionis, capricorni, et piscium.

360 *Invita*] Sic *lineam* appellat *obliquam*. Quo magis ὑποτείνουσαι a diametro recedunt, eo obliquiores. *Orbem* τὴν περιφερίαν dicit.

363 *Sexque per anfractus*] Angulos eleganter appellat *anfractus:* nam, juxta Varronem, fit ea vox ab ambitu et frangendo quod est circumfringo, unde rectius scripseris *amfractus*, quemadmodum Macrob. Somn. I. 6. fin. Ergo, virgula, h. e. linea, frangitur et sex angulos efficit, donec orbem compleverit. Hoc autem, *curvatur*, pertinet ad flexuram hexagoni, quæ curvaturam circuli sequitur et imitatur.

373 *Ex recto certior ictus*] Ut in trigono linea recta certior, proxime a trigono in tetragono: in hexagono autem lima et obliqua. Docet itaque, majorem esse vim trigonorum et tetragonorum, quam hexagonorum, quod in his ductus lateralis altius ad cælum accedit et a terra longius recedit.

374 *Tertia convexo, &c.*] I. e. con-

cavo, uti I. 207. et 539. *Tertia signa*, puta, quæ in hexagoni lateribus tertium quemque obtinent locum. Quæ enim signa hexagonum formant, ea singula terna sede feruntur. Unde, quæ linea per hexagona signa ducitur, a concavo cælo vix recedit, vs. 376. Adeo enim crebro flectitur, ut parum absit, quin circulum decircinet.

385 *Hærentibus signis*] Quæ sibi adhærent; v. c. aries et taurus, taurus et gemini, gemini et cancer, &c.

388 *Sunt etiam adversi generis, &c.*] Alteram nunc causam reddit, cur contiguis nulla gratia sit, quia etiam sexu differunt, et genere pugnant.

389 *Mascula femineis, &c.*] Sic aries et taurus signa sunt conjuncta, quorum illud est masculum, hoc femineum. Similiter taurus et gemini, quorum illud femineum, hoc masculum, et ita de ceteris. At taurus intercipitur et quasi obsessus est ab ariete et geminis, quæ mascula sunt: gemini pariter a tauro et cancro quæ feminea sunt.

391 *Sexta quoque, &c.*] Ordo est: Sexta quoque signa, ut aries et virgo, habentur commoda in nullas vires. *Commoda* h. l. adjectivum.

395 *At quæ diversis, &c.*] His 38. vs. aliud signorum genus continetur, quod est oppositorum seu contrariorum. Opposita autem dicuntur ratione loci, quippe quæ toto cælo a se divisa pendent: v. g. aries et libra, cancer et capricornus, &c. Licet enim ratione loci sint opposita, alia tamen ratione vel sexus, vel naturæ, vel temporis concordant, aut saltem his quatuor rationibus non opponuntur. Sic aries et libra loco contraria, ratione sexus et temporis concordant; ambo enim mascula, diesque noctibus adæquant. Cancer et capricornus sexu quidem concordant, sed loco et tempore opponuntur, æstate scilicet et hieme, quæ duo sunt tempora contraria. Virgo et pisces loco sunt adversa, sed sexu et natura concordant: ambo enim sunt feminea, sibique amica, ut infra dicetur.

401 *Stellis*] Errantibus scilicet, i. e. planetis, quorum alii benigna, alii maligna sunt natura.

406 *Juvenique urnæque*] I. e. aquario. Vide supra ad vs. 293.

415 *Adversi volitant*] Scil. pisces, qui virgini sunt e diametro oppositi. Hæc et quæ proxime sequuntur, supra exposuimus ad vs. 395.

421 *Æstivosque dies æquat, &c.*] Noctes enim hibernæ sub bruma, h. e. sub initio capricorni, æquales sunt diebus æstivis sub solstitio, h. e. sub initio cancri.

430 *Articulis*] Duobus sc. æquinoctiis: his enim duobus, quasi nodis aut articulis, hiems et æstas connectuntur mediæ inter utrumque æquinoctium. *Tenorem*] I. e. distantiam, vel motus mensuram et continuationem. De hac voce pluribus infra ad lib. III. 527.

471 sqq. *Idcirco adversis, &c.*] Horum quatuor versuum sensus ita concipiendus: Fit inde, ut ex adverso opposita signa gratiam, et contra conjuncta bellum pariant, et quæ longe distantia sunt, concordes inter se efficiant.

491 *Geminorum ducitur auris, &c.*] Gemini audiunt aquarium (supra vs. 293. et 406.) amant pisces, vident leonem. Ita enim in posterioribus sunt verba collocanda: animus geminorum ducitur in ipsos pisces, oculique geminorum ducuntur in leonem.

501 *Libra suos sequitur sensus*] I. e. se audit ipsam, videt arietem.

513 *Direxere aciem*] I. e. vident aciem, uti supra vs. 497. 'attendere taurum,' pro audire. Scorpius igitur et pisces invicem vident, quemadmodum cancer et capricornus invicem audiunt; item sagittarius et cancer amant invicem.

520-538. His versibus aliud odii genus inter signa notat Poëta: nimirum primi trigoni signa inimica esse signis trigoni, quod alterno ductu describitur, i. e. tertii trigoni. Profert enim in exemplum arietem, leonem, et sagittarium, quæ inimica esse dicit geminis, libræ, et aquario, quæ tertium instruunt trigonum. Hujus autem odii duplicem reddit rationem: primo, quia tria illa signa tribus his sint contraria; namque aries opponitur libræ, leo aquario, sagittarius geminis; secundo, quia quæ signa specie sunt ferina, iis inimica sunt, quæ humana condita sunt forma; quippe quia illa ab his fuerunt victa in terris, antequam in cœlis essent collocata. Verum hæc eadem odii ratio duplex non reperitur inter signa secundi et quarti trigoni, licet alterna pariter linea utrumque ducatur. Est quidem oppositionis ratio: namque taurus opponitur scorpioni, virgo piscibus, capricornus cancro. At ratio ferinæ et humanæ formæ cessat in his trigonis; quia omnia eorum signa sub ferina forma sunt condita, præter unam virginem.

530 sq. *Idcirco cedunt pecudes . . . est majus*] Hæc mox explicabimus ad vs. 535.

535 *Nascentis libræ superari posse trigonum*] Quod tamen tribus humanis figuris constat, geminis scilicet, libra, cui humana est facies ex parte libripendis, et aquario. Cum enim pecudes, seu signa ferinæ speciei cedunt scil. natura humanis, eo quod consilium seu prudentia hominum majus est, seu plus valet viribus amplis (vs. 530. sq.) eo magis mirandum, quod tres humanæ formæ vincantur a tribus ferinis.

538 *Illis*] Scil. signis ferinis. (vs. 534.) *Et victa ferarum*] Uti 'victus hominis' (vs. cit.) Signa humana vincuntur a ferinis, non natura et consilio, neque sexus dignitate, verum trigonorum ordine et constitutione, quod unum tantum trigonum signis humanis constat.

542 *Et geminis et si quos, &c.*] Signi cujusvis adversarios persequitur, eodem ordine, quo menses in anno permutant. Hic solius arietis æmuli traduntur et sub ariete natorum, scilicet non virgo tantum, sed et libra et pisces. Itaque scripsit Manilius: *cum virgine natis Et libra et geminis quos pisces protulit unda*, i. e. cum iis qui sub virgine, sub libra, et sub gemino pisce nati sunt.

543 *In partus tauri*] H. e. adversus eos qui sub tauro nati sunt.

572 *Tertia quæque*] Hexagona, quæ tertio quoque loco a se distant. Sic aries et gemini; taurus et cancer; gemini et leo; cancer et virgo, &c.

574 *Contraria signa*] Id est, opposita, quæ scil. septimo loco a se distant. Sic aries et libra; taurus et scorpius; gemini et sagittarius. Namque libra septimum est ab ariete signum, et hic vicissim septimum ab illa.

580 *Corpora*] Sc. humana.

582 *Pectore amicitiæ*] Pro pectus amicum, i. e. amicus. Ovid. Art. Amat. vs. 737. 'Pectus amicitiæ' dixit; Statius Silv. IV. 4. 103. et Martial. Epigr. IX. 15. Quæ quidem loca non puto latuisse Burmannum, qui proinde frustra hoc Manilii vs. tentavit *pignora*, ad Petron. p. 588.

602 *Noxia*] I. e. culpa, crimen. Substantive sumitur. Plautus Bacch. IV. 9. 81. 'Sat sic suspectus sum, cum careo noxia.' Sic infra IV. 94. 'et noxia felix.' Plura dabit exempla Loënsis Epiphill. VI. 11. Sensus: Scelerum frequentia et atrocitas pœnarum exsuperat gravitatem.

614 *Expositumque suæ noxæ*] I. e. cui facile noceri potest: quod injuriæ obnoxium est, quia simplex, mite, injuriæ patiens.

621 Horum versuum nexus cum sequentibus duobus hoc potissimum ordine constat: At cum nati sub ariete non passive se habent ad cetera duo ejus trigoni signa, sed subinde

cum illis bellum gerunt (quod feritas leonis et sagittarii magis, quam quævis alia causa, exigit): plus tamen negotii illis facessit robur sagittarii, cui conjunctæ vires sunt, quam solius leonis. Ad firmandam hanc sententiæ rationem et connexionem plurimum faciunt, quæ statim sequuntur.

626 *Illorum mentes*] I. e. illi. *Mens* enim simpliciter pro persona. 'Quibus mentibus,' pro quibus, apud Valer. Flacc. vi. 181. Ita quoque 'animum meum,' pro me, ponitur. Adolescens ille apud Plaut. Trinum. II. 2. 23. 'pro imperio tuo Meum animum tibi servitutem servire, æquum censeo.' Similiter Hebræis *naphæsch*, cum quovis suffixo personali, pro ipsa persona ponitur. Quod tamen non dixerim, ut quis h. l. Hebraismum statuat. Est suus cuique genius linguæ. Quare nec Græcus N. T. textus Hebraismorum accusandus, ubi eandem locutionem Græcis atque Hebræis usitatam inveneris. Plura Latinorum exempla collegit Castalio ad Rutil. I. 19.

644 *Vagarum*] Supple, stellarum; i. e. planetarum, vel signorum zodiaci, ut adeo legere possis cum Paris. *vagorum*. Sententia inde a vs. 643. sic concipienda: Non satis est sola ipsa signa per se considerare. Nam variant, aut planetarum commixtione, aut alia configuratione. Trigona enim amicantia accessione maleficarum stellarum odium generant, et signum trigoni lege consideratum, quadrati aut diametri lege, alias vires habet. Unde dicit:

645 *Parte genus variant*] I. e. situ. Nam alias vires habebunt in trigono, alias in quadrato; alias in oriente, alias in occidente.

652 sq. *Crebrius adversis, &c.*] Ex diametris odium, ex quadratis amicitia, item ex trigonis.

669 *Numeris aut tempore*] *Tempore* quidem, aries, cancer, libra, capricornus, qui cardines quatuor anni tempora designant. *Numeris*, duo altera quadrata.

696 sqq. *Nam cum tricenas, &c.*] Nimirum dodecatemorion nihil est aliud, quam pars signi duodecima. Cum autem signum quodque triginta partibus constat, sequitur ut duodecima cujusque pars sit numerus duarum partium cum dimidia. Consule de his accuratius disputantem Salmas. in de Ann. Clim. pag. 540. sqq.

703 *Ut sociata forent alterna sidera sorte*] In singulis enim signis, ex Nostri quidem opinione, sex sunt partes masculinæ, totidemque femininæ. Duæ primæ cum dimidia sunt masculinæ, duæ secundæ et dimidia femininæ, et ita de reliquis.

722 *Nec genus est unum ratio nec prodita simplex*] Hoc vult, Nec una tantum est methodus computandi. Nam alii multiplicant per duodecim, alii in sestertios gradus distribuunt, quæ methodi eodem ducunt. Vide Salmas. de Ann. Climact. pag. 544.

723 *Inque*] Hoc *que*, negativam subsequens vocem *nec*, adversative sumendum pro sed; quod exemplis firmavimus supra ad I. 284.

724 *Voluntque per omnia quæri*] Non tantum in zodiis, verum etiam in planetis, quorum mixtura plurimum ad fingendos formandosque hominum mores facit. 'Undique enim miscenda est ratio,' inquit mox vs. 749. coll. not.

727 *Numeris ter dispone quaternis*] Est, quasi dixerit, multiplica per duodecim.

732 *Hic ubi deficiet numerus*] Id est, ubi absumptæ erunt et deductæ omnes triacontades.

738 *Hæc quoque ratio, &c.*] Aliud dodecatemorii genus, quod dicitur dodecatemorion dodecatemorii. Unum dodecatemorion est sestertius gradus, h. e. quinque dimidii gradus. Singuli dimidii gradus singulis suis planetis attribuuntur.

739 *Major in effectu minor est*] I. e.

Hæc altera dodecatemorii ratio licet minor videatur, est tamen effectu major, quam ratio dodecatemorii signorum; quippe quæ per quinque partes notetur, pro quinque planetis, qui suam vim ac virtutem singuli capiunt in illis quinque partibus.

780 *Ferrique rigor per tempora nota Quæritur*] Dictum *ferri rigor* pro ferrum, imitatione Græcorum. Vide Vechner. Hellenolex. p. m. 334. qui geminum Virgilii exemplum recitat ex Georg. I. 143. Adde Nostr. infra v. 169. coll. annot. nostra. *Per tempora nota*] I. e. per regiones. Ita Varro vocem usurpavit, de Re Rust. II. 2. p. m. 66. pr. 'stabula idoneo loco ut sint: ne ventosa: quæ spectent magis ad orientem quam ad meridianum tempus.' *Nota*] I. e. unde id genus metalli peti solet. *Notum* pro consueto, assueto, sæpissime occurrit. Noster altero abhinc vs. supra, 'nota cubilia linquunt:' et Virgil. Georg. III. 251. 'Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum Corpora, si tantum notas odor attulit auras?'

788-809 *Ergo age, &c.*] Tradit Auctor his 22. versibus doctrinam de quatuor cæli cardinibus, ab mathematicis insigniter enotatis. Hos nonnulli angulos ac cuspides cæli, Græci centra vocant. Sunt autem illi, ortus et occasus, mesuranium, quod et mesuranema dicitur (vocabulum in Firmico ubique depravatum), h. e. locus medii cæli, et huic oppositum hypogeon, h. e. punctum subterraneum, inter ortum et occasum medium. De his consule Firmicum II. 18.

798 *Ima tenet*] Scil. loca. Pari modo, quarto nimirum casu, V. D. accipi vult supra I. 167. 'Imaque de cunctis,' &c. Quo minus autem in ejus sententiam concedamus, facit, quod paulo ibi post Auctor mentem ipse declarat his: 'medium totius et imum est,' vs. 170. Videsis et examina, quæ ad utrumque vs. dicta nobis sunt. Confer etiam, si placet, notam nostram ad III. 327. *Fundato orbe*] Id est, quia eo fundatur orbis. Eodem ablativo causæ Noster usus lib. I. 373. 'Nobilis et mundi nutrito rege capella.'

800 *Pariterque*] I. e. pari vel æquali limite, quemadmodum supra 792. de summo cardine, cui hic e diametro oppositus.

810-840. Notat Poëta his versibus dignitatem et potestates horum cardinum. Nimirum, primum cardinem (vs. 810. sqq.) statuunt artis hujus magistri illum, qui summum cæli culmen tenet, a quo gloria et honores profluunt ac rerum fastigia. Proximus (vs. 820. sqq.) est, qui imam tenet stationem; ab eo rerum fundamenta sunt, ac census ratio. Tertio (vs. 826. sqq.) concinnatur loco cardinis potestas orientalis, e quo manat horoscopi adnotatio, vitæ arbitrium, morum moderamenta. Quartum, (vs. 836. sqq.) occidentalem puta, pertinere aiunt ad rerum summas, finemque laborum.

817 *Reddere jura foro*] Phrasis vere Papiniana I. Silv. IV. 47. 'Dictat jura Gethis,' est apud Sidon. Apollin. Carm.

823 *Fundamenta rerum*] Infra III. 96. 'Fundamenta domus,' i. e. opes; quas et Græci hujus artis magistri θεμέλια vocant. Hinc Cicero in Or. pro Domo § 36. 'deflevisse se,' ait, 'subitas fundatissimæ familiæ ruinas,' pro ditissimæ.

824 sq. *Quam rata sint fossis, scrutatur, &c.*] Non desunt his duobus versibus luculenta scriptionis Manilianæ signa. Ad illustrandam vero sententiam omnino facit Julius Firmicus, qui II. 22. de 'imo cælo:' 'Hic locus,' inquit, 'ostendit nobis parentes, patrimonium, substantiam, et quicquid ad latentes vel repositas patrimonii pertinet facultates.'

831 *Hic regula morum est*] Scil.

moderante genio, qui ingenii dator et fictor, ac formator morum censebatur, prout quisque eum nascendo consecutus esset. Ideo Horatius: 'Scit genius, natale comes qui temperat astrum.'

835 *Utcunque subscribent*] I. e. prout bene vel male subscribent.

868 *Neu praestet cardine mundi*] *Cardo mundi*, horoscopus. Itaque Manilius duodecimam, ait, domum, quæ est super ortum, infelicem esse; sextam, quæ est sub occasu opposita duodecimæ, æque esse infelicem, ne hac parte 'horoscopo melior sit occasus.'

871 *Nec melior super occasus, &c.*] Explicat Auctor, his 10. versibus, situm ac dotes secundæ et octavæ stationis, quæ pariter sibi opponuntur. Altera, quæ secunda est, sub ortu sequitur: altera, octava scilicet, desuper occasum pendet. Unde hanc utramque cum sexta et duodecima comparat Poëta, quia par utrobique sors; est enim in utraque cadendum et descendendum. Domus secunda præceps est: octava superne pendet. Hæc metuit finem, cum instet occasus in vicino cardine: illa cadit ab horoscopo, cui subjacet.

884 *Summæ comes addita fini*] Rem exponit Firmicus II. 22. fin. his potissimum verbis: 'Est autem locus (undecimus) ♃, et cum horoscopo non parva societate conjungitur. De hexagono enim horoscopum videt, et de hexagono ab horoscopo videtur, ejusque radios capit.'

922 *Adserit hanc Cytherea, &c.*] Rursus redit ad quatuor cardines, quos supra consideravit quatenus sunt cardines: nunc vero quatenus domicilia, καὶ ἐκ τῆς πραγματείας τῆς δωδεκατόπου. Præterea illis attribuit suas tutelas, quod supra non fecerat. Tutelare medii cæli numen, Venus; imi cæli, Saturnus, vs. 931. horoscopi, Mercurius, vs. 943. occasus, Dis pater, vs. 951. Atque uti supra, ita hic incipit a medio cælo (vs. quo nunc) propter excellentiam. Locus enim ille aliis propterea præfertur, quia plenissimo lumine supra omnes illustratur.

942 *Tua templa*] Tuas stationes, quas nempe tu, Mercuri, in tutelam sumis.

943 *O! facies signata nota*] Alludit Poëta ad Græcorum Ἑρμᾶς, i. e. statuas, seu signa et truncos, quorum capita permutari poterant: sed quæ Mercurii referebant imaginem, quæque circum sepulcra et monimenta in viis erigebantur: ejusmodi, inquit, statuæ Mercurii erectæ *nota signabantur*.

957 sq. *Quæ vocat et condit Phœbum*] Sedes hæc, in nostro occasu sita, vocat solem et condit diverso respectu. *Condit* sub nostro horizonte; *vocat* ad horizontem contrarium, cui tunc sol exoritur: *recipit* solem a nobis, *refert* ad illos. Cf. supra ad I. 650.

963 *Utcunque aliena capessunt Regna*] Stellæ aliena capessunt regna, et subsidunt hospitæ in externis castris, quando non sunt in suis οἰκοδεσποτείαις, ut quando Mars in alio signo, quam ariete, fuerit. Et ita de aliis.

LIBER III.

1 *In nova*] Id est, magna et miranda. Servius ad Virgil. Ecl. III. 86.

2 *Inaccessos saltus*] Qui scilicet Helicona tegunt, lib. I. 5. 'inaccessos' dicit, vel, quos nullus debet accedere, Serv. ad Æneid. VII. 11. vel, quos ipse nunquam antea, Poëtæ sacra ferens, accesserat.

5 *In excidium cæli nascentia bella*] Scil. Titanum vel Gigantum adversus Deos. Ita 'cælum' supra quoque nobis acceptum, in Annot. ad I. 764. De bello isto fusius Noster I. 428. sqq.

9 sqq. His versibus Medeæ fabulam acute perstringit, de qua Ovid. Metam. lib. VII. Fab. 1.

18 sq. *Natorumve epulas... Ereptumve diem*] Tangit impium Atrei scelus, qui fratri Thyesti filium epulandum dedit. Quod quidem abominatus Sol, ne quasi conspectu pollueretur, retro conversus est, i. e. aufugit. Serv. ad Virgil. Æneid. I. 572.

21 *Immissumque fretum terris, &c.*] De stupendo isto Xerxis molimine videndi Justin. II. 10. et qui illud pro more risit Juvenal. Sat. X. 174. sqq.

38 *Dulcia carmina*] Cujusmodi Bucolica, Amatoria, et id genus cetera.

47 *Custos*] I. e. rectrix, gubernatrix: quemadmodum Augustus 'Romulæ gentis custos' salutatur Horatio IV. Carm. 4. pr. Sic Tullius de Nat. Deor. II. c. 22. 'Sequitur,' inquit, 'ut doceam, omnia subjecta esse naturæ, eaque ab ea pulcerrime regi.' Cf. eund. 34. et Manil. II. 860.

53 *In alternum*] I. e. invicem, mutuo, vicissim. Conf. supra ad I. 64. Rutil. I. 472. 'Et favor alternis crevit amicitiis.'

Alimenta] Quia 'nullum ignem sine pastu aliquo permanere posse credebatur:' ita Cicero de Nat. Deor. II. 15. Adde ejusdem verba in not. ad I. 156. prolata.

61 *Mundi præcordia*] Vide supra ad I. 17. Hoc loco zodiacum præcise designant.

62 *Evincant stellas, &c.*] Ad horum intellectum juvat quam maxume conferre Nostrum II. 858. sqq. et IV. 840. sqq. *Evincant* idem ac vincant.

76 *Non ut in æterna cæli statione*] Non semper sors fortunæ omnium geniturarum eidem parti hæret. Non semper a simili parte deducitur. Quia enim a sole interdiu, a luna nocte deducitur: illa autem duo sidera non semper in omni genitura eundem locum obtinent, ita neque sors fortunæ in omni genitura eundem locum obtinebit.

86 *Ordo ducem sequitur, &c.*] Prima sors fortuna; quam ducem cetera athla sequuntur: et sicut duodecim signa ex ordine volitant per duodecim athla, ita duodecim athla et per duodecim signa et per duodecim stationes migrant, duce fortuna.

96 *Per artem*] Sideralem nempe, seu astrologiam.

98 *Fundamenta domus*] I. e. opes, facultatem. Vide supra ad II. 823.

108 *Sæpe cadentia frustra Officia*] Scil. in hominibus absurdo et incivili ingenio, qui officium non agnoscunt. Hi apud vulgus Romanorum dicebantur 'officiperdæ,' vel 'officiperdi,' quod est in eleganti illo Catonis disticho IV. 43. 'Gratior officio, quo sis mage carior, esto: Ne nomen subeas, quod dicunt, officiperdi.'

113 *Pendentemque reum lingua*] Pro

a lingua, scil. patroni, qui pro clientibus verba facit.

115 *Expensa fronte*] Quasi, ad augendam auctoritatem, curatius composita. Quo quidem omnino facit inlustris Propertii locus lib. II. 3. 6. 'Ibat et expenso planta morata gradu.' Hæc autem, 'expenso gradu,' exponit Petron. c. 126. his verbis: 'Quo (spectat) incessus tute compositus, et ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, &c.' Conferri quoque merentur, quæ Passeratius ad dictum Propert. locum commentatus est p. 262. fin.

130 sq. *Specioso prætextu*] Id est, eminentiore dignitate. Sic illud *prætextus* capiendum apud Tacitum Histor. I. 19. 'agitatum secreto, num et Piso proficisceretur, majore prætextu: illi auctoritatem senatus, hic dignationem Cæsaris laturus.' Ubi doctus interpres: 'ut major legationis dignitas esset.' Eodem recidit illud *prætexto*, quod solus cod. Lips. in nostro Manilii versu agnoscit. Utitur hoc *prætextum* Seneca pro purpura vel ordine purpurato, Epist. 71. p. m. 199. scribens: 'Sed illud pulcherrimum reip. prætextum, optimates, et prima acies Pompeianarum partium, senatus ferens arma, uno prælio profligabuntur.' Hoc autem *speciosum* notat insigne quid, clarum, splendidum cum auctoritate conjunctum. Quo sensu ipsa vox *species* venit II. 816. Sic idem Seneca Epist. 87. p. m. 288. 'familiam nemo cito speciosiorem producet,' &c. Unde Ulpianus apud Perott. sub voce, 'speciosas' personas dici affirmat 'clarissimas' utriusque sexus.

136 *Domus*] Id est, familia. Quo sensu Manetho Apotelesm. IV. 535. Δώματα ποιμαίνουσι, q. e. *familias pascunt*. *Exemplis*] I. e. factis, quæ imitanda aut vitanda sunt.

189 *Ortivo de cardine*] Qui et horoscopus. Supra II. 827. sqq. Dicitur autem ortivus a frequentia; uti 'absentivus' apud Petron. cap. 33. pro, diutius aut frequenter absens.

215 *Tantæ molis*] Nimirum immensi cæli. Vide quæ notavimus ad Var. Lect. vs. 205.

228 *Vix bruma*] I. e. solstitium hibernum, cujus initium dat capricornus (lib. II. 404.); sicut æstivi solstitii principium dat cancer oppositus.

238 *Horæ mensura*] Si dies sunt incerti, et diurnæ quoque horæ sunt incertæ. De noctibus idem concludas, licet. Dierum magnitudo incerta est; ergo senum signorum ascensionales mensuræ inæquales. Recte. Hæc autem ratio non valet nisi apud eos, qui dies pariter ac noctes duodecim horarum spatio metiuntur (coll. vs. 248.): quæ quidem horæ inæquales sint oportet, pro inæquali dierum ac noctium sorte.

243 *Quo fit ut, &c.*] Aliud argumentum: horarum sunt magnitudines incertæ: ergo ascensiones non semper binarum horarum esse possunt.

246 *Quem numerum debet ratio, sed non capit usus*] Ratio, inquit, seu supputatio, præstare quidem debet hunc numerum, duarum scilicet ascensionalium horarum. Supponendo enim omnem diem in duodecim horas describi, et sex signa per diem exoriri; inferendo etiam unumquodque signum continere 30. gradus, quamlibet autem horam 15. grad. conficitur inde binas horas in singula signa duci. Sed usus noster in disciplina genethliaca hanc supputandi rationem non admittit; quia tempora dierum non mensuramus zodiaci longitudine, sed signorum ascensione, quæ modo recta modo inflexa exoriuntur: neque nos aliis horis quam æquinoctialibus et æqualibus utimur.

259 *Nox oblita diei*] Eleganter et acute dictum, quod *nox* longissimum temporis spatium occupans, diei non videtur concessura.

270 *Suo per carmina textu*] I. e.

carminis et orationis serie.

274 *Per septem fauces*] Virgilius Georgic. IV. 292. de Nilo: 'Et diversa recens septem discurrit in ora.' Catullus Carm. XI. 7. 'Sive qua septem geminus colorat Æquora Nilus.' Ad quem locum illustrandum vir doctus illa Manilii verba, eodem quo libri nostri tenore, refert. Addit vero alterum Virgilii locum, 'septemplicis ostia Nili.' Quæ quidem verba adhuc legisse non memini. 'Septemplice Nilo genitus,' est apud Ovid. Metam. V. 187. Maronis autem verba, quæ Catullo pariter ac Nostro cum maxume conveniunt, habes Æneid. VI. 800. 'Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.' Legunt alii una voce *septemgemini*. Unde Lamb. Hortens. ad h. l. 'Septemgeminum vocat, septem ostiis mare intrantem.' Tametsi vero illud *geminus* nonnunquam, sed rarius, ea qua hoc *par*, i. e. similis, notione venit; eam tamen, nihil est, ut admittamus, in binis hisce locis, quæ absque illa et commodiorem facile sensum admittunt. Nimirum, ut a posteriore incipiamus, *septem trepida ostia gemini Nili turbant*, i. e. turbantur. Geminus autem Nilus proprie dicitur, qui fonte relicto, mox in duos alveos excurrit, dextrum, qui Pelusium tendit, et sinistrum, qui Canopum. Eadem constructionis ratio alterius loci sensum recludit hunc: geminus Nilus colorat septem æquora, i. e. septem diversa oceani loca, quibus per totidem ostia in illum se exonerare, certum est.

275 *Quot stadiis*] Hæc stadia singula respondent binis horæ momentis; respondent et singulis semigradibus zodiaci. Manilius autem hanc stadiorum rationem accommodavit ad ascensiones et descensiones signorum, pro eo sphæræ habitu, quem statuit vs. 259. ad elevationem poli grad. 36. In hoc enim sphæræ situ arcus diurnus maximus, seu dies maxima, est horarum 14. cum dimidia. Arcus vero diurnus minimus, seu dies minima, horarum 9. cum dimid. Porro horis 14. cum dimid. respondent stadia 435. Horis vero 9. cum dimid. respondent stadia 285. At duplex hæc summa 435. et 285. in unam ducta, adimplet numerum 720. stadiorum; sicuti horæ 14. cum dimid. et 9. cum dimid. adimpleat horas diei 24.

287 *Damna*] Hoc *damna* opponitur incrementis: II. 95. 'viribus,' Utrobique autem per decrementa, sicut alibi quoque, reddendum. Imitatus Nostrum Sidon. Apollin. Epithalam. Polem. et Aran. vs. 40. sq. 'Quid noctis lucisque vices, quid menstrua lunæ Incrementa parent, totidem cur damna sequantur.'

305 *Chelarumque fides*] Habes heic iterum τὸ *fides,-is*, uti supra lib. II. vs. 332. in not. Denotat h. l. filamenta pedum scorpionis, quæ subinde libræ loco Poëtæ veniunt. Vide notata ad lib. I. vs. 268. et 609. De his Manetho Apoteiesm. II. 136. Χηλαί θ', ἃς καὶ δὴ μετεφήμισαν ἀνέρες εἰροὶ, Καὶ ζυγὸν ἐκλήεισαν, ἔπειτ' ἐτάνυσσ' ἑκάτερθεν Οἷαί περ πλάστιγγες ἐπὶ ζυγοῦ ἑλκομένοιο. Illud *εἰροὶ* valde mihi, nec immerito, suspectum. Scribendum puto *ἱροὶ*, Ion. pro *ἱεροὶ*, *sacri*. Intelligit Chaldæos sacerdotes (cf. Nostrum lib. I. 46. sqq.) quos Herodotus *ἱρέας* salutat I. 181. fin.

311 *Falsi fallacia mundi*] Est ubi hæc de austrina orbis parte explicavimus I. ad 406. quod nolumus factum. Loquitur enim h. l. Poëta de inæqualitate ortus et cursus solis pro diverso sphæræ et locorum situ. Conf. vs. 208. sqq.

313 *Omnibus autumnus Signis*] Hoc est: Tales sunt dies ac noctes in omnibus signis per illas regiones quæ sub æquatore jacent, quales sunt per alias ubique regiones in autumno et vere. Scilicet populi sub æquatore degentes perpetuo autumno vereque

fruuntur, nec dies aut noctes aliis alias minores aut majores habent.

817 *Sideribus mediis, an quæ, &c.*] Id est, an sit sol in signis, quæ media sunt inter hæc quatuor, cancrum, capricornum, arietem, et libram. In quocunque igitur signo sit sol, nil refert; semper enim dies et noctes æquales sunt iis populis, qui sub æquatore degunt.

322 *Bene diviso orbe*] I. e. Non inæquali orbe, ut in sphæra obliqua, sed ad angulos rectos.

327 *Medium mundo suspendit ab omni*] Ita supra lib. I. 170. de terra: 'medium totius et imum est.' Auctoribus ad istum locum excitatis adde Sidon. Apoll. Epithal. Polem. vs. 71. sqq. et Regiomontanum Epitoma lib. I. Concl. III.

335 *Quando illius una est, Nostræ mutantur sedes*] Hæc optime sic videntur cohærere: quando sedes illius una est, &c. Stat enim immotus zodiacus in balteum ductus; at nostræ mutantur sedes.

336 sq. *Ergo ipsa moveri Tempora jam ratio cogit, &c.*] Conclusio alterius argumenti, quod ex positu globi terræ instruxit ad evertendam de æqualitate ascensionum opinionem. Probat enim ascensiones eorundem signorum in hoc loco non esse æquales ascensionibus eorundem in alio. Alexandriæ aries oritur gradib. 20. 58'. Romæ grad. 17. 21'. Taurus Alexandriæ grad. 24. 9'. Romæ grad. 21. 6'. Unde illa diversitas? A positu regionum, quod ab æquinoctiali ad polum pergentibus semper obliquæ ascensiones decrescunt, rectæ autem crescunt: dies æstivi majores sunt, hiberni breviores.

339 *Cursus malignos*] Hoc malignus idem quod obliquus. Itaque *cursus malignus*, non recto gyro sed obliquo peractus. Sic 'oculus malignus,' apud Gratium est, oblique adspiciens.

346 *Vixque ortis occasus erit*] Sensus horum ex Var. Lect. ad vs. 345. constat. Illud *vix* eleganter Manilio pæne, prope significat. Conf. I. 585. et v. 78.

Si longius inde Procedat, &c.] Si quis, inquit, e polari circulo versus polum ipsum arcticum longius procedat; tunc ipsa meridionalia signa latebunt per 30. dies, reddentque singula noctes triginta continuas.

362 *Sex tantum signa*] Nimirum æstiva, quorum primum aries, postremum virgo; quæ cis æquatorem feruntur. Sex vero reliqua, quod ultra æquatorem, non cernuntur.

366 *Contextis lucibus*] I. e. non interrupta serie semet excipientibus.

371 *Inferiora petens sidera*] Sunt hæc australia, ratione habita sphæræ stantis.

384 *Divortia terræ*] Hemisphæria, quæ sunt diversa terræ loca: alterum superius, alterum inferius.

407 *Vinciat*] Id est, connectat. Bene. Namque in progressione arithmetica omnis excessus numeri bene dicitur *vinculum* prioris scil. et sequentis summæ. Sic excessus summæ geminorum supra summam tauri, vinculum est utriusque summæ. Regiom. sic legit: *Qua tempora tauri Vincantur.*

415 *Quantis modis*] Pro quanta mensura, quanto partium numero. Itaque qua temporis mensura, quove auctu sex prima signa ab ariete ad libram exorientur et occident, eadem mensura, vice versa, sex signa a libra ad arietem orientur et occident. v. g. oriatur taurus hora 1. minut. 36. occidat vero hor. 2. min. 24. Scorpius contra orietur hor. 2. min. 24. occidet vero hor. 1. min. 36. Et ita de aliis.

419 *Ter centum numeris vicenaque*] Summa stadiorum est 720. quam supra dedimus ad vs. 275. In hac autem doctrina, quæ nunc præ manibus est, stadia sunt tantum 320. nimirum pro ratione assumpti numeri octonarii. Nam ratio maximæ diei ad minimam Romæ est ut quinque ad tria:

et proinde numerus assumendus et secandus in eam rationem est octonarius. Octo igitur in arbitrarium aliquem numerum, puta quadraginta, ductus producit 320. et sectus in rationem quinque ad octo dabit 200. maximæ diei arcum, 120. autem minimæ diei. Sexta pars maximi arcus, stadia 33. 20′. minimi, 20. 0′. Sed commodioris computationis gratia multiplicentur in novem. Ita 300. erit sexta pars arcus maximi diurni pro ascensione leonis, 180. sextans minimi arcus pro ascensione tauri. Differentia 120. Triens 40. qui erit excessus progressionis, ut habes in diagrammate apud Scaligerum in notis, non procul ab hoc loco.

421 *Æstivæ nomine lucis*] Sensus horum et præcedentium verborum est: Ex tota summa stadiorum 320. tota pars, scil. ea pars proportionalis demitur, quem demit Sol ex omnibus horis, nempe integri νυχθημέρου, quæ sunt 24. quando conficit solstitium. Et quidem illæ sunt 15. Romæ: quæ eam rationem habent ad totam summam 24. horarum, quam 200. ad 320. Ergo 200. erit arcus maximæ diei, et reliquus de summa 320. nempe 120. erit arcus minimus diurnus. Igitur tota pars detrahitur de 320. quotam partem aufert maxima dies ex 24. horis. Ablatis igitur 120. de 320. remanent 200. pro arcu maximo diurno.

424 *Sextamque ardenti trade leoni*] Sexta pars τῶν 200. sunt 33. 20′. quæ ob commoditatem in novem ducta, fiunt 300. ut habes in diagrammate apud Scaligerum.

426 *Ejus erit signo tauri pars illa dicanda*] Intellige, qui numerus fuerit sub nomine, i. e. tempore minimæ noctis, vel minimæ diei, ejus illa pars, id est sexta, erit tauro dicanda. Numerus stadiorum minimæ noctis 120. Sexta parte 20. in 9. ducta, fiunt 180. pro ascensione tauri.

434 *Sic breviantur*] I. e. decrescendo fiunt breviores. Usus voce Quintil. I. 9. 'tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quædam, et exornare, salvo modo Poëtæ sensu, permittitur.' Et Suetonius aliique ætate posteriores, quorum indicem habes apud Cellar. Cur. Poster. p. 203.

444 sq. *Neque enim paribus per sidera cuncta Procedunt gradibus*] Hoc vult: Hibernis mensibus luces incipiunt crescere usque ad solstitium. Par incrementum toto mense censetur. Sed singuli menses haud paribus momentis surgunt, id est, crescunt, nec iisdem gradibus per omnia procedunt. Exempli gratia, si dies maxima minimam diem sex horis superaverit, primo mense hora dimidia incrementi accedit diei; secundo mense hora una; tertio hora cum semisse: sic tribus mensibus trium horarum ad diem fiet accessio. Quarto mense similiter hora et semihorium addetur; quinto mense hora; sexto et ultimo, horæ dimidium. Sic supplentur illæ sex horæ, quibus dies maxima totius anni minima die major est.

465 sq. *Tempus dividuum*] Est distributio horariorum scrupulorum in signa. Incipit autem a sexta, quia sexta pars trium horarum est hora dimidia.

483 *Nascens ad astrum*] Ad horoscopum inveniendum. Ceterum hæc nova tractatio eodem loco apud Regiom. et ceteros legitur.

484 *Quod quandoque*] *Quod* vel quale illud signum, *quandoque* pro, et quando (coll. Var. Lect. ad III. 296.) exoriatur: ita reddes hæc: vadis emissum reddatur orbi. *Vadis* pro aquis, uti Phædrus de vulpecula: 'Evasit puteo nixa celsis cornibus, Hircumque clauso liquit hærentem vado.' 'Vada salsa,' 'livida,' &c. pro mari Virgil. et Catull. frequentarunt.

491 *Quæ superent Phœbo*] Id est, quos sol nondum peragravit.

497 *Per ignes*] Fortiori omnino distinctione ab antecedentibus hæc

sunt secernenda. Transit enim Auctor ad methodum nocturnæ genituræ definiendæ. *Per ignes*, i. e. noctu. Stellas enim 'ignes' alibi quoque Noster dixit absolute. v. g. I. 218. 'quibus ille supervenit ignis,' de Canopo loquens.

502 *Orbem vidisse per ignes*] I. e. per sidera nocturna.

508 *Verique subortus*] Dicere vult Auctor: Quænam signa in aliorum, occidentium puta, locum oriantur. Hanc interpretationem ipsa vox *subortus* subministrat, quam pariter usurpavit Lucretius v. 304. 'Sic igitur solem, lunam, stellasque putandum Ex alio atque alio lucem jactare subortu.'

516 *Proximus atque alii*] Proximus, i. e. secundus, annus sequitur secundum signum, atque alii vel ceteri deinceps sequuntur ordine succedentia signa. Conferri heic meretur Hermes, de Revolut. Nativit. I. 1. Aliquis natus est sole in leone posito. Ejus dodecaëteridos genethliacæ annus primus erit leonis; secundus, virginis; tertius, libræ: et sic deinceps.

527 *Vota*] Sunt res prosperæ ac lætæ, quas votis sumus consecuti. Hinc *nuptiæ* dicuntur *vota*, v. 547.

Servat tenorem] I. e. ductum, eo quo cœpit modo *continuatum*. Proprie de jaculis, hastis aliisque missilibus dicitur. Virgil. Æneid. x. 340. 'Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem.' Et Statius Theb. VI. 711. 'servatque tenorem Discus.' Inde translatum ad alia, eandem fere notionem servat. Exemplum, quod hujus cum maxime loci, præbet iterum Maro Georg. II. 337. 'Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem.'

536 * Sententia horum quatuor versuum hoc videtur nexu concipienda: Tempora quatenus sunt mensuræ motus per se consistunt, i. e. permanent invariata, et propria signa non habent, adeoque nec per se quid in corpore humano possunt efficere (utpote quæ nonnisi per numeros adhærent omni ævo currenti). Et efficiunt seu fingunt atque formant hominum mentes, variosque casus prænunciant, pro vario motu habituque astrorum, quorum vicissitudinibus nos obnoxii sumus. Itaque non tempora variant hominum animos et qui illis evenire solent casus, sed astra; neque tamen hæc sola, sed cum tempore conjuncta. Conf. infra de signis tropicis vs. 666. sqq.

544 sq. *Quod tardius illa, Hæc citius peragunt orbem*] Nam v. g. annus tardius mense; mensis tardius die; dies tardius hora peragitur. Contra hora citior die; dies citior mense; mensis citior anno volvitur.

545 sqq. *Venit omnis ad astrum Hora die bis*] Explicat quomodo illa citius aut tardius orbem suum peragant: scilicet, ratione civili bis in die hora natalis ad horoscopum venit. Ut si quis nascatur hora decima diurna, iterum recurret hora illa decima intra *νυχθήμερον*. Intra mensem vero dies singuli semel elabentur sine reditu. Nam cum mensis constet triginta, verbi gratia, diebus, si quis nascatur quarto mensis die; intra mensis hujus spatium nullus alius recurret quartus dies. Similiter intra annum menses singuli semel præteribunt, nec mensis alter Martius redibit, quo natus, exempli gratia, quis fuerit. Par est dodecaëteridos ratio, quæ duodecim annis conflata est. Hujus anno sexto si natum infantem fingamus, unicus ille effluet sextus, nec alter sextus numerabitur, dum hæc duodecaëteris erit in cursu.

553 sqq. *Idcirco nihil in totum sibi credere, &c.*] Si enim, inquit, ita se res haberet, ut si annus inciderit in lætum signum, mensis quoque, dies et hora læta sint ac fortunata; sin autem in signum triste; omnia illa tempora dura et tristia: nullæ essent diversæ vices, non diversi hominum

casus in temporibus illis. Hujus autem contrarium docuit supra vs. 525. sqq.

561 *Quod quandoque genus*] Supple temporis; vel anni, vel mensis, vel diei et horæ. *Quandoque*, i. e. quo tempore, uti supra vs. 164.

568 *Ævi*] Ætatis cujusque hominis. Lege porro ad vs. abhinc secundum, coll. vs. 582.

585 *Stellarum ordo*] I. e. planetarum loca per singulas stationes.

587 *Mixtura*] I. e. σύγκρισις. Fallitur autem Scaliger, qui putat σύγκρισιν illam esse stellarum cum signis; quæ tamen est tantum stellarum inter se, per varios συσχηματισμούς. Vide Salmas. de Annis Clim. pag. 618.

590 *Si bene constiterit*] Hæc de lunæ potestate et efficientia in cardinibus et locis reliquis optime explicuit Salmas. lib. cit. pag. 90. sq.

625 *Æstivæ Zonæ*] Quæ est tropicus cancri, dictus alias circulus æstivus; a cancro scilicet, qui et ipse 'sidus æstivum' audit Molæ loc. cit. in Var. Lect. ad vs. 634.

633 sq. *Germania sicca Jam tellure fugit*] Scil. infestantes Romanos; non defensa paludibus suis, ut erat hyeme, qua parte rem in ea gerebant Romani. Passim Tacitus I. Annal. 'Quod si fugerent, plures silvas, profundas magis paludes.' II. 'Fundi Germanos acie et justis locis; juvari silvis, paludibus, brevi æstate et præmatura hieme.'

643 *Statque uno natura loco*] Vel, eo quod maria sunt clausa, nec terra commeantibus se facilem et benignam præbet: vel etiam, quod per quadraginta circiter dies sol immotus quasi, ad sensum quidem nostrum, in tropico consistit. Ita de lento temporis sui decursu conqueritur Ovidius v. Trist. x. 5. 'Stare putes; adeo procedunt tempora tarde.'

656 *Nemus loquitur*] Pertinet hoc ad responsionem avicularum, aut reciprocum venti sonum. Plane sic Petronius cap. 120. p. m. 567. 'non verno persona cantu Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur.'

680 sqq. Ad hos ultimos versus conferre juvat Ponted. Epist. § III. *Octava in parte*] Quam supra quoque admisimus ad vs. 635.

LIBER IV.

3 *Dum quærimus ævum, Perdimus*] *Quærere ævum* hoc loci est, spe sibi multos annos præfigere, quibus ut bene esse possit, thesauri struuntur. *Perdimus*, i. e. non plene, neque quanta possemus indulgentia, vitæ nostræ fructum capimus, quin potius inutili dispendio prodigimus. Hoc sensu Venus ait apud Papin. Theb. v. 136. 'Quid perditis ævum?'

4 *Et nullo votorum fine beati, &c.*] De his iterum Papin. II. Silv. 3. 129. sqq. 'Nos vilis turba, caducis Deservire bonis, semperque optare parati, Spargimur in casus.'

5 *Victuros agimus semper*] I. e. in præparatoriis vitæ sempiternæ laboriosam industriam ponimus. *Nec vivimus unquam*] Vita non recte utimur aut fruimur: non bene nobis, nec aliis commode vivimus. De Tarentinis memorat Athenæus lib. IV. p. m. 166. fin. eos dicere solitos: τοὺς μὲν ἄλλους ἀνθρώπους διὰ τὸ φιλοπονεῖσ-

θαι καὶ περὶ τὰς ἐργασίας διατρίβειν, παρασκευάζεσθαι ζῆν· αὐτοὺς δὲ διὰ τὰς συνουσίας καὶ τὰς ἡδονὰς οὐ μέλλειν, ἀλλ' ἤδη βιῶναι. Quod in Græco est *παρασκευάζεσθαι ζῆν*, Nostro dicitur *victuros agere*. Domitius ad Stat. Silv. II. p. 248. legit, nescio quo auctore vel sensu: 'Victuros annos semper nec,' &c.

14 *Fata regunt orbem*] Eadem animi sententia Senecæ Octav. vs. 918. sqq. et Œdip. vs. 980. sqq. 'Fatis agimur: cedite fatis. Non sollicitæ possunt curæ Mutare rati stamina fusi,' &c. Compara Lucanum Pharsal. VI. 611. sqq.

16 *Nascentes morimur, finisque ab origine pendet*] Seneca Epist. 24. 'Quotidie demitur aliqua pars vitæ: et tunc quoque, cum crescimus, vita decrescit.' Plura ibidem in eandem sententiam. Digna quoque sunt, quæ cum Nostro conferantur, verba Censorini cap. IV. 'Aiunt, principium fuisse nullum, sed orbem esse quendam generantium nascentiumque, in quo uniuscujusque geniti initium simul et finis videatur.' Adde sis Barth. ad Stat. II. Silv. 1. 218.

17 *Et sæpius orta Paupertas*] Sæpius enim nascuntur pauperes, quam divites, cum multa millia pauperum sint, vix uno divite existente.

32 *Horatius*] Cognomine Cocles, de quo supra I. 779.

33 *Virgo*] Clœlia. Vide not. I. 778.

34 *Tresque....fratres*] Trigemini Horatii, de quibus plura I. ad vs. 776.

41 *Nostris cecidisse catenis*] Hic infinitivus cum altero qui præcessit, *accepisse*, ad illud pertinet (vs. 37.) 'Quid referam?' Non autem hæc eo sunt accipienda, quasi in catenis occidisset. Aliter enim verba ordinanda. Quid referam? Hannibalem cecidisse tunc cum maxime speraretur, vel exspectaretur, in catenis nostris. Maxime enim tunc a re Romana sperabatur de atrocissimo hoste triumphus, cum ille caderet.

59 *Jura toga regerst*] Eadem dicendi ratio infra vs. 355. obtinet. Imitati in ea Nostrum bonæ notæ scriptores. Rutil. I. 157. 'Si non displicui, regerem cum jura Quirini.' Claudian. in Rufin. II. 82. 'Nec pudet Ausonios currus et jura regentem,' &c. Plura dabit exempla Savaro ad Sidon. Apollin. Carm. VII. p. m. 92.

69 *Mortes*] Eleganter, nec tritissime, pro variis moriendi causis posuit Noster. Virgilio 'mortes' sunt genera mortis Æneid. X. 854. Quapropter in dubium venire non debuit, an recte habeat rubrum libri, qui Lactantio tribuitur, De mortibus persecutorum.

78 *Ingeniumque suum retinent*] Dicit *ingenium suum* insitum quasi, et per seriem familiæ transmissum. Ut cum de Claudiis dicitur, eos semper fuisse plebi infestos: quam Livius 'jam inde antiquitus insitam pertinaciam familiæ' vocat, lib. IX. Proinde Nostrum sic intelligas: Aut degenerant patribus nati, aut eos vincunt, aut sequuntur, et indolem, quæ in illa prosapia jam visa est, retinent et reducunt. Quod inter duo illa medium est.

94 *Et noxia felix*] Virtuti opposita *noxia*, quæ homines scelestos, facinorosos notat. *Noxia* alibi culpa, crimen. Conf. supra II. 602. et ibi not.

118 *Expendere fatum*] Scil. astrologicum, de quo Vossius in Theol. Gent. II. 47.

156 *Arma procul lituosque volunt*] Poëtis *lituus* sæpe pro tuba bellica, adeoque pro ipso bello, ponitur. Claudianus: 'lituis navalibus arsit Hispanum Siculumque fretum,' &c.

160 *Natura ingenio minor est, &c.*] Hæc, salva meliore sententia, sic cape: Natura rerum ingenio seu rationi illorum Astrothesiæ studiosorum minor seu subjecta est, perque omnia servit. *Illi* sunt artis magis-

tri, natura ministra. Videtur his suum Manilius natale signum exposuisse, quod ipse pari ratione in australi hemisphærio describendo versatus est. Vide I. 457. sqq. coll. vs. 31-40.

173 *Et celeres optando sortibus annos*] Fœneratores enim nil prius in votis habent, quam ut quamprimum sors sequetur fœnori. Hoc est quod dicit, optare celeres annos sortibus.

176 *Quis dubitet*] Id est, non clare perspicit. Sic 'dubitanda luna' declaratur Sitzm. ad Rutil. I. 433. et 'dubia sidera' sunt minus conspicua, Juven. Sat. V. 22.

197 *Cui litera verbum est, Quique notis, &c.*] De compendiaria ista scribendi ratione vide Turneb. Advers. lib. XIV. extr. et Bernart. ad Statium Silv. I. pag. 22.

200 *Pudor*] Non equidem innatus, qui imaginarius seu, proprie dicendo, nullus est, teneræ præsertim ætati; sed *pudor* intelligitur præceptis insitus, exemplis et exercitatione firmatus.

232 *Ardentes et equos ad mollia ducere frena*] Id est, indomitos equos prima pati frena docere. His enim *mollia frena* conveniunt magis, quam ferrea, de quibus Scheffer lib. cit. 13. p. m. 161.

239 *Impositumque manet*] Nam pars anterior et erectior hominis est. Itaque imposita est parti ferinæ, ut domitor equo.

245 *Cæca metalla*] Duplicem hoc *cæcus* notionem habet, scil. qui non videt, et qui non videtur. Posterior hujus est loci. Virgil. Æneid. III. 232. 'Rursum ex diverso cæli cæcisque latebris Turba sonans prædam pedibus circumvolat uncis,' &c. Statius Theb. II. 501. 'Insidias natura loco, cæcamque latendi Struxit opem,' &c. *Metalla* vero non sunt, hoc saltem loci, metallicæ res, aurum, argentum, cet. sed ipsæ fodinæ, quæ Græcis pariter ac Latinis scriptoribus hoc nomine veniunt. Plutarch. in Isid. pag. 367. A. πολλὰ μὲν ἐν τοῖς μετάλλοις καὶ τοῖς ὄρεσιν εὑρίσκεται μέχρι νῦν κογχύλια ἔχειν. Nepos Cimon. I. 3. Calliam, dicit, magnas pecunias ex metallis fecisse. Plura olim dabit exempla Vierschrotus V. C. in Noct. Gothan. lib. II. cap. 10.

251 *Consummentque foci Cererem*] *Consummatio Cereris*, seu frumenti, est panificium in furno. Quod uberius Noster exponit v. 283.

256 *Mutataque sæpe Mens natat*] Optimus horum interpres Horatius II. Sat. 7. 7. 'Pars multa natat, modo recta capessens, Interdum vitiis obnoxia,' &c. Ubi Lambinus: '*Natat*] Modo ad vitia propensa est, modo ad virtutes incumbit, incerta et instabilis est: non perstat in vitiis, sed modo vitia, modo virtutes sequitur.'

261 *Inducere terris*] Scil. undas. vel sulcos aquarios ducendo, quos nonnulli 'elices' vocant, auctore Colum. II. 8. vel eliciendo in siccitate aquas cœlo, rei divinæ procuratione. Huic qui operam dederunt, 'aquilices' (ab eliciendo aquam) proprie dicti. Vide Menagium Amœnit. Jur. Civ. cap. 41.

262 *Ipsaque conversis aspergere fluctibus astra*] Notat eos qui aquarum expressiones agunt, aut ex ipsis aquæ jactibus, aut per hydraulas, quibus aqua detruderetur.

264 *Et flumina ficta*] Sic euripos vocat, et 'nova fluminum emissaria' in circo, ad quæ spectacula agebantur. Virgil. Georg. III. 17. 'Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.' De euripis quoque Nostri locum accipit Savaro ad Sidon. carm. 22. p. 177.

265 *Domibus suspendere*] Id est, super arenata opera et ædificia flectere rivos aquarum ab uno colle in alium: vel notat pensilia receptacula aquarum, quibus supra domos

aquæ longe defluentes reciperentur in usus domesticos. De ejusmodi rivis Rutil. I. 97. sq. 'Quid loquar aërio pendentes fornice rivos, Qua vix imbriferas tolleret iris aquas?' Confer, si vacat, Castal. in not. ad loc.

278 *Membra carinæ*] Non partes modo quibus constat, verum etiam vasa, instrumenta, quæ arma quoque vocantur. Vide Pollnc. I. 9.

279 sq. *Pervenit in astra Et pontum cælo conjunxit*] Vel, quod navis Argoa cælo navigat; vel, quia nautæ ad dirigendum cursum et maris et siderum motus observant.

286 *Populos captos*] Eleganter hoc *populus*, quod quemlibet cuneum notat, ad pisces translatum. In quo Nostrum imitatus Ennodius I. Epist. 7. p. m. 20. *Piscium populus* non ad delicias, sed ad horrorem nutriens. Sic apud Statium Theb. XII. 22. 'exsanguem populum' vetus scholiastes reddit per 'cadaverum multitudinem.'

287 *Carcere*] I. e. Retibus vimine contextis, in quibus escas appendunt piscatores, et quæ in aquis demergunt.

405 *Et ut pereant*] Id est, quem in modum bona luxuriando prodigantur, quamque caduca hæc sint (vs. 403.) suspirant, h. e. cum dolore vident ac sentiunt sæpe nepotes. Multus est, et forte nimius, in horum expositione D'Orvill. ad Charit. p. 589. sq. 'Nepotes' Paulo ad Festum, in voce, dicuntur 'luxuriosæ vitæ homines, quod non magis his rei suæ familiaris cura est, quam quibus pater avusque vivunt.'

406 sqq. *Quid cælo dabimus*] Argumenti vis et ratio in eo vertitur: Si tantum laboris, operæ ac pretii rebus inpendimus caducis, ut vel cum vitæ dispendio ad eas occupandas connitamur; cur non potius se quis totum huic sideralis scientiæ studio impendat? quo mundum animo complecti et Deus in ipso esse possit. Quod enim quæris Deus est (vs. 390.) Quanto autem et quam assiduo labore ac studio illud est omne venale! Hoc igitur *omne* notat universum, de quo Mela initio operis: *Omne* igitur hoc, quicquid id est, cui mundi cælique nomen indimus, unum est, et uno ambitu se cunctaque complectitur.

535 *Se quisque et vivit et effert*] Hoc *effert* sensu solemni de sepultura intelligendum. Cæcus et vivit et effert se funus quotidie. Mortuus enim vivens est. Propterea ait, cæcis genitis geminam mortem dari. Nam et vita quam vivunt mors est, quia sine luce: et mors altera, omnibus communis, eos quoque manet. *Malis hiscentibus*] Dictum pro ore leonis hiante.

553 *Et cæli post terras jura manebunt*] Hæc de apotheosi Augusti intelligunt interpretes fere omnes. Quibus sane non inviti accederemus, si ad libram illius referri genitura posset, quam capricorno Noster adscripsit supra II. 509. Itaque rectius de quovis alio judice et legislatore ista accipies, de quo venusta quidem allusione canere Vates potuit, cæli eum *jura* manere. Sed non minus probabilis videtur nobis lectio cod. Paris. *Et cæli post terras vita manebit.*

556 sq. *Junctisque juvencis Mœnia succinctus, &c.*] Videsis quæ de hoc mœnia describendi ritu supra diximus ad II. 775. 'jungere juvencos,' 'equos,' &c. solennis locutio. Vide Scheffer. de Re Vehic. II. 12.

569 *Ultimus in caudæ, &c.*] Pars posterior capricorni quæ oritur prior, hic dicitur *ultimus* s. extremus capricornus in summo cacumine caudæ, scil. quam sibi a pisce adscivit.

571 *Et vitæ discrimen inertis*] Sensum, salvo rectiore judicio, sic cape: Militiam sequi in ponto, puppesque colere, dura sunt ministeria, et quæ longissime distant a vita inerti.

584 Ad has genituras, quas exposuit hactenus Poëta, conferre omnino juvat, quæ viri docti notarunt ad Petron. Satyr. 39. versus finem.

595 *Similes mutato nomine flatus*] De his ex Favorini ore fusius disputat A. Gellius II. 22.

611 *Claramque Corinthum*] Eandem Cicero pro Lege Manilia cap. 5. 'tertius Græciæ lumen' vocat. Hæc quidem mari non adjacet, quin ab utraque Isthmi ora sexagenis distat stadiis; portus tamen habuit commodissimos Lechæum et Cenchreas. Conf. Tab. Geogr. apud Cellar. tom. I. e regione pag. 1099.

631 *Mille jacent, &c.*] Numerus definitus pro indefinito, eoque permagno. Sic poëtæ loqui amant. Exemplo præ ceteris est Ovid. Fast. IV. 113. 'Mille per hanc artes motæ,' &c. Ibid. vs. 275. 'Mille manus coëunt;' cum paulo ante dixisset, 'innumeræ cædunt pineta secures,' &c.

642 *Per altum*] Scil. mare, quod est Mediterraneum. Virgil. Æneid. VIII. 691. 'Alta petunt.' Stat. Sylv. III. 2. 6. 'Juvenis dubio committitur alto Metius.' Sic enim ibi legendum esse docent Barth. ad loc. et Gronov. Observ. II. 11. p. m. 298. Supra vs. 274. 'profundum' et 'pontus' Nostro synonyma, quemadmodum 'pelagus' et 'profundum' v. 42. sq. Græcis, et sacris præsertim, auctoribus eodem sensu *βάθος* usurpatur. D. Lucas v. 4. *ἐπανάγετε εἰς τὸ βάθος·* et translate Rom. XI. 33. *ὦ βάθος πλούτου.* Ubi quæ sequuntur, *ὡς ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ*, non de qualibet, vel maxima, profunditate, sed de maris profundo desumpta omnino videntur. Prorsus enim ita libri, sic dicti, Sapientiæ conditor v. 10. de nave fluctuosum mare transeunte *ἧς διαβάσης οὐκ ἔστιν ἴχνος εὑρεῖν.*

655 *Molles Arabas*] Tibullo II. 2. 4. 'tener Arabs,' quod doctiss. interpreti est *mollis*, convitio omnibus orientalibus communi; quod pluribus auctorum testimoniis, interque ea hoc Manilii, probatur in notis ad loc. cit. Addesis quæ infra dicemus ad vs. 754.

658 *Media illa duobus*] Sic explicant: Illa, h. e. Arabia, media est duobus sinubus, Persico et Arabico, de quibus modo loquebatur. Nimirum putarunt V. D. post hæc verba unum vel alterum versum decesse, cujus tamen defectus indicium plane nullum apparet. Quin potius videtur nobis, hæc cum sequentibus esse connectenda. Et ab hac sententia, nec precibus nec minis movemur, ut abeamus. Etenim provocabulum *ille* non semper respicit antecedens, sed de persona, vel loco, vel re insigni, et cujus pervagata est dignitas, usurpatur. Sic Cicero in Verr. I. 66. 'M. Catonem illum sapientem, clarissimum virum,' &c. Nepos Aristid. I. 2. 'a Themistocle labefactatus testula illa exilio decem annorum mulctatus est.' Male utatur otio, qui plures hujus rei producere testes velit. Itaque deleta post hec *duobus* interpunctione, non inconcinne verba sic nectes: Carthago illa, nostræ hem! urbis æmula, media duobus, sortita quondam regnum, &c. Dicitur autem Carthago *media* duobus non maribus, sed promontoriis quibus interjecta est, vel quod hinc mari, inde lacu maxima sui parte cingitur. Vide Strabonem apud Cellar. Geogr. Antiq. VI. De Africa propria IV. p. 152. et 156.

659 *Sub armis*] H. l. dictum pro, vi armorum. Quale quid etiam sonat, 'sub flore linguæ' v. 475. ubi *sub* loco per. Alibi hæc particula tempus notat, v. c. II. 3. coll. I. 764. Supra, 222. 'sub armis,' i. e. utroque adhuc in armis exercitu stante.

680 *Euxinique aspera ponti Æquora*] De aspero ponti Euxini ejusque accolarum ingenio legendum omnino

flebile Nasonis αὐτόπτου heu! carmen v. Trist. eleg. 10. supra quoque nobis excitatum Var. Lect. ad vs. 617. Simili locutionis genere usus Maro Æn. II. 780. 'Longa tibi exilia, et vastum maris æquor arandum.' Cui plane geminus ille Tibulli locus I. 8. 19. 'Utque maris vastum prospectet turribus æquor,' &c.

687 *Maxima terra viris, &c.*] Hæc non de Græcia solum, sed de universa, qua patet, Europa dicuntur. Alioquin statuas oportet, quo nihil absurdius, Germaniam, Hispaniam, Galliam, Italiam denique inter Græciæ provincias Nostro referri. Vides adeo, contra Manilii mentem hunc vs. altero, 'Princeps illa domus,' &c. fuisse interpolatum. Qui si Græciæ principatum tribuisset, civibus certe suis injuriarum fuisset postulandus.

688 *In regnum oris*] Idem quod supra vs. 194. dixit, 'regnum loquendi,' quod quidem Athenis olim floruisse, nemo est qui ignorat.

691 *Thrace Martem sortita colonum*] Illud *Thrace* Græcam iterum formam Θρᾴκη refert. Quam nec Horatius putavit spernendam II. Carm. Oda 16. 5. scribens, 'bello furiosa Thrace.' Virgilio 'Mavortia terra' audit Æneid. III. 13. non quod ibi natus Mars fuerit, quod persuadere nobis volunt interpretes Maronis pariter ac Manilii, cui Mars notanter colonus salutatur Thraciæ, quod ubi solutus fuit a Vulcano cum Venere implicitus, ille in Thraciam, hæc in Cyprum se contulit. Auctor Homerus Odyss. VIII. 360. sq.

692 *Et stupefacta Germania, &c.*] Salva aliorum sententia, nobis videtur hoc *stupefacta* sumendum pro in admirationem data: quo sensu supra I. 68. *stupefacta;* adeoque non sibi, ceu putat Scaliger, sed aliis, quibus illi Germaniæ proceri partus, quos 'ingentes' dicit Noster mox vs. 715. 'stupori' sunt, h. e. admirationi. Ita 'mirans' et 'stupefactus' de eodem Aristæo dicitur Georg. IV. 363. et 365. Germanorum proceritatem laudat præ ceteris Vegetius lib. I. cap. 1. pr. ubi plura Stewech.

701 *Humana figura*] Id est, quævis humani generis individua. Sic alias sæpe *figuræ* vocabulum additur ipsi, quod vocant, figurato. *Descripta* est accipiendum pro distributa, coll. I. 59. IV. 588. 742. V. 732. Sui Noster optimus interpres mox, vs. 711. sq.

703 *Exit*] Non significat, oritur, uti I. 836. et IV. 572. sed extenditur vel extendit se: coll. III. 261.

710 *Sic alias aliud, &c.*] Apodosis est, quam expetit duplex illa protasis, vs. 701. usque ad 703. comprehensa. Sententiam sic putamus esse concipiendam: Ac velut humanum genus dispositum est sub tutelam signorum, adeo quidem, ut præterquam quod totum cujusque hominis corpus signum habet tutelare, potiora quoque ejusdem membra sub hujus vel illius signi tutela censeantur esse: (namque aries capiti, taurus cervicibus hæret, i. e. præsidet, &c.) Sic terræ quoque partes alias aliud astrum sibi vindicat.

715 *Flava per ingentes, &c.*] Totam quam hic Auctor orditur tractationem, de variis gentium coloribus et moribus, commentario quasi illustrant Vitruvius de Architect. VI. 2. Alex. de Alexandro Genial. Dier. IV. 12. et Rhodigin. Antiq. Lect. XVIII. 20. De Germanis videndi Tacitus et reliqui auctores a Philandro laudati ad Vitruv. l. c. Quibus adde Vegetium supra nobis excitatum ad vs. 692. et Schedium de Diis Germanor. pag. 16. ubi hæc ipsa Manilii verba in rei testimonium vocat.

743 *Perfunduntque*] Metaphora ab aquarum infusione desumpta. Ejusmodi enim naturæ aër est, qui pro diversa cæli inclinatione vario homines modo afficit, corporisque pariter et animi ingenium sua, ut dicam, in-

fluentia format. Ad hanc vero rationem ista referunt οἱ φυσιολογοῦντες, qui missis astrologorum ineptiis, in rei veritatem inquisivere. Cicero de Nat. Deor. II. 6. 'An ne hoc quidem,' inquit, 'intelligimus, omnia supera esse meliora? terram autem esse infimam, quam crassissimus circumfundat aër? ut ob eam ipsam caussam, quod etiam quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus, hebetiora ut sint hominum ingenia propter cæli pleniorem naturam, hoc idem generi humano evenerit, quod in terra, hoc est, in crassissima regione mundi, collocati sint.' De his autem fusius et pro instituti ratione, curatius egit Vitruvius loco hactenus sæpe citato.

752 *In cancrum*] Pro, in cancro. Εἰς pro ἐν, cujus geminum exemplum supra lib. II. 222. et 719. coll. utroque loco notis. Redde, sub cancri ortu. Sic Noster supra II. 509. 'in Augusti felix cum fulserit ortum.' *Et tellus Ægypti jussa natare*] Vide quæ dicta nobis sunt ad vs. 725.

754 *Et molles Arabas*] Sic etiam supra Nostro cognominati vs. 655. ubi dicta, si velis, vide. Eodem cognomine Virgilio Sabæi, Arabiæ Felicis populi, veniunt Georg. I. 57. et Catullo, ad Fur. et Aurel. seu Carm. XI. 5. *Arabasque molles* pro *molles*. Ita vero dictos putat Fuscus ad h. l. quoniam thure et aliis abundant odoribus, vel, quia parum viriliter loquuntur, aut, quoniam sunt sub aëre clementiore.

779 *Et Libyam*] Pro *Africam*, quam sub cancri sidus alii referunt. Valer. Flaccus Argon. I. 194. 'Æstifero Libye torretur subdita cancro.' *Torretur* hic rectius quam *torquetur*, quod ex suo exemplari dedit Sitzmann. ad Boëth. lib. I. p. m. 46.

903 *Hic partus*] Non, totus homo: sed spiritus, quod declaratur his, qui cuncta regit.

935 *Augusto crescit sub principe cælum*] Ipse enim 'cælo post maximus auctor,' I. 893. *cælum*, collegium Deorum, uti lib. I. vs. ult. Confer ad eund. lib. vs. 764. De apotheosi viventis Augusti Sueton. in ejus vita cap. 59.

LIBER V.

3 *Quadrijugis*] Quia totius anni metas 'temporum quadriga' Phœbus percurrit. Savaro ad Sidon. p. 198. et Fulgent. Mythol. I. 11.

32 *Vir gregis*] Qui est aries. Dictio prorsus Maroniana. Ecl. VII. 7. 'Vir gregis, ipse caper, deerraverat.'

49 *Pelagus Xerxes facietque tegetque*] Idem fere supra III. 21. Ennius apud Varronem Ling. Lat. pag. 60. de Xerxe: 'Isque Hellesponto pontem contendit in alto.' Quæ imitari voluisse videtur Sidon. Apollinar. Panegyr. Majoran. vs. 452. sq. his verbis: 'tumidas cum sterneret undas Et pontum sub ponte daret.' Hæc vero, multum abest, ut ad illam sermonis sublimitatem emergant, qua quidem divinum prorsus ingenium, Manilii puta, Xerxis illa duo maxime stupenda molimina duobus itidem verbis complectitur: *pelagus faciet-*

que tegetque.

50 *Salamis non merget Athenas*] Intelligit Auctor bellum grave ab Cecropia gente cum Megarensibus propter Salaminen gestum, cujus illa diuturnitate defessa, 'lege pœnam sanxit capitalem, si quis rogationem ferret, vel referret iterum ad cives, de asserenda Salamine :' Plutarch. in Solone pag. 82. B. Itaque Noster, brevissimis licet, hanc struxit sententiam : Si non essent sub ariete nati navigatores, Syracusani non fuissent oppressi ab Atheniensibus, neque hi vicissim a Megarensibus, propter insulam Salaminiorum.

74 *Lupis*] In veterum glossis, annotante Barthio p. 131. lupi dicuntur quæcunque instrumenta ferrea, quibus aliquid attrahere possis ; ut unci, quibus vasa in puteos delapsa attrahuntur.

77 *Pronumque*] Proprium huic rei vocabulum. Vide præter auctores modo laudatos Sidon. Apoll. carm. XXIII. 351. et Savaronem ad loc.

Currus malignos] I. e. dubiæ incertæque spei, periculorum plenos. Eodem fere sensu Rutilius, 'sub tempestate maligna' I. 619. ubi vide Barth. eundemque ad Stat. II. Theb. vs. 498.

83 *Meta currere acuta*] Est, eam pene tangere, et solo acumine circumflexionis cavere et evitare, ne rota ei illidatur ; quare et extremum casum esse et ex eo suspendi spem inquit.

111 *Desudant*] H. e. hactenus sudant, laborant.

141 *Sexta parte sui*] Qui sunt gradus 5. Non autem *sexto gradu*, quem concepisse Firmicus videtur. Petav. Dissert. pag. 96.

151 *Atque odisse virum*] Eos notat, quos 'pœnitet esse viros,' qui proinde, ut ait Firmicus, 'alienos se a viris faciunt.' Plura Barth. l. c. pag. 1119.

164 *Nunc exire levis missas, nunc mittere palmas*] Sic ait, quia cæstus loris alligati palmis. Quod clarum facit Hieron. Mercurialis his Propertii verbis l. III. 'Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris.' Vide quæ porro ille in hanc rem edisserit in de Arte Gymnast. II. p. m. 152. sq. *Exit* active, et huic agoni fere proprium. Virgil. Æneid. V. 438. de Entello : 'Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.'

175 *Consurgunt jugulæ*] I. e. Orion, qui tam Chaldæis quam Romanis solstitiali die oritur, quod tempus a cordatioribus astronomis in prima cancri portione ponitur. Conf. not. ad III. 625. Ponted. § 5. et Turneb. Advers. p. 797.

193 *Et colare*] Elegans metaphora a medicamentis aut aliis speciebus, quæ percolantur. Sunt etiam *cola* in instrumento piscatorio. Auson. Epist. 21. 'Et jacula, et fundas, et vilica nomina lini, Colaque, et insutos terrenis vermibus hamos.'

206 *Cum vero in vastos, &c.*] De canis ortu ad hæc Nostri verba disserunt Petav. Dissert. II. p. 103. et Ponted. § 5.

208 *Et rabit igne suo*] Adhuc perstat in ea sententia Manilius, ac si caloris excessus non soli magis ac cani proprius esset. Hac enim ratione dixit *suo*, eadem notione, qua paulo infra, vs. 211. 'suis Neptunus in undis.' Quod addit 'geminatque incendia solis,' iisdem fere verbis docet scholiastes Germanici, qui 'Sirius,' inquit, 'stella est in medio centro cæli, ad quam cum sol accesserit, duplicatur calor ipsius, et languore afficiuntur corpora humana.' Contra vero Geminus apud Petav. Uranol. pag. 58. D. Confer Brodeum Miscell. lib. VI. cap. 28. et notam ad lib. I. 415.

213 *Peregrinos orbes animalia quærunt*] I. e. Alias regiones ardore solis et caniculæ minus graviter affectas. Ejusmodi peregrinatio ciconiæ cum sit fere propria et perpetua, perquam

eleganter illa 'volucris peregrina' salutatur Phædro I. Fab. 26. 11.

224 *Corda micant*] Id est, sine ordine moventur, quemadmodum aures equi, armorum quoquam sono perculsi, de quo Virgilius Georg. III. 83. sq. 'si qua sonum procul arma dedere, Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus.'

276 *Metallum*] Pro, metalli fodina, uti supra IV. 246. not. Ita vero vocat modo 'granaria subterranea,' de quibus Varro in lib. de Re Rust. et Harduin. ad h. l.

295 *Glebas et mittere virgis*] Gronovius Observ. III. 18. excussis aliorum hac de re sententiis, putat, *glebas* esse visci, quibus arundo lita est, et *glebas mittere*, viscatas virgas mittere, quas 'vimina viscata' et 'litas arundines' appellat Arbiter. His quod addam equidem non habeo, nisi forte locus hic quadret Gratii Cyneg. vs. 143. 'teretesque ferent ad sidera virgæ, Stringe notas circum, et gemmanteis exige versus.'

296 *Pendentemque suo volucrem deprendere cælo*] Notat aucupium sagittarum. Cicero de Fin. v. 11. de Philocteta: 'cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio sagittarum. Configebat tardus celeres, stans volantes.' *Suo cælo* Noster, ut sæpius supra, dicit pro assueto, patrio, quod de piscibus eleganter usurpavit infra vs. 394. *Pendentem* est volantem, et quasi in aëre natantem, quod etiam de pisce infra vs. 398.

303 *Major et armati, &c.*] Et hic versus, quemadmodum præcedens, de Philocteta intelligendus. Hic enim *gerebat pharetram Trojæ bellique*, i. e. belli Trojani. Habuit enim sagittas Herculis, sine quibus Ilium expugnari non potuit. Ille vero Trojam petens, in itinere vulneratus substitit. Noster, *subsedit exul*, scil. in insula Lemno. Unde vel *exul*, i. e. absens, *major erat armatis* Græcorum agminibus, quia sine illo nihil quicquam in expugnanda urbe potuerunt efficere.

303 *Major, &c.*] Nimia hic eruditione peccat Scal. et sententia per se facili tenebras offundit. Philoctetes major armatis, quia τοξόται, qui arcum gestabant, cetera inermes erant. Teucer et Menelaus apud Sophoclem: Μεν. Ὁ τοξότης ἔοικε μὴ σμικρὰ φρονεῖν. Τευ. Οὐ γὰρ βάναυσον τὴν τέχνην ἐκτησάμην. Μεν. Μέγ' ἄν τι κομπάσειας, ἀσπίδ' εἰ λάβοις. Τευ. Κἂν ψιλὸς ἀρκέσαιμι σοί γ' ὡπλισμένῳ. *Subsederat exul*; hæserat, cessaverat, substiterat in Lemno. *Bent.*

304 *Ille pater*] Alcon Cretensis, de quo Servius ad Eclog. v. 11. et Pius Annot. Syllog. III. 17.

333 *Noctesque tenebit*] Pro, detinebit. Vide quæ viri docti notarunt ad Ovid. Pont. IV. 10. 67.

385 sqq. *Totamve per urbem Qui gestant caveis, &c.*] Hunc locum verbis Divini Servatoris scite accommodat Pricæus ad Matth. x. 29.

395 *Serens*] Scil. se, ibit. Eleganter addit *alienis finibus*, quia mare, non cælum, propria est piscium sedes. Nolim tamen vs. præc. hoc *patrio* permutare cum *proprio*, quod tentavit Grotius ad German. vs. 602.

420 *Citis perlabitur æquora pinnis*] Delphinus enim *quamvis plena*, i. e. plenissima vento vela præterit. Auctor Plinius Hist. Nat. IX. 8. in cujus limine hæc: 'Velocissimum omnium animalium, non solum marinorum, est delphinus: ocyor volucre, acrior telo.'

453 *Antiqui verba Catonis*] Ad differentiam recentioris dixit. Et sane Cato major plura præcepit, ut *verba* merito illi dederit. Poterit etiam *antiqui* vocabulo notare intelligentem, probum, honestum, vitiorum censorem, virtutis sectatorem, individuum. Quæ quidem antiquitatis voce comprehendit Petronius, qui germanum in modum, 'At nos,' inquit, 'vino scortisque demersi, ne paratas

quidem artes audemus cognoscere, sed accusatores antiquitatis, vitia tantum docemus et discimus.'

456 *Et dominum*] Sic pædagogi pueris dicti. Ephebus ille apud Petron. cap. 86. fin. 'Rogo,' inquit, 'domine, ubi est asturco?' Alterum, quod sequitur, *dominus*, signat filium familias, qui pariter D. Paulo Gal. IV. 1. *κύριος πάντων ὤν*.

462 *Solemque reversum Et cæcum sine luce diem*] Confer prologum libri III. 18. ex quo hæc cum sequentibus repetita.

508 *Lapidumque vivos miscere colores*] Ex collatione versuum 511. et 518. liquide patet, *lapides* et præsente in loco, gemmarum sustinere notionem, quibus auro vel argento insitis, artifex *tenuem* vel *exilem* illam *materiam* multo reddit cariorem.

518 sq. *Perque caput ducti lapides, &c.*] I. e. gemmæ, margaritæ. Plinius H. N. IX. 35. 'Parum scilicet,' inquit, 'fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, totoque corpore a feminis juxta virisque gestarentur.' Lege eundem XXXIII. 1. et Schedium de Diis Germanor. p. m. 282.

524 *Naturam eruere omnem*] Proprium æque huic rei vocabulum *eruere*, ac effodere. Noster iterum vs. 534. Plin. XXXIII. 2. *Eruitur* aurum, et chrysocolla juxta, ut pretiosior videatur, non natura. *Effodere*, alterum vocabulum, ibidem paucis interjectis occurrit.

533 *Et coquet argenti glebas*] Alia rei metallurgicæ species, ab altera diversa, licet ab eodem forte aurilego exercita. *Glebæ* quæ in metallis fodiuntur alia atque alia metalla habent commixta, quæ coquendo separantur.

Venamque latentem] Continens pro contento, *argentum* scil. in vena latens. *Eruet* non jam e terræ visceribus, sed e sordibus et scoria eliciet. Sed maluit Noster proprio uti vocabulo, uti supra vs. 524. coll. not. Nullum ergo hic *ὕστερον πρότερον*, saltem nobis haud ita manifestum, quam visum est Salmasio l. c. p. 761.

534 *Et silicem*] Intelligit adamantem, gemmas, marmora, et hujuscemodi lapides pretiosos, qui silicem et duritie vel superant, vel certe æquant. *Rivo saliente*, i. e. ope molæ acuminariæ, vel in cote aquario, cui aqua desuper insilit, *liquabit*, i. e. limo purgabit, scalpet, fricabit, poliet pro lapidis natura et artificii ratione. Marmora quoque salientis in fissuras aquæ beneficio secantur facilius. Horum autem Auctor locupletissimus Plinius, non uno in loco. Vide quæ ad præsens institutum maxime faciunt, l. XXXVI. et XXXVII. passim.

545 *Hic Hymenæus erat*] Id est, hæc erat nuptiarum pompa, desponsatæ scilicet!

547 *Induiturque sinus*] Elliptica locutio, Græcorum imitatione per defectionem præpositionis *κατά*. Vide Lamb. Bos pag. 334. seq. ed. Leisner. *Non hæc ad vota*] Quæ dicuntur *nuptiæ*. Conf. adnot. ad IV. 527.

552 *Et cruce virginea*] Hæc *crux* pro suspensione in loco declivi et præcipiti. Vide Cruceum ad Stat. IV. Silv. 3. 28.

612 *In marmore*] I. e. in æquore. Dudum notarunt viri dicti ad Petron. cap. 89. vs. 34.

615 *Nupturam dote mariti*] *Dos mariti* h. l. est vita, quam non habebat, nisi eam dotis loco a marito accepisset, adeoque ne nubere quidem potuisset. In eandem sententiam Barthius quoque verba convertit. Putamus illa sic esse reddenda: nupturam non alterius magis quam ipsius mariti, Persei puta, gratia, i. e. redhostimenti loco se illi nupturam. Sic *dos* pro gratia vel redhostimento apud Ovidium, in eadem fabula, v. Metam. 15. ubi Cepheus ad Phineum, cui desponsata prius Andromeda, cum is

hastam in Perseum vellet emittere, 'meritisne hæc gratia tantis Redditur? hac vitam servatæ dote rependis?'

617 *Mercedem tanti belli*] Pro in mercedem, i. e. præmium justo titulo tributum. Conf. I. 377. Sumitur et in malam partem pro *pœna*; uti apud Petron. cap. 119. vs. 50. 'quare tam perdita Roma Ipsa sui merces erat sine vindice præda.' Ubi non est quod acutissimus Barthius ex allatis Nostri verbis doceat, eandem utroque loco vocis esse notionem. Alterum enim, *præda*, quid sit merces Petronio, satis lucide declarat. In cujus expositionis fidem vocare non dubitamus Phædrum a doctis Petronii interpretibus, non suo certe merito, neglectum I. Fab. 17. ubi ovis injuste damnata lupi testimonio, hunc postmodum in fovea jacentem conspiciens, 'Hæc, inquit, merces fraudis a Superis datur.'

618 *Pelagusque levavit*] I. e. et liberavit pelagus monstro non leviore quam erat illud Gorgonis. Vide sis quæ annotavimus supra ad IV. 684.

Vinctorum Dominus, &c.] Notat custodem carceris, qui *servat*, i. e. asservat, interdum *pœnis*, vel ad pœnas, *innoxia corpora*, i. e. corpora hominum innoxiorum, vel homines innocentes.

636 *Hic glomerabit equo gyros*] Virgil. Georg. III. 117. 'atque equitem docuere sub armis Insultare solo, et gressus glomerare superbos.' Hoc 'glomerare' Servius ad Æneid. IV. 155. exponit per glomeratim ire; quod Nostri quoque verbis accommodandum.

648 *Hinc*] Scil. ab Engonasi, quem putamus ipsum Orphea Nostro vel Ixionem fuisse. De illo videndus Hygin. Poët. Astron. cap. 6. p. m. 371. pr. De hoc Fulgentius Myth. II. 17. in epilogo: 'Ergo ostendere hic voluerunt, quod omnes qui per arma regnum affectant, subito erectiones, subito elisiones (i. e. dejectiones) sustineant, sicut rota, quæ stabile non habet aliquando cacumen.'

649 *Grassatorque venit*] Uti quoque Ixion ille, qui regnum affectans, Centauros, i. e. centum armatos, primus omnium conquisivit. Sed parvo tempore celere regnum adeptus, dehinc regno expulsus est: verba sunt Fulgentii l. m. c.

661 *Phocas*] Vitulos marinos, quos sic vocari scribit Plin. H. N. IX. 7. fin.

664 sq. *Luctantur rumpere nodos, &c.*] Thynnis reti comprehensis auxilio quasi venire solent gladius piscis et delphini, qui illorum irretito gregi ad se exuendum ex laqueis facultatem dant; delphinus etiam ad moliendas retibus insidias acerrimus, dentibus ea conficere novit. Vide rursus Ælian. Hist. Anim. XV. cap. 6. fin.

695 *Nunquam tincta vadis*] I. e. occidere nescia.

FINIS NOTARUM VARIORUM.

NOTITIA LITERARIA

DE

M. MANILIO.

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA,
A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, TOM. I. CAP. 18.

Manilii Ætas, et alii hoc nomine.

In auctore Astronomici, quod sub *Manilii* nomine editur, non una difficultas est, vix satis expedienda. Prima est in nomine auctoris: in quo libri scripti non multum adjuvant. Nam antiquissimus quidem, Gemblacensis, nullum nomen præscriptum habet: Lipsiensis *Arato Philosopho* inscribit: Vossianus *Marco Mallio Antiocho Pœno:* Cassinensis unus *C. Manilio Poëtæ illustri*: omninoque Mss. recentiores ne duo quidem inter se hac in re consentiunt. Tum vero nemo Grammaticorum veterum hujus libri mentionem facit, aut ex eo aliquid memorat, per quod in vestigia veri deduci possimus. Primus, quem quidem sciamus, sub *M. Manilii* nomine commemorat Gerbertus Epist. 130. in qua rogat amicum, ut sibi apographum *M. Manilii de Astrologia* curet. Unde certe patet, illis temporibus codd. scriptos sub hoc titulo ac nomine extitisse. In prænomine apparet etiam varietas: nam in Cassinensi est C. qui Bonincontrianus est, idque et in nummis repertum. Sed horum nulla est auctoritas, et ille codex Cass. non attingit ætatem Gerberti et libros unde illi hoc prænomen cognitum fuit. In ipso nomine varietas, cum *Mallius, Manlius,* et *Manilius* appelletur in libris, non est magni momenti: et ratio est pro *Manilio;* cum satis constet in libris scriptis nunquam *Mallii* aut *Manlii* nomen corruptum esse in *Manilius,* sæpe autem *Manilii* in *Manlius* vel *Mallius.*

Major difficultas est in auctore ipso ejusque ætate. Sunt, qui

faciant eundem cum *Manilio* vel *Manlio Antiocheno*, quem Astrologiæ conditorem et P. Syro mimographo parem facit Plin. XXXV. 17. Nempe, dum quærunt hominem apud veteres, facile quisque acquiescit in eo, quem reperit huic similem. Alii cum incidissent in *Manlium* Mathematicum apud eundem Plin. XXXVI. 10. qui pilam dicitur imposuisse obelisco, ab Augusto posito in Campo Martio, hunc esse auctorem putaverunt, Mathematici nomine moti: sed auctor Astronomici non necessario Astronomus et Mathematicus professione fuit: quippe nec Aratus fuit, ut nec Celsus Medicus; et peritiores deprehenderunt quædam in libro illo, quæ arguerent hominem non satis doctum in astronomicis. Nec ipsum nomen *Manlii* apud Plinium certum est. Harduinus quidem id adeo delevit, cum in nullo codice scripto reperisset, quod et Pintiano accidit: nec pronuntiare de ea re audet ill. Rezzonico in Disq. Plin. p. 201. ubi hunc Plinii locum ex instituto tractat erudite, ut solet, etsi in codd. Ambros. et ed. pr. nomen *Manlii* reperit: quod et nos in ceteris primis reperimus, nisi quod in Rom. secunda vitiose est *Mannius*.

Sed si maxime certa illius loci lectio est, tamen inde nihil certi est pro nostro Manilio; quippe non est in eo aliquid proprium Nostro, unde ille agnosci possit, unde et ætas ejus constitui. Et sunt, qui eam ad Constantianum vel Theodosianum sæculum detrudant, ut Gevartius ad Stat. Silv. p. 186. qui eundem cum Theodoro Manlio faciebat, in cujus consulatum scripsit Claudianus: quod et aliquando placebat G. J. Vossio, qui tamen sententiam post mutavit; argumentis haud sane satis idoneis, ut bene judicabat Bentleius: vid. præfat. ad ed. Bentl. pag. xii. Idem videbatur Jac. Gothofredo in notis ad veterem expositionem mundi pag. 25. Paganino Gaudentio in Disp. Hetrusco sermone scripta, qua causam poëtarum agit, a Platone e Rep. sua ejectorum: item Tan. Fabro ad Lucret. VI. extr. Causa erroris oblata est a Claudiano, qui Manlium Theodorum etiam propter siderum scientiam laudat. At hic de sideribus, non carmine, sed sermone prosaico scripsit, ut ex ipsis Claudiani verbis colligi potest, v. 251. ubi ipsius 'sermonis mella politi' blandis Orphei carminibus præfert: quem librum etiam prosaico sermone scriptum adhuc extare in bibliothecis, testatur Salmasius præf. ad Ampelium p. 9. voluitque edere Phil. Jac. Maussacus: add. Huetium ad Manil. p. 84. seq. Ruperti Epp. ad Reines. p. 600. Alb. Rubenium in Diss. de Vita Fl. Manlii Theo-

dori p. 27. De hac tota causa expectamus Dissertationem ill. Rezzonici promissam eo, quo diximus, loco. Maxime quidem ex carmine ipso l. I. 7-10. 13. 443. 794. sq. 698-700. l. IV. 763. probabilis videtur eorum opinio, qui operis hujus auctorem ad Augusti ætatem referunt, qui sunt plerique. Idem Bentleius putabat, auctorem fuisse aliquem ex Asia peregrinum, cujus nomen esset incertum, etsi hoc certum esset, eum Augustei ævi fuisse. Huetius Carthaginiensem fuisse putabat, nescio quibus argumentis, ut traditur in Memoriis Trevolt. a. 1709. p. 1426.

Opus autem ejus non integrum superstes. Scaliger quidem ad l. v. p. 348. notat, periisse librum secundum sphæræ barbaricæ, et suffragia planetarum, hoc est, librum sextum et septimum. Sane de occasu siderum et planetarum viribus se dicturum aliquot locis promisit. Ingenium poëtæ, qui res tam tenues tam apte exornare potuerit et illuminare, laudat merito Scaliger, etiam ejus exordia et digressiones; adde descriptiones, ut funambuli, &c. Estque adeo propterea dignus qui legatur, etsi in rebus Astronomicis non magis expers est peccatorum quam Aratus. Sed Racinius in Comm. de Poëmatibus Dogmaticis, in Hist. Acad. Reg. Paris. Inscriptt. vol. VI. ex interpr. Germanica p. 135. de vi Manilii poëtica parum honorifice sentit, eumque pæne eximit poëtarum numero. Fati astrologici defensorem fuisse, multis locis patet. Vitia orationis, propter quæ maxime videbatur Gevartio et aliis serioris ætatis esse, pleraque sublata sunt crisi Bentleiana.

RECENSUS EDITIONUM

M. MANILII,

AUCTIOR FABRICIANO

ET IN ÆTATES III. DIGESTUS.

[EX ED. BIPONT. 1783.]

ÆTAS I. AUTOGRAPHA ET GENUINA, 1472—1566.

cujus princeps est Joannes (Müller) Regiomontanus, qui, allato ex Italia Manilii, a Franc. Poggio primum an. 1416. detecti, apographo, (ut videtur, autographi certe similis, unde natus est codex Manilii Regius Parisiensis illius) sinceram lectionem, haud multis locis a se correctam Norimbergæ an. 1472. primus edidit. Mox Laur. Bonincontrius Miniatensis Florentinus, accepto ab Antonio Panormitano codice, (hodie Cassinensi, qui est recentior,) eundem cum notis edidit. Emendatiorem dein an. 1489. ex unico eoque mendoso exemplari, sed sua correctione dedit Steph. Dulcinius. Exiit decennio post cum aliis Astronomorum libris ex officina Aldina, Dulcinium forte secuta. Quæ an. 1510. prodiit Romana II. partim congruens cum codd. Gemblacensi optimo omnium, et Lipsiensi, qui ab eo proximus, partim ab iis dissentiens. Hervagiana Aldinæ filia videtur. Sed finem ætati imponit optima Lugdunensis an. 1566. cujus curator codice usus est Ms. haud absimili Regiomontaniano et Parisiensi, multa emendavit et interpunctione præ ceteris consuluit Manilio.

1472 Editio princeps Regiomontani Norimbergensis. Omni præfamine omisso incipit: 'M. Manilii Astronomicon Primus.' In fine leguntur versus, quibus Joannes Regiomontanus hanc quasi obsignavit editionem :

Ridetur merito sciolorum insana caterva,
Vulgo qui Vatum nomina surripiunt.
Heus quicunque velis Latia perdiscere Musa
Sydereos nutus fallere difficiles,
Manilium sectare gravem, qui tempore divi
Floruit Augusti. Lector amice vale.

Ex officina Joannis de Regiomonte, habitantis in Nuremberga, oppido Germaniæ celebratissimo. 4.

Ad hunc certe an. referendam esse omnium Manilii primam, asseruit Jo. Gabr. Doppelmayer in libro, Historische Nachricht von den Nürnbergischen Mathematicis und Künstlern, Nürnberg 1730. fol. p. 9. evidentissimis argumentis evicit ejus olim possessor clarissimus C. G. Schwarzius, Prof. Altorf. in Comm. de prima Manilii Astronomicorum editione a Joanne Regiomontano Norimbergæ vulgata p. 7. Altorf. 1764. Fabricius, an. 1473. eidem assignat in Bibl. Lat. medii ævi vol. IV. p. 356. et Hoogstratenio Groot Woordenb. Art. Regiomontanus, præeunte in Catal. Bibl. Hemmonis Arn. Werumei, Icti Grœningani 1783. edito, impressa dicitur an. 1471. Prædicatur autem ab Elia Stoebero, qui eam in edendo Manilio suo adhibuit, in præf. p. 12. sq. ut 'ceterarum edd. præstantissima, tanquam ab eo adornata viro, qui Mathematicarum et in his Astronomicarum peritia vel ipso Manilio major, in describendo ejus carmine usus videtur exemplo scripto pervetusto, lectione sincera, nec locis adeo multis ab editore correcta, quod ex illius comparatione cum codice Parisiensi colligo, qui fere ubivis eandem servat lectionem.' Spernenda igitur est temeritas Aristarchi illius gloriosi Rich. Bentleii, qui, uti missas sibi a cel. Montefalconio lectt. varias codicis Paris. quamvis apographi ac recentioris sprevit, libidini suæ conjiciendi adversarias, ita nec editionem principem consuluit, e qua pristinus Manilio splendor redderetur.

1474 Bononiensis Bonincontrii: 'Marci Manlii poëtæ clarissimi Astronomicon ad Cæsarem Augustum libri; Aratus Germanici ad Augustum: impress. per me Ugonem Rugerium et Dominum Bertochum. Bononiæ, die vigesima Martii MCCCCLXXIV. fol.' Ita quidem legitur in notitia scriptorum præcipuorum vernaculo sermone conscripta editaque Lemgoviæ 1756. tom. I. p. 582. ex Maittairii Annal. Typogr. t. I. p. 336. tum in Burii Bibliographia Instruct. qui tamen se eam nondum vidisse fatetur; unde de ejus raritate constare potest. Atque hæc est prima Laurentii

Bonincontrii[a] Miniatensis Florentini, qui Manilium ex cod. vetusto castigasse se professus addidit Commentarium. Sed codicem illum, qui Cassinensis est, hodie constat esse recentem. De commentario autem Jos. Scaliger ad Manilium l. v. p. 406. ed. Bœcler. 'Quibus Bonincontrius in Manilium potest satisfacere, illis ego nunquam mirabor nostra displicere: quia ab illis neque confessionem ab ingenuitate, neque sensum literarum a genio eorum exigimus.' Hæc pro fastu suo Scaliger dixerit, uno Gemblacensi codice antiquiori suoque ingenio fisus; habet tamen Bonincontrius sua bona, cf. v. g. Stoeberum ad Manil. l. II. v. 112. Christi. Daumius certe in ep. IX. ad Reinesium p. 28. edit. Jen. 1670. scribit: 'Jos. Scaligero nihil de Bonincontrio constitit, cum primum Manilium ederet; nec ejus Rerum Cœlestium libros (quos habeo in 4. excusos) vidisse autumo, quando secundo Manilium edidit, cum ne semel quidem horum meminerit. Quod si habuit, aut vidit eos, fastus ille — confirmatur.' Ceterum errarunt Th. Crenius s. Crusius Animadv. Philol. Hist. et Crit. P. XII. ubi pluribus sed confuse de Manilio ejusque edd. egit, p. 9. hanc Bonincontrii primam an. 1484. Florentiæ impressam narrans, et post eum Fabricius in prioribus quinque edd. Bibl. Lat. qui tamen hæc rectius profert in Bibl. med. Lat. t. I. p. 714. et anno 1484. geminam Bononiensis repetitionem factam tradit.

1484 Romana I. Bonincontrii II. repetitio prioris at parum integra, ut observavit Apostolus Zenus Diss. Vossian. P. I. p. 43. sq. cf. Laire Spec. p. 257. Recensuit eam quoque Bentleius in præf. sed per totum opus arroganter neglexit.

— Florentina ejusdem; quam fide Fabricii l. c. adducimus.

s. a. et l. Romanæ proxima videtur Bentleio, in Italia facta, cujus exemplum in Bibl. Reg. Londinensi est.

1489 Mediolanensis Dulcinii: 'Manilii Astronomicon — impress. inclyta Mediolani per Antonium Zarotum Parmensem MCCCCLXXXVIIII. quinto Idus Novembris. fol.' Sic Hambergerus l. ex Maittairii Ann. Typogr. t. I. p. 508. qui præterea affert: 'P. Stephanus Dulcinius Scalæ canonicus M. Rolando Palavicino

[a] Etiam Bonincontrium hunc poëtica vena valuisse, patet ex ejus libris tribus Rerum Naturalium et Divinarum, scriptis carmine heroico, qui lucem viderunt Basileæ 1540. 4. In hunc Bonincontrium Grammaticæ Mantuanum Professorem, carmen Alberti Mussati inter hujus Epp. versibus scriptas p. 50. t. VI. Thes. Scriptt. Ital. P. II. cf. Fabricii Bibl. Lat. med. et inf. Lat. t. I. p. 713. sq.

Marchioni equiti et senatori illustri — Hoc opus — a barbarie et erratis correctione nostra pæne vindicatum, quantum ex unico et quidem mendoso exemplari licuit, emendavimus, emendatumque trecentis ferme locis typographo tuo nomine imprimendum tradidimus,' &c. Porro: ' P. Stephanus Dulcinius elegantissimum hoc Manilii opus pro ingenii imbecillitate trecentis locis emendavit; quæ autem ambigua videbantur, intacta reliquit. Doctores reliquum addant.' De Dulcinio videndus Saxius in Hist. Typogr. Liter. Mediol. p. CCCXI. quo teste etiam in præf. dicit, se codices Manilii scriptos habuisse acceptos ab Hieronymo Torniello. Extabat quoque hæc editio in Bibl. V. C. du Boze. Repetita autem Venetiis 1499. memoratur Fabricio: sed a nemine editorum recentiorum, quod sciamus, collata; nisi sit ipsa Aldina.

1499 Mediolanensis II. Dulcinii per Zarotum fol. quam indicavit Venet. Paulus Paciaudi, regalis Ducis Hermensis bibliothecarius, Eliæ Stoebero, quem vide in præf. Manilii p. 19. Nemo autem Dulcinianas contulit.

— Aldina, inter Scriptores Astronomicos: Jul. Firmici Astronomicorum libri VIII. Manilii Astronomic. libri V. Arati Phænomena interpr. Germanico Cæsare e. Comment. Ej. Fragmentum Cicerone interpr. Ej. Phænomena Avieno interpr. Eadem Græce. Theonis Comment. in Aratum, Græce. Proclus de Sphæra, Gr. Lat. per T. Linacrum. Venet. in Æd. Aldi. MCDXCIX. fol. Extabat in Bibl. Zechiana, teste Cat. Lips. 1780. edito. A paucissimis Manilii interpretibus usurpatam observat El. Stoeberus in præf. p. 17. sq. cui neque Aldus Regiomontani librum, nedum probæ notæ scriptum expressisse videtur, sed veterem editionem, forte Bononiensem, vel Romanam, cui fere ad amussim respondet. Quidni Dulcinianam imitatus sit?

1510 Romana II. M. Manilii Astronomicon noviter et diligentissime emendatum. Romæ apud Mazochium, 4. qua nec Scaliger nec Bentleius usi sunt, sed El. Stoeberus, cui eam utendam miserat clar. Ernestius. Textus ejus consentit cum Ms. Paullino Lipsiensi; sed habet et lectiones ab eo et Scaligeriano h. e. Gemblacensi diversas, testante ipso Ernestio ad Fabricium.

1533 Basiliensis I. in Hervagiana Nic. Pruckneri collectione Astrologicorum Scriptorum veterum, (Julii Firmici, Cl. Ptolemæi ex Græco Latini, et ex Arabibus et Chaldæis Hermetis, Bethem, Almansoris, Zahelis, Messahalah Omar,) quorum agmen claudit

Marci Manilii poëtæ disertissimi Astronomicon lib. v. Basileæ ex officina Joannis Hervagii, mense Martio, anno MDXXXIII. fol. Prucknerum tantum Julium Firmicum 'emendatum, quoad licuit,' denuo edendum sibi sumsisse et titulus et ep. dedic. ad Othonem Brunfelsium significat. Manilii autem textum ex Aldina repetitum esse colligimus ex epilogo post finem quinti et ultimi libri. Is enim est ipsius Aldi; unde ex ea nihil propriæ laudis habet Prucknerus. Est penes G. C. Crollium Prof.

1551 Eadem repetita ibid. fol.

1566 Lugdunensis Molinii: Marci Manilii poëtæ clariss. Astronomicon ad Cæsarem Augustum. Lugduni apud Joan. Tornæsium typographum regium. 12. In ep. dedic. nobiliss. viro Ponto a Tiardo Caronomeo inscripta Antonius Molinius Matisconensis inquit: 'Cujus (Manilii) lectione mirifice oblectatus non potui non singula quæque exactiori trutina ponderare. Verum cum difficilia quædam, aut forsan ab auctoris ingenio aliena temporumve injuria depravata offendissem, vetustum codicem nactus cum impressis, qui jam vulgi manibus teruntur, contuli, judicioque doctorum quorundam amicorum adhibito, collatis exemplaribus, limam qua fieri potuit diligentia addidimus: ut jam emendatiorem Manilium quam antehac unquam in lucem proditurum certo affirmare possim.' Aldina quidem, cui et Romana II. consentit, basis fuisse videtur hujus Molinianæ: sed passim hæc ab illis abit; maxime meliori interpunctione. Codex quo usus est, si quidem fuit vetustior, consensit cum Parisiensi recentiori fere ubique; adeoque hæc editio etiam multa communia habet cum Regiomontana. Manil. II. v. 88. Moliniana hæc a codd. Ms. et libris principibus, qui constanter habent, *Quod titulus felix*, in diversum legit, *Cui titulus Fœlix*. Elias quidem Stoeberus in præf. Manilii ex hac editione, quam licet ætate ceteris inferiorem et formæ habitu omnium minimam, longe tamen illis præstantiorem accuratione et ingenio sui auctoris vocat, serius sibi oblata duabus postremis tantum plagulis, quantum inde profecerit, plus uno loco demonstravit. Ceterum Molinius antiquos accusativos III. decl. in *is* longum, qui obsident veteres edd. etiam Brucknerianas, correxit in *es*, quo minus ambigua foret lectio. Est penes Crollium.

ÆTAS II. AMBIGUA SEU SCALIGERIANA, 1579—1739.

a Jos. Scaligero, qui curis suis primis, secundis, et tertiis in Manilium collatis, tantum præcellit priores, quantum a cod. omnium antiquissimo et optimo, Gemblacensi, et a judicio adjutus fuit; quantum vero ingenio quamvis doctrina alto, confisus est, præter fas Manilium, ut suum, vel contaminasse vel lacerasse censetur, etiam Julio Ponteders Prof. Patavino in ep. ad Maranum de Manilii Astronomia et Anno Cœlesti. Non alio quidem opere magis sibi placuit ille, quam notis in Manilium, ac maledixit adeo Franc. Junio, qui novas lectt. ex cod. Palat. et notas Scaligerianis junxerat; nec tamen in alio sæpius hallucinatum judicat Huetius l. v. Commentt. de rebus ad se pertinentibus p. 291. Inter Scaligerianas Manilii eminet Bœcleriana, quæ tertias Scaligeri curas cum novis Th. Reinesii et Ism. Bulliàldi animadv. exhibet. Supervenere dein huic Mich. Fayus, editionis in usum Delphini curator, et, qui ei suas notas adjunxit, adversarias maxime Scaligerianis, Dan. Huetius.

1579 Scaligeri I. M. Manilii Astronomicon libri quinque ex recensione et cum Commentariis Jos. Scaligeri. Lutet. apud Mamertum Patisson, in officina Rob. Stephani. 8.

Primam hanc ad editionem jam refertur Jo. Conr. Dieterici judicium in hist. Augusti Imp. p. 9. ‘Credas, notas illas a primo ætatis fervore extrusas: adeo scatent castigationum facilitate.’ Trajectiones in Manilio sine necessitate hariolantem perstringit Salmasius ad Jus Atticum p. 408. qui sæpius ab Scaligeri sententia in interpretando Manilio discessionem facit in commentario ad Solinum et libro de Annis Climactericis. Sæpius Scaligerum reprehendit D. Huetius in notis suis. Julius tandem Pontedera in ep. ad Andr. Maranum scripta de Manilii Astronomia et Anno Cœlesti, quam Stoeberus præfationi Manilii sui subjunxit § v. et vI. p. 37 sq. exemplis comprobat, eum conjiciendo vel a Manilio aberrasse, vel trajectionibus carmen lacerasse, divulsaque sic membra male rursus conglutinasse: non tamen eripere Scaligero cupiens laudem multorum in melius restitutorum. Ac sane, quicquid sit de peccatis Scaligeri, primus operæ pretium fecit in Manilio emendando et explicando: estque plenus bonæ frugis commentarius.

1590 Scaligero Juniana, seu Santandreana s. Commeliniana:

'M. Manilii Astronomicon libri quinque cum Commentario Jos. Scaligeri. Lectiones variæ e Ms. Bibliothecæ Palatinæ et aliis, cum notis Franc. Junii. Ex officina Santandreana, 8.' Sic legitur in Catal. Bibl. Leidensis p. 493. (quod exemplum cum Ms. Collegii Corp. Christi Oxon. collatum legato Jac. Perizonii in illam transiit) et in Catal. Bibl. Uffenbach. t. I. inter poëtas vet. p. 697. n. 38. Successerat autem in Petri Santandreani officinam Lugduni B. Hier. Commelinus. Unde Thuanus Hist. sui Temp. l. CXIX. p. 817. 'Hieronymus Commelinus alias Santandreanus dictus, natione Gallus, qui, translato e patria Genevam primum, dein Heidelbergam, domicilio, rem literariam multum juvit editis tum veterum Græcorum plurimis nunquam antea editis monumentis, tum Athanasio inprimis et D. Chrysosthomi magna operum parte, in quibus ex propria industria multum contulit, et immatura morte hoc anno 1597. exeunte nobis ereptus, filiis eandem curam quasi hæreditario jure demandavit.' Unde cum Hier. Commelinus ab an. 1586. Heidelbergæ sedem fixerit, patet hanc Commelinianam Heidelbergæ vidisse lucem, neque adeo, quod innuere videtur Stoeberus in præf. Man. p. 19. not. 11. Fabricium errasse, qui eam hoc anno apud Commelinum prodiisse scribit. In Thuanæ Bibl. Catal. P. II. p. 110. eadem ed. Commelino assignatur; et in Catal. Bibl. Ludewig. n. 12719. Heidelbergæ, quamvis in anno 1580. erratum fuerit, excusa dicitur. Est vero quasi alter tomus libri: 'Astronomica veterum scripta Græca et Latina ex off. Santandreana 1589. 8.' Quod ad Scaligeri Comm. attinet, is est ex Scaligeri I. expressus. Quam impatienter autem hic tulerit amici, Fr. Junii, collationes cum Ms. Pal. notasque, lege apud Th. Crenium Animadv. Philol. P. XII. p. 11. sq. Junius certe multa itidem præclare observavit: 'quod cum Scaliger in suis ad Manilium (curis secundis) dissimulavit, in eo candorem requiro,' inquit Vossius Epist. XXIV. ad Grotium p. 82. edit. Augustan. 1691. fol.

1600 Scaligeri II. auctior s. Plantiniana: M. Manilii Astronomicon ex emendatione Jos. Scaligeri et cum notis et commentariis auctioribus. Lugduni Bat. ex offic. Plantin. 4. c. figg. In Cat. Bibl. Thuan. P. II. p. 110. annus ei assignatur 1599. Repete huc, quæ ad priores editiones duas et Scal. I. et Commelinianam attulimus.

1655 Scaligeri III. a curatore suo dicta vulgo Bœcleriana: Astronomicon a Josepho Scaligero ex vetusto codice Gemblacensi

infinitis mendis repurgatum. Ejusdem Jos. Scaligeri notæ, quibus auctoris prisca astrologia explicatur, castigationum causæ redduntur, portentosæ transpositiones in eo auctore antiquitus commissæ indicantur: nunc primum ex codice Scaligeri, quem sua manu ad tertiam editionem præparaverat, plurimisque accessionibus suarum curarum locupletaverat, post longas moras latebrasque in lucem publicam cum auctario tam nobili restitutæ. Accesserunt quædam clarissimorum virorum, Thomæ Reinesii et Ismaelis Bullialdi, animadversiones. Argentorati, sumt. Jo. Joach. Bockenhofferi. 1655. 4. Cl. Harlesius P. II. Lit. Rom. fallitur in an. 1644.

1679 Fayo-Huetiana: M. Manilii Astronomicon, interpretatione et notis ac figuris illustravit Mich. Fayus in usum Ser. Delphini. Accesserunt Petri Danielis Huetii animadversiones ad Manilium et Scaligeri Notas. Parisiis apud Fred. Leonard. 4. Est hæc editio inter illas in usum Delphini e melioribus; passimque Fayi lectio abit a Scaligeriana: magis vero Huetius notas direxit adversus Scaligerum. Huetium novas etiam notas et var. lectt. exemplo suo ascripsisse testantur Jesuitæ Parisienses in Memoriis Trevoltinis 1709. mense Augusto p. 1426.

1713 Maittairiana in Opp. et Fragm. vet. Poët. Lat. Londini fol. t. I. p. 758. sqq. tota est expressa ex Scaligero-Boecleriana.

1731 in Corp. Poët. Latin. Mediolani tom. XVI. et XVII.

ÆTAS III.

deformata ab aggressione Richardi Bentleii, Angli, critici quidem instructioris, sed et tam gloriosi quam audacis; de cujus opera Frid. Otto Menckenius in Miscell. Nov. Lips. vol. I. p. 358. ad epist. Guil. Cavei subnotavit judicium, cui et nos subscribimus: 'Vides, Lector, annos fere XL. a Bentleio in edendo Manilio desudatum; ut hinc spem conceperint eruditi, opus tandem proditurum esse tale, quale adhuc orbis criticus non viderit. Jam cum manibus nostris expectatus diu liber tenetur, haud pauci sunt, qui vix centesimam spei suæ impletam esse partem, conqueruntur.' Fecit quidem pervulgatum viri nomen, ut ejus lectionem a vera Manilii longe detortam bibliopolæ duo, alter Basiliensis, alter Argentoratensis, repeterent. Tantum vero abest, ut eam cum B. Ernestio in Bibl. Lat. Fabriciana tom. I. p. 504. extr. et sq.

omnibus longissime præferendam censeamus, ut potius Justino Vierschrotio, Manilii vindici adversus Bentleium, seu qui ejus apparatum ad edendum Manilium Ms. usurpavit, Elisæ Stoebero, præterea novis subsidiis instructo, notarum in Manilium Argentoratensem scriptori, Scaligeri et Bentleii conjiciendi præter codices libidinem sæpissime confutanti, in tantum accedere oporteat, quantum ipsi justis aliorum præsidiis muniti videantur.

1739 Bentleiana: M. Manilii Astronomicon ex recensione et cum notis Rich. Bentleii. Londini, typis Henrici Woodfall, sumtibus Paulli et Jacobi Vaillant. Usus ille est lectionibus codicis Gemblacensis, cod. Paullini Lipsiensis, cujus varietatem Godefr. Richterus (vide hujus Specimen Obss. Crit. Jenæ 1713.) ipsi an. 1709. miserat, Veneti et Vossiani, quos codd. plerumque inter se consentire tradit: porro Pithœani var. lectt. et codd. quatuor aliis recentioribus: denique edd. antiquis Bononiensi et Romana Bonincontrii, Itala s. l. et a. et recentioribus omnibus. Abusus vero etiam est ingenio suo dictatorio: unde textus Manilii corruptior quam correctior evasit. Addita est orbis cœlestis tabula e Marmore Farnesiano, cujus editionem promiserat Blanchinius in Diss. de Kalendario et Cyclo Cæsaris, allata Roma a Martino Foulkes. Valkenarius quidem illum vocat felicissimum fraudum in Manilio repertorem, in præf. ad Virgilium cum Græcis collatum p. xiv. Sed facilius concesserimus Jac. Phil. D'Orvillio, qui in Animadv. ad Charitonem pluribus locis contra ejus emendd. disputat, et Manilium ipse vel emendat, vel illustrat, Adr. Heringæ, qui in Obss. Crit. libro singul. Leovardiæ 1749. edito c. ix. Manilii loca quædam vel defendit a Bentleii correctione, vel ipse emendat, Justino Vierschrotio, vel qui ejus ingenio et doctrina usus est Elisæ Stoebero, Manilii editori, de quibus supra diximus et infra pluribus agemus.

1740 M. Man. Astron. libri v. ex recens. Rich. Bentleii, editio in usum scholarum accommodata. Basil. 8.

1743 Patavina: M. Man. Astr. libri v. a diversis illustrati. Patavii, 8. per Jos. Cominum. Sequitur textus Scaligeri et Fayi lectionem, neglecta Bentleiana. Addita est Jul. Pontederæ epist. de Manilii Astron. et Anno Cœlesti (ex illius Antiqq. Lat. et Græc. enarrationibus Patavii 1740. 4.)

1767 Argentoratensis: M. Man. Astronomicon ex recensione Rich. Bentleii, cum selectis variorum ac propriis notis. Præfa-

tioni subjuncta varia de Manilio judicia, &c. Julii Pontederæ Epistola de Manilii Astronomia et Anno Cœlesti. Cura et studio M. Eliæ Stoeberi. Argentorati, sumtibus Amandi Kœnig bibliopolæ MDCCLXVII. 8. Textus Bentleianus jam pro bibliopolæ judicio excusus erat, antequam Stoeberus, Argentor. dein Professor, ad notas scribendas invitaretur, ut ipse in præf. monet. Notæ ad intelligentiam verborum et rerum pertinent, sed vel inprimis ad emendationem textus, ejusque vindicias adversus Scaligeri, maxime Bentleii importunas conjecturas, ipsæ tamen a conjecturis novis haud immunes. In qua re usus est Excerptis Ms. Lips. collati cum exemplo Bœcleriano a Gotl. Corte, et Ms. regio Paris. ab ill. Capperonerio sibi summisso, recentiore quidem, sed minime spernendo, ut a Bentleio factum, qui ejus lectiones a Montefalconio acceptas vix commemorare dignatus est. Ex editionibus primus ille in hoc negotio usurpandam editionem Regiomontani s. principem accepit a clar. Chr. Gottl. Schwarzio Prof. Altorf. et Romanam alteram quam ei miserat clar. Ernestius; præterea Aldinam, Hervagianam II. et serius sub finem operis Lugdunensem Molinii. Denique etiam habuit apparatum ad novam editionem et libros observationum s. Noctium Gothanarum Justini Vierschroti,[b] viri eruditissimi, unde tantum profecisse videtur, ut omnino Commentarium huic editioni adjectum vocare liceat Vierschrotio-Stoeberianum. Ejus enim notas s. excerpta perinde ut illas a Pe-

[b] De quo Stoeberus in præf. p. 8. sq. hæc affert: 'Justinus Vierschrot. vir elegantiorum litterarum plenissimus, Matheseos juxta Legumque consultissimus, Ser. Ducis Saxo Gothani Secretarius heu! quondam et Archivarius, anno superiore (1765.) præmaturo defunctus fato, reliquit Apparatum locupletissimum novæ, quam molitus est, Manilii et ceterorum hujus familiæ poëtarum editionis: præterque hunc Observationum Criticarum libros tres uno modicoque volumine comprehensos, quos placuit ipsi inscribere Noctes Gothanæ. His quidem prelo jam aptatis, varia veteris Græciæ Latiique Scriptorum loca, Manilii non pauca, sive difficiliora illa sive ab aliis sinistre accepta, vel a Dictatore Britanno proscripta emendantur, vindicantur, illustrantur. Apparatus autem adversaria continet e politioris eruditionis fontibus hausta et suo quæque in vulgata Scaligero-Bœcleriana loco digesta; collecta magis ac selecta, necdum judicio critico, vel quo uti satius, logico subacta; commodissima tamen propter uberrimam locorum parallelorum copiam, quibus vel locutiones Manilianæ Latinitati probæ asseruntur, vel auctoris aut veterum ac recentiorum interpretum aut sua denique ipsius sententia proposita expendi ac probari, vel, si qua minus adæquata, refelli possit. Variantes quoque in codice Ms. Lipsiensi lectiones sedulo, et si quisquam alius, accurate Cl. Vierschrotus annotavit. Qua quidem opera insignem in modum me sublevavit in lapide hoc movendo sudantem.' Laudat dein Regalis Ducis Parmensis summam bonitatem, qui suadente viro ven. et doctissimo, Paulo Paciaudi, Bibliothecario, ista Vierschrotianæ doctrinæ atque industriæ monumenta coëmit, utendaque dedit Stoebero, finito opere in bibliothecam Parmensem inferenda.

tavio, Salmasio, Carrione, Barthio, Turnebo, J. F. Gronovio, Heringa, Rhœrio, (auctore Feriarum Daventriensium Traj. ad Rhen. 1758.) cet. repetitas suis ita immiscuit, ut auctorum nomina suis quæque notationibus haud ascriberet, in quo nescio an arrogantius, quam modeste egit, quod quidem hominibus Grammaticis est solenne. Sub finem tamen præf. fatetur, ad difficillima l. I. loca sibi a viro eruditissimo Jo. Jerem. Brackenhofero, Mathematum Prof. Argentoratensi, annotationes esse subministratas. Quam subjunxit præfationi epistolam Julii Pontederæ, Prof. Patavini ad Andr. Maranum, (Philologum et Mathematicum Vicentinum,) eam desumsit ex ed. Patavina.

Alia ad Manilium spectantia, et de Versionibus ejus.

Fuere et alii, qui in edendo Manilio laborare cœperunt, sed labores suos vel non absolverunt, vel in lucem proferre non potuerunt. Ludov. Parrhasius Emend. II. 7. Jac. Susii scriptum commentarium laudat, et ut edatur optat. Excerpta quædam ex eo interdum occurrunt Obs. Misc. Anglicano Dorvillianis. Ruggerus Cotesius quoque voluit edere Manilium cum notis, de quo v. Falsterum Cogitat. Philol. p. 127. et Gotfrid. Richterus, ut patet ex ejus Specimine Observ. Jenæ 1713. editarum, is qui Bentleio Var. Lect. Ms. Lips. misit: de quo v. præf. Bentleii ad Manilium. De Justini Vierschroti conatu diximus ante. Loca quædam Manilii feliciter castigavere Salmasius ad Solin. et de Annis Climactericis, Is. Vossius ad Catullum, nonnulla etiam Gevartius in Electis, in quibus observationes in Manilium totum promittit, quas adornare se ait lib. II. cap. 5. Barthius in Advers. &c. Idem Salmasius affert versus quosdam ex Apotelesmaticis Dorothei Sidonii, Græci poëtæ, quem in suis Astrologicis secutus esse fertur Manilius. Legisse etiam videtur et in quibusdam verbotenus pæne reddidisse Manethonem, de cujus Apotelesmaticis dictum lib. III. Bibl. Græcæ c. 20. Firmicus autem, Latinus scriptor, non creditur Manilium oculis usurpasse, quod pluribus se argumentis docere posse ait Salmasius p. 587. de Annis Climactericis, etsi Scaliger contendit multis in locis ipsissima eum verba Manilii exscripsisse. Vide inprimis notas ad librum Poëtæ quintum p. 348. et Reinesii Epistolas ad Bosium p. 176. ubi non dubitat, librum octavum Firmici e

quinto Manilii esse compilatum, uti alii caput tertium libri primi Firmicum contendunt petiisse e Manilii procemio libri IV. Saltem non per omnia Manilium secutum, neque, ubi eum secutus videri possit, in Manilii verba jurasse, probe observat Huetius in notis ad Manil. p. 65. et 68. Et licet multos Græcos laudat Firmicus, innuit tamen, excepto Figulo, neminem nosse se ex Latinis, qui Apotelesmatica Latinis literis tractarit. Multo autem minus Firmicum expressit carmine Manilius, ut Vossio aliquando in mentem venit, de Art. Gram. II. 26. quod et ipse retractavit de Poëtis Lat. p. 36.

Librum Manilii primum Anglice vertit Eduardus Sherburn et commentarium addidit cum historia Astronomiæ Londini 1675. fol. de quo opere vide Transact. Anglic. n. 110. p. 233. et Act. Erud. 1702. p. 523. Tum vero memorabilis est Thomæ Creech versio Anglica poëtica: The five Books of M. Manilius, containing the System of the Ancient Astronomy and Astrology, done into English verse, with Notes, by T. C. Londini, apud Jac. Tonson. 1697. 8. quem titulum profert clar. Harlesius ex Biblioth. Hoblyniana Part. I. p. 262.

Mstus Codex Lipsiensis.

Codicum Mss. antiquissimus et optimus putatur Gemblacensis, usurpatus a pluribus, inprimis Bentleio, de quo supra. Ei simillimus in lectionibus est Lipsiensis, quem et ipsum antiquissimum faciunt, qui de eo memorant, et Gemblacensi ætate proximum, qui eo sunt usi, aut ejus excerptis. Et habet ille lectiones etiam proprias et valde bonas, sed et valde vitiosas. Omnino proclives nimis semper fuere docti viri ad extollendos libros scriptos, et eorum antiquitatem et bonitatem, quos ipsi haberent, aut quibus usi essent, ut sæpe observavimus. Nemo accuratius et meliori judicio usus est ejus lectionibus Elia Stoebero, cujus præfatio consulatur p. 14. sqq. Ætas codicis sæculum tertium decimum excedere non videtur: ita chartæ adhuc nitidæ sunt, et scriptura elegans, et rara compendia: quæ nec per totum librum, ab una manu esse videntur. Quod Arati Philosophi Astronomicon inscribitur, id ab argumento ductum est. Nam et Priscianus sæpe Astronomicon Cæsaris Germ. Aratum appellat. Quod Philosophum appellat,

id videtur indicare, exemplum, e quo hic liber descriptus est, fuisse ævi Ottonum, quo hoc nomen tributum est omnibus, qui doctrinam subtiliorem tractarent, ut Gerbertus Abbas in cod. aliquo istius ætatis dicitur Philosophans. In fine recentior manus Germani hominis subscripsit hoc distichon: 'Carmina præclaras signant cœli regiones, Fistula quas cecinit Christiani docta magistri.' De aliis Mss. notis et ad usum vocatis ante dictum per occasionem edd. Bentleianæ et Stoeberianæ. A Petrarchæ ætate cœptum esse textum interpolari, notat Bentleius in præf.—Capitum argumenta e Mss. dedit Barthius Advers. x. 26.

NONNULLÆ hic sequuntur editiones impressæ, a Bipontinis omnino prætermissæ, vel non satis accurate descriptæ.

Editio, cui Bipontini præfigunt annum 1472. sine dato excusa est; et iidem palam profitentur: 'apparere evidentissimis argumentis ad hunc annum (1472.) referendam esse primam omnium Manilii editionum:' et forsan recte affirmant: at fuerunt, qui cum illis non sentientes, editionem 1474. pro prima acceperunt; et pro certo ea est, in qua annus primum exprimitur. De editione 1474. (nempe Bononiensi, quæ olim princeps habebatur,) vide plura in Audiffredi Specimine Editionum Italicarum Sæc. xv. p. 28.

Manilii Astronom. excusa per Jodocum Hoensteyn. Neapoli, sine anno, 4to. at circa annum 1475. Bibliographi, qui hanc editionem viderunt, affirmant esse rarissimam. Comes de Revickzy de ea sic loquitur: 'Etsi de anno editionis non constet, habet tamen ea antiquitatis vestigia, ut si quis ei primatum vindicare contenderit, non possit redargui saltem invictis argumentis; hinc primam editionem Manilii indubie possidere volenti hæc etiam su-

periori jungenda est.' Exemplare hujusce editionis extat in Bibliotheca Spenceriana; vid. Dibdin. in loco: vide etiam Morelli notam in Catalogo Bibliothecæ Pinellianæ tom. II. n. 4734. et Saggio Storico-critico sulla Tipografia del Regno di Napoli, Napoli 1793.

Manilii Astronomici Libri quinque, 4to min. sine loci, et anni, et typographi nominibus: nitide expressus liber Romanis literis, circa annum, ut videtur, 1470. vel 1475. Britan. Mus.

De Romana prima, 1484. asseverant Bipontini, 'Bonincontrii repetitionem esse, et parum integram,' Fabricium, ut videtur, secuti. E contra Harlesius in his ipsis rebus oppugnat Fabricium, pernegans Romanam esse repetitionem Bononianæ, aut dici posse 'haud integram' esse, et ad Audiffredi appellat, testem plane idoneum, ut qui rem bene trutinaverat. Vid. Harlesii Supplementa ad Breviorem Notit. Literaturæ Romanæ, vol. I. pp. 488. 489. et Audiffr. Catal. Hist. Critic. Roman. Editt. Sæc. XV. pp. 260. 261.

Manilii Astronomicon, &c. 4to. apud Plantin. Lugd. Bat. repetita edit. 1600. si fortasse non eadem: extat in Catal. Askeuano No. 209.

Dibdinus describit editionem Bœcleri Argent. 1644. 4to. Silent vero Bipontini: immo e contra in describendo Scaligeriano III. 1655. extare negant talem editionem, adjicientes, 'Cl. Harlesius P. II. Lit. Rom. fallitur in an. 1644.'

Manilii, &c. Extat in Pisaurensi collectione tom. IV. p. 30. in fine; et in Ptolemæi Quadripartito, in fine; et in Corpore Poëtarum Latinorum Michaëlis Maittaire, tom. I.

Sphæra paucis et elegantibus versibus comprehensa, ex M. Manilii Sphæra, 4to. Par. 1706. Hæc eadem occurrit in Catal. Askeuii cum anni dato 1604.

Manilii Astronomicon Libri quinque, cum commentariis et castigationibus Josephi Scaligeri, Junii Biturigis, et Fayii; his accedunt Bentleii quædam Animadversiones reprehensione dignæ; quibus omnibus Editor sua Scholia interposuit. Opera et studio Edmundi Burton, Arm. A.M. SS.

Trin. Coll. apud Cantab. aliquando socii. Lond. 8vo. 1783. Notæ sunt potius explicatoriæ, quam criticæ, aut ad codd. et varias lectiones pertinentes. Editor ejusdem erat collegii et similium studiorum, ut videtur, cum Bentleio; quem (in epistola dedicatoria ad Episcopum Norvicensem, Trin. Col. olim tutorem, commendata) sic perstringit: 'Bentleius noster, qui nectit potius, quam solvit nodos, dum alienis scriptis aliquando operam dat, curiosa ingenii felicitate, quamplurimam hujus auctoris obscuritatem in lucem vocavit, identidem tenebras hinc illinc circumfusas in tenebras crassiores immersit.'

Bipontinorum nostrorum editio distincte hic nominari debet, ne inter Virgiliana omnino lateat: etenim Bipontina editio Manilii, iisdem tomis cum Virgilio conjuncta, prodiit Argent. 1783. 2 voll. 8vo.

Manilii, &c. Lat. et Gall. 2 tom. 8vo. 1786. Ed. G. Pingré, Univers. Par. Præfecto, &c. Versio est prosaica; et tam textui, quam interpretationi subjectæ sunt notulæ quædam, quæ plerumque ad varias lectiones spectant: sub finem vero notæ criticæ sequuntur; hæ notæ Latine scriptæ sunt. Amplectuntur etiam hi tomi Arati Phænomena cum Gallica interpretatione, ab eodem Pingré concinnata.

Manilii Astronomicon, ex recensionibus Ricardi Bentleii, Gratii, Falisci; et Nemesiani Cunegetica, ex editione Burmanni, cum notis. 8vo. Ven. 1788.

Fini Recensus Editionum a Bipontinis concinnati subjiciuntur tales scriptores, qui designantur, ut in edendo Manilio laborare incipientes, sed in lucem labores suos, fragmentis forsan paucis exceptis, non proferentes.

His addantur Biographi, et Bibliographi, et alii, qui cursim tractaverunt de Manilio; quales sunt Vossius de Poët. Lat. c. 2. p. 36. Nouveau Dictionnaire Historique, Bruckerus Histor. Crit. Philos. tom. II. Period. II. Pope-Blount. 77. s. M. Dan. Huber in Tentamine Observationum in M. Manilii Astronomicon, lib. I. et II. Basil. 1789. 4to.; una cum Burmanno in Observationibus suis, in

Manilium, et Jortino nostro doctissimo, in ejus Tractatibus Philologicis, &c. vol. II. p. 272. et sqq. et Christophoro Saxio in Onomastico ejus Literario, Pars I. p. 203. et Ernestio in editione ejus Fabricii Biblioth. Lat. et Brunet in Manuel du Libraire; et Christophoro Harlesio in Brev. Notit. Lit. Romanæ, et E. Harwood in A View of the Various Editions of the Greek and Roman Classics; et Dibdin. in ejus Introduction to the Greek and Latin Classics. (Fourth edition, 1827.)' Ex his et aliis quamplurimis multum bonæ frugis colligendum est de Manilio.

RECENSUS CODICUM MSS.

MANILII,

QUI IN BIBLIOTHECIS BRITANNICIS ASSERVANTUR.

In præfatione editioni Bentleianæ præfixa de Manilio sic notatur: 'Reminiscendum tamen est, hunc poëtam omnium scriptorum, quotquot sunt, corruptissimum esse; adeo ut variæ in eo lectiones verborum fere exæquent numerum; numerum versuum certe longe superant.' Hæc, vel his non absimilia, prius dixerat Scaliger. Reminiscendum est etiam Codices Manuscriptos Manilii doctorum manibus rarissime occurrisse; (tres tantum a Stoebero nominibus designantur, etsi alii alios quosdam consuluisse et secutos esse profitentur;) et exinde ortum est, lectiones ejus multum pendere e criticismo conjecturali, et editores, imprimis Bentleium, ingenii abundantiis nimis luxuriare.

Variæ etiam confluxerunt sententiæ ex hac codicum paucitate, quorum unus, et idem antiquissimus, nempe Gemblacensis, poëtæ nomen non suppeditat; alius, nempe Lipsiensis, Arati philosophi exhibet. Et diversæ etiam inter diversos scriptores opiniones extiterunt tam de integritate et qualitate operis, quam de nomine et regione auctoris.

Nec quidem inter hæc tam dubia lucem aliquam præbent critici et grammatici antiqui; quippe nullam Manilii mentionem faciunt. Qui primus Marci Manilii nomen præbet, est Gerbertus, in Epist. 130. ex qua apparet, autographa sub iis temporibus extitisse, quæ nomen *Marci*

Manilii præ se tulerunt; et idem, ex auctoritate Gerberti pendens, nunc retinetur.

Talia sunt quæ bibliographi et editores qui præcesserunt, Fabricius, Stoeberus, et nostri Bipontini, protulerunt: at de codicibus tractabant, qui in exteris bibliothecis videndi sunt.

In bibliothecis Britannicis eadem est Codicum Manuscriptorum paucitas. Inter varias Musei Britannici collectiones, ubi Codices Mss. scriptorum classicorum adeo abundant, ne vel unus Manilii inveniendus est: nullum continet Bibliotheca Publica Universitatis Cantabrigiæ, neque privatorum collegiorum, neque ulla alia publica Britannica, præter *Oxonienses*, et inter eas duo isti tantum asservantur, quibus usus est Bentleius in sua editione Manilii anni 1739. Ex his unus extat in *Bodleiana*, etsi in Catalogo Manuscriptorum Angliæ et Hiberniæ nihil de eo refertur; bene tamen audit iste codex: et Bibliotheca *Leidensis* continet Manilii editionem an. 1590. cum hoc codice collatam. Alter Codex Oxoniensis est in *Corporis Christi* Bibliotheca, in qua quamplurimi Codices Manuscripti, varii nominis, et pretiosi asservantur: iste vero codex quatuor tantum Manilii libros continet: volumen est membranaceum, et una cum Manilio anonymi commentarium in Ovidii Ibin exhibet. Isti Codices sunt ejusdem fere ætatis, nempe sæculi XV.

Et hæc quidem usque ad tempus Bentleii; neque ex quo tempore Manilii editio Bentleiana vulgata est, audivimus alium aliquem Manilii Codicem bona aliqua fortuna apud Oxoniam fuisse depositum.

His vero Codicibus Mss. subjungere liceat quædam exemplaria, quæ, etsi excusa, notulas tamen Mss. continent. In *Bodleiana* sequentia notanda sunt; nempe, edit. Par. 8vo. 1579. cum notis Mss.—et cum Codicibus Mss. collat. editio Lugd. Bat. 1600.—atque eadem iterum variis notis Mss. 4to.

Inter *D'Orvillianos* X. 1. 6, 4. Manilii collatio cum Codice Ms. C. C. C. Oxon. J. P. D'Orvillio facta.

X. 2. 2, 4. Manilii, &c. Fayii et Huetii, Par. 1679. 4to. cum notis Mss. J. P. D'Orvillii.

X. 2. Infra 2, 3. est liber impressus, continens notas et varias lectiones in poëtas Latinos; inter quos Manilius recensetur: collat. cum edit. Paris. 1679. Notæ sunt Broukhusii.

Nec prætereundi sunt alii duo Codices impressi cum notis Mss. Unus in *Museo Britan.* Lugd. 4to. 1599. Huic editioni a Bipontinis apponitur annus 1600. Præfiguntur Prolegomena de Astrologia Veterum, cum notulis quibusdam Mss. et ad imum primæ paginæ manu scribuntur hæc: 'Eruditissimo viro Isaaco Casaubono suo Josephus Scaliger D. D.' Scaligeri notæ subjiciuntur, quibus prisca astrologia explicatur, castigationum caussæ redduntur, et portentosæ transpositiones indicantur.

Alter Codex impressus Manilii, &c. est Scaligeri cum Reinesii et Bullialdi animadversionibus, 4to. Argentor. De ipsa editione satis jam supra Bipontini. Hoc exemplar notulas quasdam manu Bentleii scriptas exhibet, et in apice primæ paginæ hæc: 'Collat. cum veteri Manuscripto Lipsiensi per Gotefridum Richter. *R. Bentley.*' Hic etiam Codex impressus est in Museo Britannico.

INDEX

IN

M. MANILIUM.

Abducentque iii, 354
Abeant i, 314
Abibit v, 162
Absumto ii, 394
Abundans i, 856
Abundant ii, 600
Accedat iii, 406
Accedens iv, 463
Accederet iii, 80
Accedimus iv, 885
Accedit ii, 356
Accedunt ii, 463. 672. iv, 524
Accenditur ii, 942. v, 725
Accensa i, 831
Accensis i, 826
Accenso i, 870. v, 744
Accensosque v, 626
Accensum i, 858
Accepisse iv, 40
Accepit i, 85. iii, 84
Acceptas iii, 467
Acceptaveris iii, 439
Accesserit v, 497
Accessus ii, 50
Accidere iii, 104
Accipe ii, 458. iii, 386. iv, 443
Acciperent iii, 79
Accipiant iii, 462
Accipiens iv, 496
Accipient v, 392
Accipiet iii, 404
Accipit i, 210
Accipiunt ii, 859. iii, 486. iv, 505. 912
Accipiuntque i, 707
Acclivia ii, 918
Acclivis i, 233
Accommodet iii, 222
Accumulans iv, 494
Accumulatque iii, 610
Acer ii, 236. 544. v, 697
Acervos iv, 925
Achaica iv, 615
Acheronta i, 93
Acie (agmine) i, 913
Aciem (visum) ii, 497. 514
Aciemque (id.) i, 675
Acies (agmen) i, 777. iv, 35. v, 665
Acies (visus) iii, 377
Acies (animi) iv, 368
Acquirere v, 507
Acrem ii, 513
Acri ii, 213
Actæon v, 183
Actia i, 912
Actiacosve v, 52
Actis iii, 106. 380. iv, 475. v, 504
Actu iii, 482
Actum iii, 184
Actus (sub.) ii, 140
Acumina iv, 241
Acumine iv, 569
Acuta v, 83
Acutis v, 70
Adamanteis i, 921
Adamas iv, 926
Adde ii, 687. iii, 238. iv, 43. 279. 731. 733

Addere iii, 28
Addidit iv, 699. v, 327
Addis iv, 252
Addit ii, 160. iii, 602. v, 849
Addita ii, 385. 432. 884. iv, 447
Adducitque iii, 382
Addunt iv, 458. v, 115
Ademtus ii, 386
Adeo i, 297. 856. ii, 110
Adeptus i, 369. 780
Ades iii, 86
Adest iii, 557
Adjacuitque i, 164
Adice iv, 44
Adjecta ii, 733
Adjectaque ii, 434
Adjectis iii, 598
Adiment iii, 349
Adjuncta iii, 124
Adjungat iii, 461
Adjunget v, 242
Adjungitur iv, 695
Adjungunt iii, 474
Admiranda i, 194
Admirans i, 264
Admissus iv, 599
Admittantque i, 718
Admitti iv, 395
Admixtis ii, 835
Admotaque iv, 37
Admovisse v, 94
Adnantemque v, 591
Adsunt ii, 637
Adveniens i, 444
Advenit i, 404
Adversa ii, 793. 893. iii, 627
Adversa (plur.) ii, 201. 529. 910. v, 2
Adversas ii, 914
Adversi i, 602, ii, 415
Adversis i, 509. ii, 410. 471. 652. iv, 852
Adverso i, 591. 668. 803. ii, 396. 446. 494. 867. iii, 658
Adversos i, 15
Adversosque ii, 575
Adversum i, 682. ii, 930. iii, 679. iv, 323. 859
Adversus ii, 555
Adversus ii, 119
Advertere iii, 36
Advigilare i, 81
Adulter iv, 104
Adultera ii, 22
Adulterio v, 266
Advocat iii, 116
Æacidas i, 760
Ægæumque iv, 622
Ægrotat v, 215
Ægrotet i, 893
Ægypti iv, 636. 671. 752
Ægyptia iv, 726
Ægyptique iv, 779
Ægyptum iv, 627
Æmiliæque i, 794
Ænean iv, 24
Æqua iii, 255. 669
Æqua iv, 526
Æquabit iii, 574
Æquale iv, 416. 821
Æquales ii, 274. iv, 326
Æquali i, 466. 556. 578. 838. ii, 62. 111. 232. 288. 458. 656. 792. 826. iv, 853
Æqualia iii, 220
Æqualis iii, 674
Æquandam iii, 461
Æquandum i, 554
Æquant i, 343. 596
Æquantem i, 687. ii, 242
Æquantia iii, 645
Æquantur v, 404
Æquas (nom.) iii, 423
Æquat i, 671. iii, 671
Æquato i, 267. iv, 549
Æquis i, 606. ii, 214. 291. iv, 295
Æquo (nom.) ii, 77. iii, 310. 606. 620. iv, 174. 771
Æquor i, 164. 621. 774. iv, 285. v, 582
Æquora i, 156. 163. 919. ii, 237. iv, 385. 603. 626. 631. 680. 782. v, 419
Æquore i, 544. ii, 225. iv, 611. 646. v, 51. 54. 158. 196. 394. 398. 424. 563. 661. 685. 730
Æquoreæ v, 408
Æquoreas v, 433
Æquorei v, 505
Æquoreis ii, 194
Æquoreum ii, 558
Æquoris iii, 21
Æquum iii, 446
Æra i, 227. iv, 250. v, 92
Æraria v, 360
Æris v, 320
Aër (cœlum) iv, 483
Aëra i, 14. 286. 812. iv, 500
Aëraque i, 153. 158. 858. ii, 357. iii, 52
Aëre iv, 898
Aëriæque i, 337
Aëriam i, 725
Aëriamque v, 467
Aërias i, 201. v, 379
Aërios v, 368. 577
Aëris i, 203. 249. iv, 889. 925
Aërius v, 633
Æstas ii, 176. 266. 418

Æstate iv, 647
Æstatem ii, 183
Æstatis ii, 186
Æstibus iv, 796
Æstiva i, 100
Æstivæ iii, 421. 625
Æstivas i, 505
Æstivi iii, 651
Æstivis ii, 269. iii, 272
Æstivosque i, 666. ii, 421
Æstivum ii, 202
Æstu i, 21. 569
Æstum ii, 429
Æstus v, 215
Ætas iv, 152
Ætatem ii, 845
Ætates ii, 589
Æterna i, 211. 629. ii, 528
Æternam iv, 157
Æternas ii, 492
Æternis i, 376. ii, 564. 821. iii, 212. iv, 354
Æternisque iv, 2
Æternos i, 922
Æternum ii, 119
Æther i, 874. v, 743
Æthera ii, 36. 74. v, 509
Ætheraque i, 496
Æthere i, 199
Æthereas i, 149
Ætherei i, 800
Æthereis ii, 83
Æthereo ii, 56
Æthereos i, 12. 561. 759. v, 10
